BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXVII
D
122
NAPOLI

XXXVII.
D.
122.

Scanzia H num. 4 Libro 206 Sup.i

~~Scan. 135 n.° 10 [illegible]~~ 9

# ANTONII CODRI VRCEI IN FLORENTIORIbus Italiæ Gymnaſijs olim, cum in feliciſsimo loco illic fuerunt meliores literę, profeſſoris cum philoſophiæ linguam moresq; formantis, tum reconditas rerum cauſas tractātis, opera, quæ extant, omnia: ſine dubio non uulgarem utilitatem allatura Grammaticen, Dialecticen, Rhetoricen & phyſica profitentibus: in utriuſq; enim linguæ Græcæ & Latinæ autoribus loca hactenus non intellecta explicantur, mirabili ingenij iudicijq; acumine.

*Lucubrationum ἔλεγχον uerſa pagina enumerabit.*



Libraria della Concettione

BASILEAE PER HENRICVM PETRVM.

NEAPOLIS BIBLIOTHEC. CAPVCCINORVM CONCEPTIONIS
BIB. NOV.

His ferè titulis autor inſcripſit opera ſua.

*Sermones ſeu orationes, multiplici eruditione refertæ* XV.

*Epiſtolæ quibus obſcuriores multæ quæſtiones ex* Poëtis, *Oratoribus, & aliarum diſciplinarum autoribus in lucem proferuntur.*

*Syluæ, ubi mira uarietate & doctrina lectorem afficit.*

*Satyræ, in quibus ueterum paucis cedit, multos ſuperat.*

*Aeglogæ prima fronte iocos oſtendentes ſed in receſſu ſeria habentes.*

*Epigrãmata in q̃bus non mediocri iudicio & arte miſcet utile dulciq;.*

BARTHOLOMAEVS BLAN-
chinus, Mimo Roſcio Senatori Salutem.

*Cum in magnis anni caloribus, ſolus me in ſeceſſum uillulæ meæ contuliſſem, ut aliquod illius meæ ſolitudinis munus extaret, Codri Grāmatici uitam, quam mihi eius frater olim uernaculo ſermone breuiter & commode ſcriptam dederat, pro mea ingenij infirmitate in Latinū uerti ſermonem, additis etiam nonnullis, meo arbitratu, quæ de hoc uiro mihi nota fuerūt, & eo quidem libētius hoc aggreſſus ſum, quia hominem diuina quadam ingenij magnitudine, doctrina, & omni facultate dicendi perfectum cognoui, ut ex eius ſcriptis facillime coniecturā fieri licet, quæ & legimus libenter, & legemus, dum uita ſuppetet. Quare cum eius uiri uitam literis mandaſſem, iure ut eam ad te mitterem ſum adductus, eius nanq; te ingenio plurimum delectari cōpertum iampridem habebam. Leges igitur, cum per publicas occupationes tuas licuerit, Codri tui uitam, qui non claro maiorū ſtemmate, ſed uirtutis ornamentis ſummam conſecutus eſt laudem. Plurima quidem erant, quæ de hoc uiro in medium afferre potuiſſem, ſed quoniam nullius momenti ea mihi eſſe uidebantur, haud neſcius præterij, in quibuſdam uero fuimus paulo fortaſſe longiores, natura etenim ingenio quandoq; indulgere malumus, quam temperare. Quid plura: hæc qualiacunq; ſunt, non tam cognoſcendi ad te, quam emendandi cauſa tranſmitto, de quibus non dici poteſt, quam ualde ſcire cupiam, quid ſentias, ego enim quid de his ſentiam, ſi me interroges, reſpondebo, haudquaquam ſatis mihi ad plenum feciſſe. Nihil unquam, mea quidem memoria, me ſcribere memini, in quo plus elaborauerim, minusq; ſi cum labore opus compenſari uelis, profecerim. Mihi forte non credis? per immotalem Deum non aliter ſcribo ac ſentio. Videbar quidem mihi, dum hæc ſcribebam, Terentianus Chremes eſſe, ut ille pulcher, ſobrius accumbendo, ſic ego in dictando lon-*

*do longe perpolitus, ſed poſtquam ſurrexi, neq; ſtylum, neq; erudi tionem ſatis ſuum facere officiũ animaduerti. Rectius, quod dicitur, poſt opus iudicatur. Nam noſtra, teſte Quintiliano, dum naſcuntur nimis placent, quæ paulo pôſt refrigerato illo inuentionis amore, ſordeſcunt, eo quod uel nimis redundent, uel ieiuna ſint atq; arida. Miraberis ſcio, me nonnullis in partibus eo uſum eſſe dicendi modo, quo me plurimum, tanquam amica, oblectari tibi notum eſt. Sed obſecro te, quis Zeno tam continens erit, qui non ruat cæcus in rem amatam? Verum iam ſentio me longius eſſe prouectum, quam animo propoſueram. Vt igitur ſemel finiam, uiuet ſemper in pectore meo, immortalis memoria tui erga me æterni amoris, quem me Hercule colam beneuolentia ſempiterna. Vale.*

# CODRI VITA
## À BARTHOLOMAEO BLANCHINO Bononienſi condita ad Mimũ Roſcium Senatorem Bononienſem.

MAiores Antonij Vrcei, qui poſtea Codri cognomen aſſumpſit, ex Vrceis oriundi ſunt, oppidulo Brixianorum, familia uetere quidem, ſed obſcura. Nam proauus eius Antonius, qui primus Herberiã commigrauit, pauper admodum erat, patre figulo natus, obq; eius rei familiaris anguſtias, uix diurno quæſtu propulſabat famem. Ex hoc Bartholomæus naſcitur, qui & ipſe pauper piſcando uitam aliquandiu tolerauit: mox dum foderet agrum, caſu in fictili quadam urna ſatis uim magnam argenti inuenit, ex cuius dimidia parte tantum agri emiſſe tradunt, ut eius ſoli prouentus abundantẽ familiæ alimoniam præberet, ex reliqua uero pecunia, quæ homini ſupererat, aromatariam inſtruxit tabernam. Is deinde

*Cortheſium Codri patrem creat, de cuius præſtãti uita, & moribus, pauca quidem mihi dicenda eſſent, niſi modum propoſiti operis excederem. Cæterum præclari parentis mores me ſatis abunde dicturum eſſe arbitror, ſi filij laudes in mediũ proferam, de quibus præſente, ac ſecundo Deo dicere ordiar. Natus eſt Codrus Herberiæ oppiduli in agro Regienſi, quæ à Mutina abeſt circiter ſeptem millia paſſuum, anno Salutis milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto, decimo ſexto Calend. Septembris paulo ante ſolis ortũ. Patrem habuit Cortheſium nomine, Matrẽ Gherardinã, quæ fratrem Codri Petrũ Antoniũ enixa, nimio oppreſſa dolore, uita exceſsit. Pater uero, ad longiſsimum humanæ uitæ terminũ prouectus, alterum etiam & octogeſimum annum expleuerat, incolumis, ac ſine morbo, naturæ cõceſsit. Prima ætatis tempora Herberiæ egit, atq; ibidẽ, cum primum diſcẽdi per ætatem capax fuit, pater ipſum præceptoribus erudiendum dedit. Deinde ab teneris adhuc annis, relicto patriæ ſolo, Mutinam ad Tribrachum ſe contuliſſe nonnulli affirmant, hominem ea tempeſtate ſatis diſertum, qui cum ſtudijs ardẽtius puerum incumbere animaduerteret, grauiſsimis adhortationibus rem literariam capeſſere ſuadebat, illud Maronianũ identidem cõmemorans: Macte noua uirtute puer, ſic itur ad aſtra. Paucos ibi menſes moratus, à Mutina Herberiam, & inde paulo pòſt paterno iuſſu, nam parentibus iam bona ſpes de filio erat, Ferrariã trãſijt, ubi Baptiſtam Guarinum audiuit, uirũ ætate noſtra literis Græcis, pariter & Latinis celeberrimũ, ſub quo iuuenculus adhuc, pluſquam promitterent anni, tantum profecit, ut appareret omnibus ſpem haud uanam parentes de illo cõcepiſſe. Lucam quoq; Ripam modeſtiſsimum uirum, & clariſsimum dicendi magiſtrũ per id tempus diligentiſsimè audiuit, ſeq; apud illum exercuit, & ita exercuit, ut condiſcipulis omnibus poſt terga relictis ad faſtigium euaderet. Sunt qui dicant, Ferrariæ primum erudire pueros cœpiſſe, cum uix duo de uiginti ageret annos, ſed hoc quia mihi parum compertum eſt, nec affirmare, nec*

etiam refellere in animo eſt. Satis conſtat Ferrariæ ipſum dediſſe annos quinq;, ut eius monumenta declarant, hinc treis & uiginti annos natus, autore eodem, quem ſuprà memorauimus Luca Ripa, Forumliuij conceßit, ubi magnis præmijs inuitatus tredecim fere annis ſed aliquo omnino tempore interiecto, publice erudiuit pueros. Priuatim tum etiam Sinibaldum Principis Foriliuienſiũ Pini filiũ ſtudiorum initia edocuit, dignum tanta cura infantem, hunc quandiu erudiuit, cubiculũ in ædibus principalibus habuit, alimentaq; honeſtißima. Pino uita functo, cum tota ciuitas uarijs rumoribus impleretur, per decem fere menſes Foriliuij ſe ſe inuitus continuit, diu in incerto habens, quid nam conſilij caperet, mox Bononiam conceßit, patriam dicens ibi eſſe bonam, ubicunq; uir literatus ſedem elegerit, atq; ibidem de cætero fuit, quoad è uita deceßit. Hæc ſummatim de eius uita retuliſſe ſat eſto, nunc ſingula latius exequi pergam. Corpore uero & ſtatura fuit mediocri, uultu pallore ac macie obducto, & qui plerunq; natura mirabundo ſimilis uideretur, albicantibus oculis, & paulo ſub fronte repoſitis, accedebat ad hæc eminentia naſi, capilli raritas. Gracile adeo corpus ob ſtomachi debilitatem, ut cum quidam ei per iocum, me audiente, corporis tenuitatem obijceret, in hunc fermè modum reſponderit: Quid mihi uituperationis loco obijcis deformitatem corporis, cum non mihi tantum, ſed ipſi etiam rerum omnium Fabricatori Deo propemodum hæc pariter obijcias? ea nanq; omnia quæ Deus ille in nos contulit, non ad hominis, ſed ad ſuum ipſius arbitrium collata ſunt, quæ ſi ex noſtro penderent uoto, nihil utiq; eſſet, modo mentis compotes, nos idem ille Deus feciſſet, quod in nobis deſideraremus. Vultu quidem, aſpectu, motuq; corporis mitis admodum erat, ſed quotiens aliquo animũ infleƈteret, adeò obſtinato erat animo, ut nemini unquam mea ſane memoria, tam durum, tamq; inexorabile uiderim ingenium. Huius uero effigiem oris, uultusq;, & liniamenta corporis, mirè expreßit in ædibus Bentiuolorum, amor ac delitiæ noſtræ Francia ſpeƈtatæ uirtutis aurifex, cuius

*unicum ingenij faſtigium pariter omnes, & amant, & admirātur, & tanquam numen adorāt, cum ob alia, tum in primis & quia ſummus noſtro æuo eſt aurifex, & tanquam artis huiuſce Deus, & in pictura nemini poſthabendus, nullius etenim ante ipſum neque pictura, ne etiam cælatura in propatulo uiſitur, quæ teneat oculos. Longiſſimis te utique laudibus Fraucia extollerem, niſi quibuſdam uiderer, nimio amore incidiſſe in profundiſſimam quandam adulationis ſpeciem. Sed me longius amor, ac dulcedo uiri abduxit: ad propoſitum reuertor. Circa uictum ueſtitumq́; ipſe paruo contentus, tenui uictu, cultuq́; delectabatur, cuius tenuiſſima uitæ frugalitas uſque ad uitium nimia ut plurimum erat. Valitudine autem uaria uſus eſt, à prima iuuenta uſq; ad quartum & quadrageſimum ætatis annum, ſicuti ipſemet prædicare ſolebat, nam plerunq; & ſtomacho, & totius corporis laſſitudine quadam adeo laborabat, ut ab ortu ſolis ad occaſum in lectulo moribundo ſimilis perſtaret, magna cum admiratione omniū, coq; ipſo tēpore, quod mirū eſt, nullā edebat uocē, qua ſemet miſeraretur, ſed ut primū aduesperabat, incedebat quacunq; recuperata mēbrorū firmitate. Totū uitæ curſum erudiendis iuuenibus impēderat, cuius ego in docēdo dexteritatē ſummopere laudo, iureq́; laudo, ut q primū à parēte initiādus, & erudiēdus ei datus fuerim, utinamq́; in propoſito Pater pſeueraſſet. Heu, q̃ te genitor ſententia uertit? nimium, nimiū inquam fraudaſti ingenium meū, ad literas ſatis accōmodatū. Sed querimoniæ in aliū hominē, in alia tempora differātur. Ad deſtinatū opus redeo. Vt igitur multa alia omittam, quo ad ſtudia diſcēdi acriores ſubderet faces, pueros ueluti in claſſes diſtribuebat, cōcurrebant inuicem, totis ingenij uiribus, undiq; reconditorū uocabulorū tela ingruebāt, q potior dicēdi uiribus erat, ſummo cōdiſcipulorū applauſu, pro cornibus excipiebatur. Demū haud in ullo unquā erga diſcipulos officio ſolertiſſimū uidi claudicare doctorē, nōnunquā tamē per animi impatientiā diſcipulos ultra modū caſtigabat, de cuius in diſcipulos ira multa qdem, ſicuti ego*

accepi

accepi ab eius fratre in medium adducere poſſem, niſi eadem illa riſum potius excitarent legentibus, quàm admirationem. Sed de ira in pueros hactenus. Quoniam aũt ad hoc uentum eſt, haud ab re erit hoc unum de eius præcipiti in iram ingenio exempli gratia ponere, quanquam fortaſſe longiſſimũ, ut potero tamen quàm breuiſſime expediam. Cum adhuc eſſet Foriliuij cubiculum habebat in penitiore palatij parte, uarijs quidem ornatum picturis, ſed adeo in prima diei parte obſcurum, ut niſi lucernæ beneficio, ne parietes quidem ipſos diſcernere poſſet, utebatur itaq; quotiẽs ſtudere uellet lucerna quadam fictili, raræ (ut fertur) pulchritudinis, exactiſſimiq; artificij, in cuius ſummitate literis paulo grandioribus hoc cælatum erat: Studia lucernam olentia, optime olere. Hanc igitur forte cum domi inextinctã reliquiſſet, incendij cauſam fuiſſe creditũ eſt, nã matutino tempore cum negotij cauſa ſe in forum contuliſſet, ignis chartarum fomento coalitus, per omnes cubiculi angulos diuagatus eſt. Perijt liber ab eo cõpoſitus, qui inſcribebatur Paſtor, periere & reliqua eius bona. Fumabant igitur cubiculi fores, feneſtræ flãmam incendij euomebãt, priuſquam ignis paſſim effuſus cõſpiceretur. Fama eſt ad primum incendij nunciũ tãtam animo imbibiſſe iram, ut exclamans, ueluti furore quodam concitus, ad Regiam uſque præcipiti gradu ire pergeret, pro foribusq; cubiculi aſtans, neq; enim ob incendium late cuncta depopulans ingredi licebat. Quod nam ego, inquit, tantum ſcelus concepi Chriſte, quem ego tuorum unquam læſi, ut ita inexpiabili in me odio debaccheris? cõuerſus poſtmodum ad ſimulachrum Virginis: Audi Virgo ait ea, quæ tibi mentis cõpos, & ex animo dicam. Si forte cum ad ultimum uitæ finem peruenero, ſupplex accedam ad te opem oratum, ne me audias, neúe inter tuos accipias oro, cum infernis Dijs in æternum uitam agere decreui. Qui aderant, uerbis quidẽ quoad poterant ipſius iram lenire conabãtur, ſed clauſæ erant aures, obſtrepente ira, quæ adeo oppreſſit hominem, ut obiurgatis prius amicis omnibus ne ſe ſequerentur, extra portam

egrèderetur, nec antè impoſuerit frenos à menti gradu, quam in ua-
ſtum ſe ſe proripuerit nemus, ingẽtiq́; cũ moleſtia ibi diẽ totũ egerit,
noctu urbem petens, cum portas offendiſſet clauſas, in fimi aceruo
proſtratus lucem expectauit, mane uero Vrbem ingreſſus, in fabri
cuiuſdam lignarij domo abſtruſit ſeſe, ibiq́; iugiter per ſex menſes
ſolus, ac ſine libris uitam protraxit. Sed hæc iam omittamus. Immor-
talia animi ſui monumenta, quæ poſteris reliquit, proſequamur, qui
bus manum ultimam tametſi haudquaquam imponere potuit, magna
tamen ex parte præ ſe ferunt, quanta dicendi facultate, quanto in-
genio, quantaq́; demum ualuerit doctrina. In fingendis, pangen-
disq́; primum carminibus, tam Græce, quàm Latine admodum dedi-
tus erat, quo in genere permultæ extant eius Elegiæ, Epigrãmata,
Syluæ, quarum omniũ ingenij acumen, & ſententiæ quanti facien-
dæ ſint, uidebunt qui ea legerint. Vocabulario Græco plura de ſuo
addidit, multa emendauit, nonulla etiamnum, quæ in ruinis Latinæ
linguæ delituerant, pertinaci ſtudio, atq; ingenij bonitate in lucem
eruit. Epiſtolas ſcripſit ad amicos, funebres nuptialesq́; orationes.
interq́; maximè præſtabilia huius uiri opera cõplures ſplendidæ, atq;
illuſtres extant orationes, ſiue ut ipſe appellitare conſuerat Sermo-
nes, quos tanquam menſam iucundis, numeroſisqúe dapibus exor-
nauit, emendati ſunt, dilucidi, ornati, & qui altiſsmam eruditio-
nem, ac ſciẽtiam præ ſe ferant, nihil iocundius auribus meis unquàm
accidit hiſce ſermonibus Codri, qui adeo ſunt puri, ut loqui Latinè
penè ſolus uideatur. Hi uero fermè ſermones omnes toti redun-
dant lepore, facetijs ac hilaritate quadam, & ioco, atq; ita, ut haud
grauitas facetijs minuatur, quo quidem in genere præter cæteros,
Codrus noſter excellit. Interrogatus à quodam cur in omni Sermo-
ne tam crebris uteretur facetijs: Naturam eo finxiſſe homines re-
ſpondebat, ut ſalſi eſſent, urbani, & narratores faceti. Timide ad
dicendum accedebat, conſcientia ſuæ infirmitatis, nam quia parum
memoria ualebat, orationes ſuas plerunq; ex ſcripto recitare cõſue-

*uerat, incredibili quidẽ pronũciationis faſtigio, ſed q̃ omnino eſſet au-
dĩtibus pergrata. Multa iocoſe dixit, q̃ poſtmodũ ſuis in orationibus
nõ inſeruit. In alienis ſcriptis penſitãdis utebatur ſumma, uel in rebus
minimis, curioſitate, adeo ut Præceptor meus Philippus Beroaldus li
terarũ princeps & decus ingenuè ꝓfeſſus ſit, neminẽ illo unquã neq;
acrius, neq; acutius ſe uidiſſe aliena iudicantẽ. Irridebat eorũ uanita
tẽ, q tanquã in primo literarũ limine cõſtituti, ſe ſe ad arduũ iudicãdi
genus accingerẽt, neſciũt aiebat, quã graue ſit onus iudicãdi, oportet
enim ipſi ſuccũbere oneri, niſi hoc munus magno ac præpotenti in li
teris uiro cõtigerit. Porro nullũ maius uitiũ in tanto notauerim uiro
quam illud: quod raro quempiam ſui ſæculi laudaret, quanquam om
ni ex parte conſummatiſſimũ eminentiſſimumq́;. Percontãtibus quid
de hoc, uel de illo, ſummis noſtro æuo me Hercule uiris ſentiret,
omnibus hac una ferè uoce reſpondebat: Sibi ſcire uidentur. Quod
ſi in hoc nõ erraſſet, ut ſupra fidem errauit, unus penè poſt hominũ
memoriã uere & iure laudãdus eſſet. Verũ non omnia (ut Neſtor ille
apud literarũ parẽtem Homerũ inquit) data ſunt hominibus ſimul.
Sed quoniã in Homeri cœleſtis ingenij Vatis mẽtionem incidimus,
non alienum erit ſubtexere, quantopere delectatus ſit, in legendis
diuini huius Poëtæ libris. Rogãti cuidam quò ſe cõferret ad Amaſiũ
reſpondit, ſignificans ſe Homeri Poëſim, qua plurimum delectaba-
tur, uelle tum legere. huiuſce etenim ingenij felicitatẽ uſq; in tantum
laudabat, ut iureiurando affirmaret, eum non hominem, ſed ex Dijs
unum fuiſſe, qui olim uixerit inter homines, donec illa diuino ſcribe
ret carmine. Dicere etiam ſolebat immutabili æternitate perpetu-
um fore Homerũ, Deosq́; ipſos potius perituros eſſe, quam ipſa Ho-
meri Poëmata. Moritur uero Codrus Bononiæ, in Cœnobio Diui
Saluatoris, quò ſe, cum aſthmate inexplicabili affectus decubuiſſet,
exportari uoluit, ibiq́; ſepultus eſt, annum agens circiter quartũ &
quinquageſimum. quem quia ex ſexto nouenario conficitur, ſcanſi-
lem uocant annum, mala generi mortalium minitantem. Cadauer*

eius

*eius populari ſandapila per diſcipulios benignè operam pollicentes, elatum eſt, comitante toto ſcholaſticorum cœtu. In eius autem ſepulchro, ut ipſe mandauerat, cum extremis ſuis conſuleret, me hoc curante inſculptum eſt: Codrus eram. A pleriſq; quidem Epitaphia in Codrum graphicè & eleganter ſcripta fuere, ſed præci pue ab duobus clariſſimis uiris, Hermico Caiado Poëta Luſitano, & Philippo Beroaldo Iuniore, quos ego uiros ob eorum beatiſſimam ingenij magnitudinē ualde & amo, & exoſculor, dumq; uiuā amabo. Quàm uero ſuis omnibus charus fuerit, mœrore funeris iudicatū eſt, huius nanq; uiri mortem, bona quidē diſcipulorū pars lachrymis proſecuta eſt. Sed fratris Petri Antonij uerba, quæ ſupra defuncti corpus habuit, aſtantium ora in lachrymas ſoluerunt. Multa etenim primum queſtus eſt de humana rerum conditione, deinde ſupra modum cum animus eius doloris æſtu conflictaretur, Deum lachrymabundus precabatur, ut longiorem ſibi uitam eriperet. hinc itaque diſcipulorum effuſi gemitus, hinc fraternæ lachrymæ, miſerabilis facies. Quæ omnia, quotiens mihi in mentem ueniunt, uix lachrymas, ut eſt fragilitas humana, continere poſſum. Illud quoque præſagij loco notatum eſt, quod in uulgari ſermone quodam habuit apud diſcipulos ſuos, pridie antequam animam efflaret, cuius ſermonis me participem factum eſſe gaudeo, quem ego pro ingenij uiribus literis mandabo. Diſcipuli enim decurrentibus per ora lachrymis, Codrum diu, cumq; omni precationum ambitu ſupplicabant, ut priuſquā moreretur aliqd eis mādaret, quod ſe dignū foret. Quanquam durus ille & inexorabilis, demiſſo in terrā uultu ptinax ſilentiū retineret, illi tamen genibus flexis, ſummiſſaq; uoce hortari, monere, per Chriſti mortem precari, nunc unus, nunc plures, non abſtiterunt, antequā obſtinatū uiri ſilentium fregerunt. Horū itaq; precibus uictus, defatigatusq;, in hunc fermè admonitoriū Sermonem eripuit. Viciſtis me inquit, diſcipuli, nihil aliud, poſtquam ita cordi uobis eſt, mando, niſi ut Deum in primis colatis, uitam*

*perficiendo bonam uſq; ad ſenectutis limen,quod ſi feceritis,inueni
etis profectò uerißimum illud eſſe Furij Camilli Dictatoris, qui cùm
Populum Romanum pro concione alloqueretur, longo uerborum
meatu oſtendit,omnia proſpere aduenıſſe diuina ſequentibus numi
na,aduerſa ſpernentibus. Mementote etiam num diebus ſingulis,
mortales uos eſſe,hanc humanam uitam nihil omnino eſſe arbitran-
tes.Quod autem nullius momenti hæc miſera ſit uita, documento ip
ſe ſum.Animam uero immortalem eſſe cenſeatis, propterea mala ſi
feceritis,non lætamini,ſed dolete,ne poſt corporis ſolutionem ani
mæ ueſtræ æternis ſupplicijs crucietur. Deus enim è cœlo terrena
deſpectans,modo in uita,ſæpius poſt mortem nocẽtes punire ſolet.
Nimiũ corporis cultum,quia id fragile,mortale,& mille caſibus ob
noxium natura parens fecerit,nimias tum etiam diuitias,genus,for
mam,uires,& cætera q̃ Fortuna dat,deſpicite,quandoquidẽ hæc ani
mum humanum inſatiabilem reddunt.Non inſcitè illud à pleriſq; di-
uinarum rerum ſcriptoribus ad cohibendã hanc habendi libidinem
dictum uidetur,qui omnes uno fermè ore clamant:Quo plura habe
bitis mortales,acrius quæ non habebitis,cupietis. Præterea ipſi le
gendo inuenietis, multa dicta ſunt,ab hiſdem illis ſcriptoribus de
contemnendis rebus humanis: animæ uero curam quæ inſeneſcibilis
eſt, uiuitq; ſemper, apertis, ut aiunt,brachijs amplexamini.Nam ſi
eius curam ſuſcipietis,& circa propria eius bona uerſabimini,ueri
eritis homines,quia anima homo eſt:corpus uero, ut ſapientiæ ſtu-
dioſi diffiniunt,hominis,id eſt,animæ,uas & inſtrumentũ.Qui cor-
pori & animæ inſeruit,neceſſe eſt ut alterum curet, alterum negli-
gat,& hæc ad cœleſtem uiuẽdi normam ſatis ſint. Quod uero ad
ſtudia attinet ueſtra,Filij uerbis meis attendite diligenter,ac illa pe
nitißimo corde tenetote.Præcepta quæ ego ſæpißime apud uos ha-
bui,ſi in præſentia referre uellem,breuißimum temporis curriculum
me prohiberet. ſexcentæ nanq; ad eam rem partes poſſent cólligi.In
uniuerſum,ne nudi omnino abeatis,hoc uobis pro autoritate,qua do
ctor*

*ctor apud diſcipulos pollere debet, præcipio, ne quid unquam putetis ſcire, quod neſciatis. Nihil eſt enim mihi credite, quod æque fugere debeatis, qui ad ſumma peruenire cupit, ac uanam & arrogantem de ſe perſuaſionem, falluntur nanq;, dum fallere uolunt. nec unquam erubeſcatis ea addiſcere, quæ ignoratis. Mea ſemper diſcipuli hæc una fuit ſententia, nullam rem eſſe tam fœdam, quam non turpiſsimum eſſet ignorare. Accingendum eſt præterea ad eam, quam ſæpiſsime dixi uobis aſsiduitatem dicendi, exercitationemq́;, ſine quâ nihil magna laude dignum conſequi poſſumus. Multa quidem ſuper hoc dicenda eſſent, ſed hæc ſumma eſt, ut in primis ſit uobis amor, curaq́; uirtutis, quã nullis machinis, nulla uentorũ ui ſubuerti poſſe cognoſcetis, ſi animis ueſtris memorabile illud, ac immortale Stilphonis dictum reuocabitis, qui cæteris bona Fortunæ aſportantibus, rogatus à Demetrio an aliquid ſuarum rerum ſibi quiſquam militum eripuiſſet: cui Stilphon, haud equidem inquit, neminem enim ſe uidiſſe ſcientiam auferentẽ aſſeuerabat. Idem ferme de Biante ſcriptum inuenietis, qui capta patria, cum admonitus eſſet à quodam, ut bona ſecum & ipſe aſportaret, ſe id facere affirmabat, omnia ſua dicens portare ſecum. O præclarũ reſponſum, & docto homine dignum, exiſtimabat etenim uir ille ſapientiſsimus nihil ſuũ eſſe, quod eripi, quod amitti poſſet: ſed potius ea eſſe Fortunæ ludibria, quæ nos bona uocamus. Quapropter nil homini magis expetendum eſſe uidetis, quam ut uitam ſuam optimarum artium ſtudijs excolat, hæc ad ſplendorem, hæc ad decus, hæc ad gloriam nos perducit æternam. Non pluribus uerbis opus eſt differere, quam bene, & quam fideliter ego uos, cæterosq́; omnes diſcipulos meos ſemper & ubiq; edocuerim. Si doctrinã meam uero pectore admirari ſoletis, quæ utinam digna eſſet opinione ueſtra, ite non tam pedibus, quam mente meam in ſententiam, & orate Deum, ut mei ſimiles eſſe poſsitis. Si ego de me apud uos glorior, iure glorior. nam uos meæ huius gloriæ futuri eſtis hæredes. Ego die craſtino ueſtra utar opera, id honoris Dei im-*

mortalis cauſa libenter agite. Supereſt, quod à Deo immortali impe-
tratum uelim, ut uos perpetua felicitate fruamini. Ego qdem cæte-
ris lætus, ſed hoc uno torqueor, quod immatura morte præuentus,
meritas uobis grates, pro tantis in me beneficijs perſoluere nõ pote
ro. Vltimũ admonitorij ſermonis fuit, ſe pluribus uerbis illos, quam
uoluiſſet fatigaſſe, eſſe reliquum, ut ſi quid erroris, uel qui uoce uel
facto erga illos per imprudentiã admiſiſſet, ueniã fragilitati huma-
næ darẽt. Cũ finẽ dicendi feciſſet, diſcipulos magna pietate, atq; la-
chrymis amplectẽdo dimiſit. Ad hæc illi nihil reſpõdentes, ſed lachry
mantes abiere. Vnus tamen dolorẽ uix triſti animo premẽs aliquan-
diu perſtitit, hunc ergo cum uidiſſet ſublachrymantem blanda ma-
nu prehendit: Vultus tuus fili mi dicens, neſcio quod ingens malum
præ ſe fert, non lachrymis opus eſt, quæ nullo uſui ſunt, ineuitabile
enim fatũ eſt. Cum diẽ obiret, ne & hoc ſilentio inuoluã, breuẽ ora
tionẽ habuit, in qua diſſeruit mortẽ eſſe ſummũ bonum. Queſtus eſt
etiam ſæpius, quod antequam moreretur ea literis mandare non
potuerit, q̃ animo deſtinauerat. Cũ quiſq; rebus futuris ignarus ſit,
nõ expectet incerti euẽtus aleã. Verba ipſius ſunt, ſi ego inqt moriar,
nam propè ineluctabilẽ legẽ Fati mei adeſſe ſentio, heu quod bona
mecũ interibũt. Cæterũ quãtus uir ille fuerit, atteſtarẽtur Codri Anti
quitates, q̃ niſi mors, quæ humana plerunq; irrita facit approperaſ
ſet, nũc in manibus omniũ haberentur. Sed proh dolor, inuidit tantæ
rei cœlũ, quid aũt ſcripturus eſſet in his Antiquitatibus ſanè ignora
mus, opinamur, ſi diutius uixiſſet, ſcribere uelle arcana quædã & re
cõdita, tã Græco, q̃ Latino ſermone, nam paſſim in marginibus libro-
rum, in qbus ſtudere ſolitus erat, eius manu ſcriptũ inuenimus, Vide
Codri Antiqtates, ſæpius etiã ibidẽ citat ſecundũ uel tertiũ Antiqui
tatũ librũ. Fabularũ opus nec nõ ſe ſcripturũ eſſe, in primo eius Ser-
mone notauimus. Omnino meminiſſe debemus id quod à multis ſæpiſ
ſime uſurpatũ eſt, Quod cuiq; faciendũ eſt, ſero facere ne incipiat.
Clamat Chriſtus Deus noſter in hãc propè ſententiã, quanquã ſen-
ſus ille

*ſus ille ad altiora ſit referendus, Eſtote parati, quia neſcitis diē neq; horā. Cauſam ualitudinis unde cōtraxerit, diuerſitas tradentiū ambiguū reddit, mihi ipſe eadem de re interrogāti reſpōdebat: ingruere morbū cœpiſſe, ſumpto ſemel tantū lautiore cibo. alij uero aliter. Sed ea quæ diſcrepāt, in mediū relinquā. Aſpergebatur eius frater infamia, quaſi mortis cauſa tāti uiri extitiſſet. Nam cū ægrotaret Codrus arcæ nūmariæ clauē nocte clam ſurripuiſſe fratrē è puluinari nō de ſunt q affirment, quod ubi Codrus animaduertit, in tantam aiūt inci diſſe animi anguſtiā, ut duobus diebus cōtinuis, antequam animam efflaret, nihil ferme aliud uociferaretur, quam ut ſcrinij clauē ſibi darēt. Libet exclamare cū Poëta eminētißimo: Quid nō mortalia pe ctora cogis, auri ſacra fames? Circa Chriſtianū dogma, ſi nō re, ſaltē uerbis plerunq; claudicabat. Rogātibus amicis qd ſentiret de immor talitate animæ: neſcire ſe reſpōdebat, qd poſt mortē de ſe futurū eſ ſet, uiueret'ne animus, ſiue anima, an interiret unà cū corpore. quæq; de inferis homines prædicarēt anilia dicebat eſſe quædam terriculamēta. Extat in eū Epigrāma nobile amarißimis ſanè uerbis exprobrās, quod nō recta de Chriſto ſentiret, de inferis, de immortalitate animæ. Eccleſiæ tamen ſacra, cum ad ultimum uitæ finē ægrotaret, ipſemet petijt. Nā cum ad ſe Chriſti corpus per ſacerdotem afferri uideret, pectus manibus atque ora, pœnitentis in modum percutiens, miſerum ſe eſſe profitebatur, & nunquam ſapientem, qui ductus eſſet per omnem ferè uitam à tanta animi cæcitate, oculis deinde ac manibus ad cœlum ſublatis, Virgo Regina inqt, quæ cœlum incolis, fer quæſo opem miſero peccatori, noli me qui tuum in ſinum confugio, ſupplicem reijcere, ſi unquam peccantem hominem uoti reū feciſti, ſic mihi extrema oranti dextrā ab alto porrigas oro. Interrupit orationē diſcipulorū gemitus, obtortæq; ſunt omnibus lacbrymæ. Sacerdos uero apprehēſa eius dextra, nomine ipſum cōpellans, Codre fili mi ait, bono eſto animo atq; intrepido, nec Dei miſericordiā deſperes, placabiles enim ſunt ſenſus bonorū. Deus, qs dubitat, bonus eſt, ergo deus placabilis. In ultimo limine uitæ te ſum-*

mus iſte rerum conditor Deus collocauit, penes quem omnium re-rum eſt arbitrium. Quamobrem te quæſo Codre, nunc uirilem ani-mum, nunc ualidas ſapientis animi uires oſtende. Inter hæc omnes ad Deum ſupinas manus tendentes pleni lachrymarum in genua procumbebant: Codrus uero multis & ipſe cum lachrymis cœleſtem illum panem uenerabundus manducauit, Deo & ſe animamq; ſuam cõmendans. Nocte, quam is ultimam in terris egit, ſignum alienatæ mentis oſtendit, uidebatur enim ſibi uidere quẽdam ingenti magni-tudine, capite raſo, barba ad terram uſq; promiſſa, ardentibus ocu-lis, faces in utraq; manu geſtantem, ac toto corpore tremebundum. Hunc pauore uerba dictante his alloquitur uerbis: Quis nam tu es? qui ſolus furiali habitu, ea noctis parte qua mortales ſomno altiſſi-mo premuntur, deambulas? noli ad me, qui Dei amicus ſum infeſtus accedere, effare quid quæras? quo ire pergas? hæc cũ dixiſſet è ſtra-tu proſiluit, quaſi illum in ſe irruentẽ uitaturus. Codri auditores com-plures ſane fuerunt, ſed præcipue exiſtimationis, Ioannes Baptiſta Palmarius, quem unicè dilexit, Cornelius Volta, Camillus Paleottus, Antonius Albergatus, & Peregrinus Blanchinus conſobrinus me-us, iuuenis altæ admodum indolis, qui, heu miſeram mortalium con-ditionẽ, acerbiſſimis raptus eſt Fatis. Tuam mi cõſobrine memoriam ſumma cum beneuolentia in pectore habeo, eritq; æterna, dum uita ſuppetet. Dehinc Philippus Beroaldus Iunior, qui plublicè legendo poſt Beroaldum Maiorem primum obtinet locum. Auguriorum hoc quoq; æuo, nemo magis fuit obſeruantior, ea etenim exiſtimabat Di uina quadã cõſtare prouidentia. Si quando eius puero lucerna ex tingueretur, caue, caue tibi miſer alte proclamabat: retrogredere, ingens nanq; tibi imminet malum, & ita ſi quid opus erat, ipſe pera gebat, ne puer ille periclitaretur. Prodigia nec minus, ſi qua uulgo eſſent nunciata, malum uel ſibi, uel cuius literarum Profeſſori Fa-ta minitari arbitrabatur. Innumerabilia fuerunt eiuſmodi, quæ ſi uellem in unum librum ſeparatim congerere, tamen in anguſtijs

uerſarer. Codri cognomen hoc modo traxit: cum eſſet Foriliuij, accidit ut Princeps Foroliuienſium Pinus Antonio ſe cōmendaret in uia forte ſibi obuiam facto, cui Antonius ſubridens, Dij boni inquit, quam bene ſe res habeat uidetis: Iupiter Codro ſe commendat, hinc omnes eum mutato nomine Codrum appellauerunt. Sunt qui tradāt, obſcœno puerorum amore eum fuiſſe inſanum. Sed age hæc, & alia, quæ à maledicis hominibus falſo obiecta ſunt omittamus, ne uideamur de his rebus loqui libenter, quæ natura ſemper odimus. Talium enim hominum cœnoſos mores, atq; ſermonem quotiens audio, taciturnitate, & rubore oſtendo eum me ſermonem iniquo ferre animo. Ex amicis maxime dilexit Protonotarium noſtrum Galeatiū Bentiuolum, cuius laudes tum carmine elegantiſsimo, tum ſoluta oratione æternitati conſecrauit, de quo illud memoratu dignum dicere ſolebat: niſi Galeatius eſſet, non eſſem ego. cuius tum etiam Patrem Ioannem Bentiuolum ueriſsimis laudibus extollens, Bononienſium extremum appellabat. Mimum quoq; Roſcium celebratis monumentis à Beroaldo laudatum ſummopere dilexit, quem literatorū omnium aſylū appellare cōſueuerat, pluresq; eſſe Mimos in Bononienſiū urbe deſiderabat. In cæteros aūt, ut erat natura inconſtans, ſe uarium exhibebat, hunc modo humaniter, benigneq; excipiens, modo ipſum illum ſi horam interponeres, faſtidiebat. Dicere etiā ſolebat, in hoc ſe tantum ueros habere amicos, quia uerba quæ nullo pretio emerentur, liberaliter darent, quod ſi aliquo ſibi caſu opus fuerit iiſdem illis uti, tum maxime intellecturum quāta amicorum laboraret inopia. Poſſem hic quidm exemplum referre, quod nunc ſuccurrit, ſed parce quædam, quædam autem pleno, ut aiunt, dicēda ſunt gurgite. Cæterum nos ipſius quoq; Teſtamentum legimus, quod ex tempore triduo antequam animam ageret, ipſemet condiderat, cuius initium ita eſt. Ego Antonius Vrceus Cortheſij Vrcei iam filius, uitam & ſalutem ab immortali Deo ſpero & opto, ſed cum res humanæ fragiles ſint & caducæ, & ſcanſilis annus qui fit ex ſexto nouenario malum

*mihi minetur, dum memoria & ingenio promptus ſum & ualeo, ita de rebus meis diſponi uolo. In primis animum meum, ſeu animam, Omnipotenti Deo cõmendo, per eius uerba ſic dicens: In manus tuas Domine cõmendo ſpiritum meum, quem quidem animum ſemper immortalem duxi contra Epicurum oſcitantem, & eos qui ſub Chriſtiano nomine nihil Chriſtiani agunt: corpus uero Templo Sancti Saluatoris ornatiſſimo & religioſiſſimo cõmendo & trado Bibliothecæ eius opus quoddam ſancti Baſilij in membrano ſcriptum, uetus & magnum è Conſtantinopoli apportatum dono liberaliter & trado. Decimas uero pro animæ meæ ſalute ſoluendas, libras uiginti Conuentui Sancti Saluatoris prædicti, hoc eſt decem pro ſepultura, decem pro ſalute animæ meæ. Item pro male ablatis uolo libras decem dari, & exolui ſpurijs ſine patre uiuentibus. Patrimonium aũt meũ Ioanni Sacerdoti, Ludouico ſcholari ſtudenti in Iure Pontificio, & Amadeo iuueni, fratribus meis ex alia matre natis pari portione diſtribuendum uolo. Sororibus autem Catharinæ, Lucretiæ, ne ſe præteritas putent, quinq; libras cuilibet earum lego. Petro Antonio fratri meo uterino & germano in alijs rebus prouidebo. Caſſandræ uxori fratris Petri Antonij decẽ libras lego. Et Lianoræ fratris filiæ centum libras nomine dotis cõſtituo, quas ad hæredem meum redire omnino uolo, quem infra nominabo, ſi Lianora ipſa intra tempus teſtandi moreretur. Omnium aũt bonorũ meorũ, ſiue ueſtes, ſiue libri, ſiue pecuniæ argenteæ, uel aureæ ſint: præterea omnium ſuppellectilũ quæ ad me ſpectant, uniuerſalem hæredẽ relinquo, cum ſumma pace, benedictione, & oſculo Petrum Antonium germanum & uterinum, ut ſuprà dixi, cui præcipio & mando omnia ſuperiora legata perficiat, & libros Græcos alienos mihi traditos reddat, & pecunias inde extractas debitoribus ſoluat in animæ meæ ſubleuationem.*

# ANTONII CO DRI VRCEI LIBRORVM INDEX


Achilles cauſam peſtilentiæ cognouit pag. 107
achilles mortē Patrocli miſere deflet 83
ægritudines populares ex ſole pag. 107
ætas media quid 217
ætas priſca habuit fortes & magnanimos 224
ætas uxoris tempeſtiua 130
ætas hominis triplex 217
ætas Homeri 176
ætas omnia fert 6
aëris qualitatem ſolent ſequi ingenia 242
aëris temperies ſanitatis præparatrix 109
ager felix omnia producit 209
agriculationis dignitas 209
agricultura & utilis & honeſta pag. 110
amantium querela 9
ambitoſi in titulis & honoribus pag. 73
amor nullis herbis medicabilis 9
amor uxoris & meretricis non ſunt comparanda 126
amor habet duo extrema admodum uitioſa 236
amor rebus omnibus anteit 125
amor omnia ſuffert 126
amor maternus incredibilis erga filium 127
amor nullus in nobis 50
anima quid 63
animæ uitijs decoloratæ dabunt pœnas poſt mortem 152
anima facit hominem 3
animi uirtus ueritas 149
animos hominū qđ excitat 91
animus afficitur quatuor perturbationibus 149
animus fortitudinis 252
animus quibus uerum perſpicere poteſt 150
animus hominis quicquid optare poteſt in Homero inuenit 250
animi defectus remedium eſt refrigeratio 109
animi perturbationes ſedare uult Codrus 1
animal libidinoſum fœmina 234
animal nullum pulchrius puella pag. 125

animal nullum ſine uſu aquæ uitam ducit 120
animali cuilibet quiddam proprium datum à natura 239
antipater Poëta Epigramma de Homero ſcripſit 176
antonij Galeati ingenium nemo ſatis admirari poteſt 128
antiquitatis amantiſsimus Vergilius 2
antropophagi ueſcuntur humana carne 70
apuleij & Luciani aſinos Codrus habet in manibus 1
apuleius in aſinum mutatus 3
aquæ uſus 120
aranearũ telis ſimiles ſunt leges pag. 70
ariſtoteles quinq; elementa exiſtimauit 105
ariſtoteles monet audire Heſiodum. 208
ars nulla ſtabilis 7
ars conſiſtit in faciendo 150
artes liberales nullam habent certitudinem 13
artes liberales è Græcorũ fontibus emanarunt 190
artes liberales numero ſeptem pag. 190
artes omnes ſunt fabulæ 15
artium ac ſcientiarũ magiſter Homerus 174
aſtrologorum negocium 55.56
auaritia omnia ſubuertit 231.232
auguſtini dictum de forma 88
aureæ ætatis cauſa fuere paſtores: 186
aures faciles ad maledicta 239

B

Barbarica res eſt clamor 106
bonum ſummum quid 63
bonum ſummum poſuerunt Philoſophi in ſilentio 106
bonum ſummum dixerunt Philoſophi eſſe ſcientiam 248
bonus & fidus quis 211
bononienſis urbs formoſiſsima pag. 88
bononienſes patria lingua ſenes barbas appellant 6
Cadauera mortuorum quomodo tractata 74
caluariæ mortuorum in quo uſu fuerint: 74
carmina ſuperinſcripta tumulo Heſiodi 208
cato integer uitæ fuit 89
cœlum ipſum fabulis plenũ 74
cerebrum & cor prima membra in core

in corpore humano 245
cæſar Pompeium & conſules ce-
pit 81
cæſaris filia Iulia è partu mor-
tua eſt. 80
chirurgus nullam habet ſtabilita-
tem 13
cibus & uinum dant uires & fi-
duciam 108
cibi mediocrem ſomnum indu-
centes conſeruãt formã 88
ciuilitatis iuſtæ ſpecies tres 107
clamor eſt res barbarica 106
claudi quare libidinoſi 228
codrus timet cõmutari ſuum no-
men 1
codrus Poëtas Græcos iubet uer-
ſare in manu 211
codrus pulchritudinem fauora-
bilem eſſe oſtendit 85
codrus felicem ſe dicit ſi liberis
non careret 130
codrus nebulones uocat q̃ ſe ſta-
tim prædicant eſſe Gramma-
ticos 96
codri ingenium alienũ à maleuo-
lentia ac maledicentia 93
codrus Homerũ audire & ediſce-
re admonet 112
codri impium dogma 118
codrus ſine uxore uitã degit 129
codrus ſubiratos perſenſit ſibi
eſſe quoſdam medicos 92
codrus 18. librũ Homeri ſe lectu-
rum promittit 83
codrus ſecum philoſophatur 58
codrus cõprehendit omnes ocio-
ſos tam diuites quam paupe-
res 71 & 72
codrum iuuenis hortulana bar-
bam appellat 6
codrus omnes uitæ humanæ par-
tes eſt examinaturus 1
codrus omnem uitam hominis ta-
xauit 69
codrus demonſtrat fabulam eſſe
noſtram uitam 5
codrus habet in manibus aſinos
Luciani & Apuleij 1
codrus animi pturbationes uult
ſedare 1
codrus oſtendit quomodo fiat
tranſmutatio 3
concordiæ proprium eſt omne
bonum 104
coniugatorum lamentationes 11
& 12
coniugium genus ſeruitutis 114
cõuiuia quid edant & ferant 11
cor & cerebrum prima membra
in corpore humano 245
corporis pulchritudo quonã mo-
do poſſit

do poſſit ſeruari 94
corporis nimia pulchritudo miſeria eſt 329
corporis bona quidam ponunt uires 103
corporis humanis liquores duo gratiſſimi 108
corpus pulchrum 85
corporis grauati remedium eſt ſomnus 108
corporis humani mẽbra ſunt duplicia 109
corpus quid 101
corporibus certis continentia nimia nocet 123
corpus non facit hominem ſed anima 3

D

Demarchus Parraſius in Lupum ſe conuertit 2
deus noſter redẽptor uſus tranſfigurationibus 3
dialecticorum negotium 53
dialectici ſunt fabulæ 53
dij curant & non negligunt mortales 94
diſciplina liberalis Græca nomina ſeruant 168
diſciplinis puer quando tradendus 131
diſcordiæ propriũ eſt omne malum 104
diuinarũ & humanarũ rerũ imago Homeri poëmata 94
diui unde multi dicantur 4
diuortia unde fiunt 13
docti uiri rogandi non contemnendi 50
dominatio multorum non eſt bonum 104

E

Elementa quinq; exiſtimauit Ariſtoteles 105
eloquentes qui 214
eloquentia eſt uirtus 214
epigramma de Homero 176
error non defenditur inuehendo pag. 51
euclionis querela 12
excrementum duplex 229
exercitijs utendum præcipit Homerus 109
exercitium nullum ſtabile 7
experientia fallax 15

F

Fabulæ omnes fuere & ſunt qui in tenebris ſedent 5
fabulæ ſunt Hiſtorici 52
fabulæ ſunt Dialectici, Rhetorici, Oratores 53
fabularũ Græcarũ interpres Codrus

fabulæ

*fabulæ ſumus uiuentes* 5
*fabulæ ſunt omnes ſectæ* 65 *& 66. &* 67
*fabulæ quare inuentæ* 182
*fabulam eſſe uitam noſtram Codrus demonſtrat* 5
*fabularum inuentrices uetulæ* 6
*fabulæ ſunt noſtra tempora* 7
*fabulæ ſunt omnes artes* 13
*fabularum ſpecies* 182
*fabula laici ueritas* 17
*fabula quid.* 5
*fabulæ uariæ de coloribus & nominibus colorum* 65
*fabulis humana natura delectatur* 75
*fabularum parens* Homerus 1
*fabulatori bono opus qđ ſit* 46
*fabulis plenũ ipſum cœlum* 74
*fabulæ quantarum uirium* 183
*fabuloſi & uani ſunt pictores* 52
*fatuus & inſenſibilis qui nihil amat.* 126
*fides magna res* 211
*filij quare ſimiles matri* 230
*filius ſapiens lætitia patris* 127
*fiſtulam quis inuenerit* 84
*fœminæ quædam magnas opes abſumunt* 115
*fœminæ agreſtes & opifices fabulę*
*fœmina animal ualde libidinoſum* 234
*fœminarũ nugæ, inuidia & malignitas* 12
*fœminæ pudicæ et modeſtæ quæ pag.* 122
*felicem ſe dicit Codrus ſi liberi non deeſſent* 130
*fœminæ noſtræ ſimiles ſacerdotibus* 115
*fœminarum intemperantia* 155
*fœminæ ſunt mendaces* 160
*fœminarũ indignationes & ira pag.* 115
*fœminæ querulæ ac impudentes pag.* 13
*fœminarum improbitas* 115
*fœminarũ Magarũ ars & quid fecerint* 3
*fœminarum querelæ* 115
*forma nutritur ſomno* 88
*fortunæ blandimẽta leuia & inſtabilia* 69
*fortuna antiqui fœminam pinxerunt* 244
*fortunam non undequaq; ſectantes laudandi* 244
*fortuna incerta* 244
*folijs & muſcis homines comparantur* 102

*fortitu*

fortitudinis animus 252
formam quæ corrumpunt 87
forma euaneſcit 11
formoſa puella nihil pulchrius pag. 125
furari honorificum apud Aegyptios & Lacedæmonios 70

G

Gloriam eſſe uitiũ Horatius cognouit 17
gloria eſt uana 17
glorioſus ex ueritate beatus uocatur 17
græcæ literæ plurimũ utiles 168
græciam omnem peruagatus Homerus 95
grammaticorum certamen 16
grammatici nomen ſibi uendicare quid opus ſit 96
græca nomina ſeruant omnes diſciplinæ liberales 168
gula quid excogitauerit 11

H

Hannibal pauper, & diues erat pag. 233
hercules fuit uinoſus 226
herculis nodum nemo cognoſcit pag. 14
heſiodus tria genera hominũ deſcribit 249
heſiodus duxit uxorẽ filiam Amphiphanis 208
heſiodum monet audire Ariſtoteles 208
heſiodi tumulo carmina ſuperinſcripta 208
heſiodus dignior Homero 206
heſiodus uicit diuinum Homerum pag. 207
heſiodi oſſa ubi ſepulta 207
hippocrates princeps medicorũ pag: 216
hiſtorici ſunt fabulæ 52
hiſtoria pulchra quæ ſit 89
homeri Poëmata duo præcipua & admiranda ſunt 93
homeri uerſus ſunt hexametri & heroici 94
homerus omnem Græciam peruagatus 95
homerum omnes Poëtæ tam Græci quam Latini ſunt imitati pag. 112
homerus quicquid animus hominis diſcendi cupidus, docet pag. 250
homerus cognouit Planetas & eorũ domos aliaq; multa 100
homerus naturam humanam ſub duplici fabula complexus eſt pag. 75
homeri librum 18. Codrus ſe lecturum

aurum promittit 83
homeri Poëmata imago diuinarum & humanarũ rerũ 90
homero Heſiodus dignior 206
homerus quis ſit 171. 172. & 173
homerus artium ac ſcientiarum magiſter 174
homerus quando & quamdiu uixerit 176
homerus melodiarum differentias cognouit 105
homerum audire & ediſcere Codrus admonet 112
homerus optimus magiſter picturæ 111
homerus imparia inducit ſuperis ſacrificari 105
homeri ætas 176
homerus fabularum parens 1
homerus præcipit utendum exercitijs 109
homerum diuinum uicit Heſiodus 207
homo quid 101
homo miſer qui ſine doctrina Dialecticorum neſcit ratiocinari pag. 53
homo omnis mendax 152. 153
hominum genus mordax & malignum 49
hominis animus quicquid optare poteſt in Homero inuenit pag. 250
hominum genera tria deſcribit Heſiodus 249
hominis ætas triplex 217
homine nihil imbecillius terra nutrit 7
hominũ animos quid excitet 91
hominum mentes quales 102
homines uerti in lupos fabuloſum 2
hominũ theſaurus eſt labor 188
homini mori dupliciter contingit pag. 137
homines qui dicuntur 152
homo non eſt id quod uidetur 3
homini nihil melius morte à natura datum 179
homo hominem opprimit 121
homo conſtat ex animo & corpore 94
hominem non facit corpus ſed anima 3
homines praui qui 152
homines in beluas mutantur 3
homini longa dies quid conferat pag. 6
homines ſtudent omnes libertati pag. 113
homines folijs & muſcis compa-

...rantur 103
hom:nes nauci gloria tumefacit pag. 17
hom:nes in hac uita tria ſolēt appetere 124
homo quando mutetur in beluam 3
hom:n:bus quid natura tribuerit pag. 217
horatius gloriā eſſe uitium cognouit 17
humana carne ueſcuntur Antropophagi 70
humanam uitam ſub duplici fabula eſt complexus Homerus pag. 75
humanam uitam cōſumit ſuperflua libido 227
humana natura fabulis delectatur 75
humana mutatio facilis 4
humani corporis membra ſunt duplicia 109
humanis corporibus liquores duo gratiſsimi 108

I

Ignis utilitas 120
ignorantia ſummum malum 248
imparia inducit ſuperis ſacrificari Homerus 105
ingenia ſolent ſequi aëris qualitatem 242
ingenium ſummum ſumma quærit amplecti 208
intemperantes qui 227
inutile omne quod præter menſuram eſt 109
iulia Cæſaris filia è partu mortua eſt 80

L

Lactis alimentum mores ſecum uehit 131
lectulo libero nihil iucūdius 117
legi uni ſe obſtringendum 71
leges ſimiles telis aranearū 70
lex quid 69
libidinoſi qui 228
liberales artes nullam habent certitudinem 15
liberales artes numero ſeptem pag. 190
liberales artes emanarūt è Græcorū fontibus 168.190
libertati ſtudent omnes homines pag. 113.114
liberorum propria uirtus eſt ueritas 151
librorū impreſſores fabulæ ſunt pag. 51
linguaces uituperandi 213
literarum cognatio & caſuum pag. 97


literis

literis inſudendum 248
literatorum uirorũ certamen 17
& logici. 54. 18. 19
loquentes qui 106. 214
lucani mors cuidã Morio demandata: lucifer 55 79
lucanus [illegible] Neroni [illegible]
lucanus plenus utilitatis & uoluptatis 89
lucanus captus eſt [illegible] 79
lucretius quid de anima ſenſerit pag. 61
luxus in conuiuijs 11

M

Maio malum nubere 131
malum ſummum quid [illegible]
mali corui malum ouum unde originem traxerit 91
malus & perfidus quis 211
marito infirmo uxor præſtat officia 124
maternus dolor incredibilẽ amorem declarat erga filium 127
matronæ limine contineri non poſſunt 12
medicinæ operã dant ueterinarij pag. 14
medicina eſt fabula 13
medicus multis alijs conferendus pag. 106. & 197
medicina bifariã diuiditur 107
medici cuiuſdam iuuenis certamen cum Codro 48. 47.
& 49
medicina quid 87
medici ſunt autores temperantiæ 216
medicorum ſtudium 240. 241
medicina quid 240.
& 138
medicus nullam ſtabilitatem habet 13
medicos quoſdam ignorantiæ reprehendit Codrus 92
medicinæ præcepta à quibus tradita 197
medium quid 214. 215
medium in omnibus ſeruandum pag. 222
media ætas quid 217
mediũ in omnibus ſeruatur 214.
& 218
medium nullum in malis rebus pag. 237
melodia eſt duplex 105
melodiarum differentias Homerus cognouit 105
membris uigorem adfert oleum pag. 109
mendacium eſt uitium 148.
& 151
mentiri interdum utile 160

Menſula

mentula equitantibus quare erigatur 228
meretrix quid diligat 126
milo Crotoniata triginta panes una cœna comedit 226
mors omnia æquat 87
mortalia facta peribunt 17
mortalium mutatio in animalia 2
mortuorum cadauera quomodo tractata 74
morte nihil melius homini à natura datum 179
mortales Dij curant & non negligunt 94
mores imprimit alimẽtum lactis pag. 131
mulieres ſunt mendaces 160
mulierum indignationes & iræ pag. 113
mulieres querulæ ac impudentes pag. 113.115
mundus quare immortale 73
muſcis cõparantur homines 103
muſica laudata à Pythagoricis pag. 57. 105

N

Natura quid hominibus dederit pag. 217
nebulones uocat Codrus qui ſe ſtatim prædicant eſſe Grammaticos 96
neroni adhæſit Lucanus 79
nuptarum prudentia ac patientia 13
nutrici bonæ habitudinis puer tradendus eſt 131
nutrix ne coëat curandum 131

O

Ocioſos tam diuites quam pauperes Codrus cõprehendit 71
odores .10. 72
oleum membris uigorem adfert pag. 109
oratorum & Rhetorum negotium 53
oratores ſunt fabulæ 53

P

Panis naturalis cibus hominis pag. 108
paraſitica ars unde originem duxerit 104
paſtionis utilitas 185
paſtoria ars quid & unde 184
pater ægrotans per ſuam prolem uidet ſe immortalem 127
paternus amor in filium 127
patrocli mortem Achilles miſere deflet 83
peſtilentiæ cauſam cognouit Achilles 107
phago fuit uoraciſſimus 226
philoſophia quid 62.179.138

philoſo

philoſophus quid curare debet pag. 143
philoſophi ſummum bonum poſuerunt in ſilentio 106
philoſophi uirginitatem damnāt pag. 123
philoſophi uaria ſentiunt de uoluptate. 63
philoſophorū opiniones de anima: 61
pictura quid 111
pictores uani & fabuloſi 52
planetæ habent ſuum mediū 220
plinius ſciendi fuit auidiſſimus pag. 241
plutarchus doctrinæ ſuæ monumenta reliquit 112
poëſis quid 111
poëtas Græcos in manu uerſare iubet Codrus 211
poëtarum negotium 52
poëta Antipater Epigrāma ſcripſit de Homero 176
polla uxor Lucani laudatur 80
pompeium & Conſules Cæſar cepit 81
portentum inuſitatum 69
poteſtatem circularem habet ſol pag. 100
prægnantes oportet curare corpora 131
pueritia quid 217
prudentes conuiuæ in cœna quid agant 174
prudentiæ officium 150. 252
puer quando aſſuefaciendus 131
pueri antiqui quatuor ſolebant diſcere 131
puer quando tradendus diſciplinis 131
puer nutrici bonæ habitudinis tradendus eſt 131
puella formoſa nihil pulchrius pag. 125
pulchritudinis formam quæ ſeruent 48. 87
pulchritudo quid 85
pulchritudinis dignitas à tribus extollitur 84
pulchritudo cauſa multorum malorum 87
pythagoras omnia in numeros redegit 104
pythagoras in magna ueneratione fuit apud diſcipulos 104

R

Reges ſapiunt & delirant 68 & 69
reſpublica inſtabilis 67
rhetorum & oratorū negotium pag. 53
rhetorica diſtat à Dialectica 90

S

*Saluti perpetua conſulendum potius quam breui uoluptati* 121
*ſanguis eſt cibus ſpiritus* 101
*ſanitatis cauſæ ſunt labores* 109
*ſanitatem cõſeruat uictus & aër pag.* 108. 109
*ſanitatis autor eſt medium* 215
*ſapiens filius eſt oculus patris pag.* 127
*ſapientis uiri officium* 116
ſaturni filij. 99. 117
*ſapiens quid amare debet* 126
*ſapienti an ſit ducenda uxor* 113
*ſapiens apud priſcos quinq; modis dicebatur* 140. 135
*ſcientiam ſummum bonum dixerunt eſſe philoſophi* 248
*ſcientia nunquam grauis* 239
*ſcientiæ acquirendæ maioribus maximum fuit ſtudium* 239
& ſeneca. 23. 240
*ſcientia ſpeculatiua in tres partes eſt diuiſa* 98
*ſectæ omnes fabulæ ſunt* 65 & 66. 67
*ſenectus quid* 6
& ſeplaſia 37. 217
*ſenectus eſt morbus* 6
*ſenes barbas appellant Bononienſes patria lingua* 6
*ſenem nõ honorare nephas* 133
*ſenectus apud ueteres in magno honore habebatur* 132
*ſepulturæ uarietas* 74
*ſilentium eſt græcanicum* 106
*ſilentio oportuno nil laudabilius pag.* ſerui 10. 106
*ſimon Samaritanus unà cum diſcipulis ſuis uſus eſt transfiguratione* 3
*ſol quid* 55. 220
*ſol habet circularem poteſtatem pag.* 100
*ſomno forma nutritur* 88
*ſomnus remedium corporis grauati* ſtatij 43 46. 109
*σοφία quid* 135
*ſperma quid* 229
*ſpeculatiua ſcientia diuiſa eſt in tres partes* 98
*ſpiritus quid* 101
*ſponſarum deſcriptio* 9. & 10. 11
*ſtudijs literarum opus eſt longo tempore adhærere* 243
*ſtudioſi qui fuerint in diſcendo pag.* ſupplex 43 241
*ſummum bonum & malum quid pag.* ſplanchnon 34. 63

T

*Tacere utile eſt & honeſtũ* 54
*tarquinius ferox ſororem ſuam* tapena. 68. *uxorem*

uxorem necat 12
temperantiæ autores ſunt Medici 216
temperantiæ officium 253
tempora noſtra ſunt fabulæ 7
tempus anni feturæ aptum 130
terra ſola immobilis 99
terra nihil nutrit imbecillius homine 7
theologorum officium 63. 65
transfigurationibus uſus redemptor noſter 3
transformatio quomodo fiat oſtendit Codrus 3
tullia ferox maritum interfecit pag. 12

V

Varronis definitio de anima 61
uaſa de caluarijs mortuorum confecta 74
uenerea res unde 228
uentorum naturam cognouit Homerus 100
ueritas laici fabula 17
ueritas quid 161. 148
ueterinarij medicinæ operã dant pag. 14
uictus ſanitatem conſeruat 108
uinum modice ſumptũ utile, multum nocet 108
uirorum clariſ. nomen & fama uiuit uiuetq; in perpetuum 5
uiri docti rogandi non tentandi pag. 50
uiri ſæpenumero cum uxoribus male agunt 13
uiri ſapientes quare generant filios inſipientes 230
uirorum literatorũ certamen 17 & 18. 19
uires magnas habet pulchritudo pag. 87
uirgilius amantiſsimus antiquitatis. 2
uirginem ducere ſuadet 130
uirginitatem damnant philoſophi 123
uirtus quid 149. 251. 252. & 253. 255
uirtus quadrifariam diuiſa 252
uiſus ratio uariæ opiniones 63
uitæ integritatem ſeruauit Cato pag. 89
uitæ humanæ omnes partes Codrus examinare & congregare conatur 1 & 5
uitæ tranquillitate nihil ſuauius pag. 141
uita nihil niſi calamitas 7
uitam ſine uxore degit Codrus pag. 229

uitam

*uitium dicitur mendacium* 151
*uitiorum reprehenſio iuſta ac utilis* 64
*uiuentes fabulæ ſumus* 5
*uoluptates omnes ſuperat libido pag.* 125
*uoluptas eſca malorum fugienda pag.* 187
*uoluptas duplex eſt* 125
*uox Venere reuocatur* 123
*uulcanus arma in gratiam Nymphæ molitur* 83
*uulcani clypeus pulcherrimus pag.* 84
*uxor quid diligat* 126
*uxoris moroſæ ac garrulæ ingenium* 113
*uxor an ſit ducenda* 118
*uxoris officiũ erga maritum* 125
*uxorem habere honorificũ* 126
*uxorem habere nihil dulcius* 121
*uxoris ætas tempeſtiua* 130
*uxoris Lucani affectus* 79
*uxoris & meretricis amor non ſunt comparanda* 126

X

*Xenocratis continentia* 226

Z

*Zelotipia cruciantur amatores* 9
*zoilus pœnas linguæ ſuæ dedit pag.* 178

FINIS.

## Errata in Codro.

*Legendum pro legendam folio.20.lin.11. palmis pro palmſi.24. lin.12. ſcripſere pro ſcipſere. fol.34. lin.29. præterea pro pretea fol.50.li.4. omnes pro omnis fol.50.li.5.* Hyginium *pro* Hyginum *fol.51.lin.10.* Hyginius *pro* Hyginus *fol.56.lin.2. Aſtrologi pro* Aſtrogogi *fol.56.lin.25.* Euangelia *pro* Euangela *fol.63.lin. ultima. uehemẽter pro uehenter fol.80.lin.18. orbis pro orbius. fol.73.lin.29. aſpiratas pro aſperatas fol.97.4. ſtimulans pro ſtimulas. fol.115.lin.prima. ducẽda pro ducãda fol.124.lin.19. paßionibus pro paßioni fo.152.lin.16.* Abbatũ *pro* Abbatium *fol.163.lin.5. uenerãtur pro uenarrãtur fol.182.li.29. labio pro labeo fo.183.lin.6. glande pro grande fol.393.lin.14.* In *lacubus pro* Iam Iacubus *fol.393.lin.31. pocula pro pacula. fol.394.lin.5. alloquiturq́; pro alloqtur fo.394.li.23. dedere pro debere fo.396.lin.5. luem pro leuem fol.399.lin.27.*

# ANTONII CODRI VRCEI DE METAMORPHOSI humana in beluas Sermo primus.

*ACcipite lætis animis uiri Clariſſimi Sermonem meum, ſi modo meus eſt: qui ſit è uirorum doctiſſimorum ſententijs concinnatus. In hoc ego fabularum Græcarum interpres de fabulis, tum grauiter, tum facetè locuturus ſum, & omnes uitæ humanæ partes, omnia ſtudia, omnes ſcientias congregaturus ac examinaturus ſum, præbeboq́; uobis hodie merendam ſeu ſilatum quoddam dulce ac ſalutiferum, quod fortaſſe nimias animi perturbationes ſedabit & ad mediocritatem quandam hilaritatis perducet. Dicamq́; adeo familiariter, & quanta breuitate potero ſine ullo fuco, ſine ullis cincinis, ut quiuis puer etiam ſemiliteratus citra faſtidium uerba mea facile percipere potuerit. Quo fato mihi accidiſſe dicam, neſcio uiri Excellentiſſimi ut hoc anno totus in fabulis legendis uerſer, nam fabulas Terentij, fabulas Euripidis, Homerum ipſum fabularum parentē, à quo tragœdia & comœdia duxerunt originem, publicè lectito: & hodie fabulas Ariſtophanis uobis bene audientibus ſum auſpicaturus. non deſunt etiam auditores, qui ſibi fabulas Aeſopi declarari uelint. Præterea ego quoq; quotidie fere Luciani & Apuleij aſinos in manibus habeo, unius breuitatem & inuentum, alterius copiam admirans atq; elegantiam. Quare formido male, ſicut Soſia Plautinus dicit, ne ego hic nomen meum cōmutem, & è Codro fabula ſiue aſinus fiam: quod poſtremum ſi mihi accideret, hi contētioſi admodū ſophiſtæ me cōſpicati uerißime cōcluſionē illā in me effutire poſſent: ergo tu es aſinus. Sed nulli ueſtrum hæc humana metamorphoſis, id eſt, trāſfiguratio mira eſſe uideatur*

*& omnino ἀδύνατον: id eſt, fieri nõ poſſe, cum res noua non ſit, ſed apud maiores noſtros ſæpenumero hæc factitata ſit. unde Lycaona in lupum uerſum fuiſſe legimus. Io in uaccam, Caliſto in urſam, Actæona in ceruum, Hecubam in canem & alios mortales in alia id genus animalia. Dijs quoq; gentium hanc mutationem accidiſſe Giganteo bello receptiſſimi autores teſtantur. nam Iuppiter ſe in arietẽ mutauit. Delius in coruo, ut ſcribit Ouidius. Proles Semeleia capro: Fæle ſoror Phœbi, niuea Saturnia uacca: Piſce Venus latuit, Cyllenius Ibidis alis. Atqui illa figmenta ſunt poëtarum allegorice & ſub ueritatis prætextu ad delectationem decantata. Hoc me latet: Nam Virgilius antiquitatis amãtiſſ mus de quibuſdam herbis Ponticis loquẽs dixit: His ego ſæpe lupum fieri & ſe condere ſiluis Mœrim, ſæpe animas imis excire ſepulchris, Atq; ſatas alio uidi traducere meſſes. Et Plinius Secundus, quanquam homines uerti in lupos fabuloſum dicit eſſe, tamen narrat ex Euanthis autoris Græci ſentẽtia Arcadas ſcribere: Ex gente Ancæi quendam ſorte electum ad ſtagnum quoddam regionis eius duci ueſtituq; in quercu ſuſpenſo tranare atq; abire in deſerta transfigurariq; in lupum, & cum cæteris eiuſdem generis cõgregari per annos nouem, quo in tempore ſi homine ſe abſtinuerit reuerti ad idem ſtagnum, & cum tranatauerit effigiem recipere ad priſtinum habitum addito nouem annorum ſenio: Addit quoque Fabius eandem recipere ueſtem. Et ſtatim poſt ita ſubiungit: Itaque Copas qui Olympionica ſcripſit, narrat Demarchum Parraſium in ſacrificio, quod Arcades Ioui Lycæo humana etiam cum hoſtia faciebant immolati pueri exta deguſtaſſe & in lupum ſe conuertiſſe, eundem decimo anno reſtitutum athleticæ, reſtitiſſe in pugillatu uictoremq; Olympia reuerſum. Hæc eadẽ recitat ex ſententia Marci Varronis Auguſtinus, additq; ipſum exiſtimaſſe Pani Lycæo et Ioui Lycæo nomen eſſe impoſitũ propter hãc hominũ in lupos mutationẽ. Narratq; ſubinde, ſe, cum eſſet in Italia, audiuiſſe quaſdam fœminas Magas in ca-*

*In caſeo ea uiatoribus quibus uellent ſeu poſſent, dare ſolere, unde illi in iumenta uerterentur, & poſtquam neceſſaria quæ illæ uolebant portauiſſent, rurſus in homines redirent manente ſemper in illis humana ratione: ut Apuleius ſibi in Aſinum mutato accidiſſe refert. Et hoc idem Auguſtinus accidiſſe narrat patri cuiuſdam Præſtantij, qui in caballum uerſus annonam inter alia iumenta baiulauit, quæ latius legere licet in libro decimo octauo de Dei ciuitate. Simonem præterea quendam Samaritanum, & Menandrum eius diſcipulum, & Apollonium Thyanæum, & alios nonnullos quibuſdam tranfigurationibus uſos fuiſſe Hiſtorici referunt, quas uobis in præſentia non expono, ne magicam ſuperſtitionem uidear aſtruere quæ uana eſt, & à noſtris repudiata. Illud certe mihi non negabitis redemptorem noſtrum Deum pariter & hominem transfigurationibus uſum. Sed quid antiqua commemoro, cum noſtra tempeſtate huiuſmodi tranſmutationes fieri uideamus. Et ſi dubitatis uerißima ratione quomodo id fiat, ſi attenderitis, demonſtrabo. Sicut anima rationalis & proba formam præſtat homini, & illum diuinitatis participem facit, ſic irrationalis & improba, pecori formam tribuit, & hominem à recto diſcedentem transformat in beluam. Corpus ergo ut uobis oſtendo, non facit hominem, ſed animà. Vnde recte Plato ut reor, dicere ſolebat οὐκ ἐστιν ἄνθρωπος τὸ ὁρώμενον, id eſt, non eſt homo id quod uidetur. Quare uos Codrum non uidetis, ſed faciem, ſed manus & membra Codri. Ergo alienarum opum uiolentus ereptor, lupum ſe fecit, qui inſidiator eſt & fraudulentus: Aſtutam uapido portat ſub pectore uulpem. Qui libidinoſus eſt & ſpurcis uoluptatibus immerſus in hircum ſe uel in ſuem tranſmutauit. Qui linguā hunc & illum mordēdo exercet, canis eſt. Ita & in alias beluas hominē mutari dicimus cum deſerta ratione irrationalē ſumit appetitū. Quod ſi ita eſt, quot lupos rapaces, quot uulpes ueteres, quot rabidos canes, quot inertes aſinos, quot porcas, quot uaccas, quot uiperas per to-*

*tum orbem diſperſas bonis & ueris hominibus nocere credendum eſt? Pythagoras Samius, à quo philoſophia Italica ſumpſit originē μετεμψύχωσιν poſt mortem eſſe aſſeuerauit: at ego μετεμψύχωσιν etiam in uiuentibus fieri uideo, & iam uobis demonſtraui. Non mirum ſit igitur homines mutari, cum & alia multa mutentur. Tempora mutantur, mores mutantur, fœminæ in mares mutātur: et ut etiam leue dicamus, dentes mutantur, & ceruis cornua mutantur. Ex altera uero parte, ut grauiter aliquid referamus, nónne creditis multos homines caſtitate & ſanctimonia uitæ in cœleſtes ſpiritus mutari? multos etiam liberalitate, magnificentia & iuſtitia fieri ſemideos? Indigetēs diui, fato ſummi Iouis hi ſunt, quondam homines, modo cum ſuperis humana tuentes largi ac munifici, ius regum nunc quoq; nacti: ut eſt Heſiodi ſententia. Et ſane quod dicit Plinius uerum eſt: deus eſt mortali iuuare mortalem, hac ratione Iulius Cæſar, diuus dictus eſt, hac ratione diuus Auguſtus, diuus Hadrianus, diuus Antoninus, & alij apud gentes multi diui. Apud nos aūt diui Apoſtoli, diuus Hieronymus, diuus Auguſtinus, & alij plures. hac ratione cum ſummū Pontificē uocamus, Beatiſſime pater dicimus. hac ratione ſenatum Venetianū nomine maieſtatis honoramus, & legatos Venetianorū ſummo loco, medio loco, honoratiore loco ponimus, hac ratione Iohannes Bentiuolus Princeps diuus eſt, & non tantum nobis amandus, ſed etiam præſens eſt adorādus, qui tota Italia tumultu Gallico perterrita, & pleriſq; etiā urbibus aut direptis aut ſubiugatis, nos in ocio ac tranquilla pace ſeruauerit. Iam proximus arſit Vcalegon, imò & multi nobis proximi Vcalegontes: nos uero Rheni noſtri aqua ſalubri, & populo gratiſſima, incēdium à nobis repulimus: ſed de hac re plura alias. Hæc aūt eo dicta ſunt, ut oſtendamus humanam mutationem facilem eſſe, nec admodum admirandum ſiue nouum corpus, ſeu noua forma ſumat. Verum mihi peius eſſet & magis timendum, ſi fabula fierem, quàm ſi aſinus. Fabulam fieri intelligo uitam cum morte cōmutare, quomodo Perſius dixit:*

*us dixit: Cinis & manes & fabula fies. Hei mihi quot clariſſimi ui ri & poëtæ & oratores & reges & imperatores & populi & na tiones nunc ſunt fabulæ? quid eſt Homerus? fabula. quid Plato? fabula. quid Demoſthenes? fabula. quid Alexander Magnus? fabula. quid Scipio Aphricanus? fabula. quid Hannibal Pœnus? fabula. quid antiqui Troiani & Græci? fabulæ. quid antiquiores Aſſyrij? fabulæ. quid Latini Romani & tot Germanorum, Gallorũ, Hiſpanorum & aliarum nationum millia quæ præterierũt? fabulæ. Omnes profe cto qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, fabulæ ſunt. At clariſſimorũ uirorum nomen & fama non in tenebris iacet, ſed etiam num uiuit, & in perpetuum uiuet. Pulchrum certe eſt nomen ſuum apud poſteros fama feciſſe diuturnum: ſed tamen quid tum? cum uita functi aut nihil ſentiant aut maioribus, ut credo, diſtricti rebus, hæc humana curare non poſſint aut nolint: niſi tamen ea geſſerint in uita, quibus in numero deorum recepti ſempiterno æuo fruantur: & hoc non niſi à Chriſto redemptis cõtingere poteſt. De fama ue ro & gloria antequam ſermonem noſtrum finiamus, fortaſſe aliquid diſſeremus. Sed quid timeo, ne moriendo fiam fabula, cum eti am uiuentes nos fabulæ ſimus: & ſi attenderitis ut facitis, quomodo & quare id exiſtimem, uobis breuiter demonſtrabo. Si fabula eſt, quæ nec ueras nec uериſimiles res in ſe continet: quid ueritatis, quid certitudinis habet hæc uita noſtra? quas non potius tenebras, quas non incertitudines? Videamus ſi libet ſingulas noſtræ uitæ partes. Quid certitudinis aut ſtabilitatis habuit pueritia? luſimus nucibus par uel impar, ploſtella traximus, in arundine equitauimus, luſimus aſtragalis, luſimus trocho, luſimus pila. hæc præterierunt. quid certi tudinis habuit adoleſcentia? equitauimus, uenati fuimus, ad philoſo phos ſiue præceptores itauimus, Veneri & cantilenis operam dedi mus. quid tum? fabulæ. At iam uiri facti appetiuimus uxores, natos, diuitias, ſacerdotia, honores. in uxore multæ ſunt moleſtiæ, in filijs plures, in diuitijs anxietates & labores, in ſacerdotijs & ho*

*noribus inuidiæ & odia & ubi hæc ſunt, nulla ibi certitudo, ergo fabulæ.* Paulatim *in ſenium uergimus, quod eſt graue mortalibus pondus, ut poëta* Græcus *ſcripſit:* χαλεπὸν τὸ γῆρας ἐστὶν ἀνθρώποις βάρος *& alter poëta:* γῆρας καὶ πενία δύο τραύματα δυσθεράπευτα. *&* Latinus Comicus*: Senectus ipſa eſt morbus, ſenectute enim uires amittimus & pulchritudinē et ingeniū & memoriam & ſenſus & uoluptates, omnia fert ætas animum quoq; dicit* Maro*. Et quod ualde dolendum eſt, contemnimur, deſpicimur, illudimur, quid autem turpius quam illudi? multi ſunt iuuenes qui te ſenem audent laceſſere, impellere, urgere, & fortaſſe uerberare, quem æqualem ſi non timerent, ſaltem non irritarent. quam uero ſenes fabulæ ſint fabularum initia quæ pueris narrantur docent. Olim ſenex quidem fuit, olim quædam anus, imò & fabularum inuentrices dicuntur uetulæ, & aniles fabulas res falſas ſolemus appellare. Ego nondum ſum quinquagenarius & nec filium, nec nepotem habeo, & iam paterculus & auus à iuuenibus uocor. Superiore æſtate cum per forum herbarium incederem quædam hortulana iuuenis me compellens ô barba, inquit, eme de lactucis meis. Soletis enim uos* Bononienſes *patria lingua, ſenes barbas appellare. tunc me miſerum dixi, qui acceſſu paucorum menſium, pro* Vrceo*, pro* Poëta*,* Barba Codrus *appellitabor.* Videtis *ne ergo, longa dies homini quid conferat? Atqui Cato Cenſorius nunquam ſenectutem ſibi grauem eſſe ſenſit, multiq; alij. Quid creditis uos? At* Cicero *affirmat, &* Codrus *negat.* Nemo *uos ſeducat, nemo eloquentia & dulcibus uerbis uobis perſuadeat, ſenectutem aliquid boni in ſe habere, quæ ab oratoribus dicuntur, ſolatij cauſa dicuntur.* Quid *quod non omnibus natis per omnes uitæ partes ire conceſſum eſt, propter naturæ humanæ imbecillitatem cui ſuper adduntur tot pericula, peſtilentiæ ſcilicet, famis, belli, tot etiam incendia, tot ruinæ, tot ægritudines & corporis & animi, ut ea nihil incertius, & fragilius nihil dici poſſit. bene* Homerus, οὐ-

δὲν

*δὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει, id eſt, nihil imbecillius terra nutrit homine omniũ quæcunq; in terra ſpirant & ſerpunt.* Et Euripides *melius, οὐκ ἔστι ὅστις θνητὸς ἐξεπίσταται τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται, id eſt, non eſt mortalis qui ſciat craſtinum diem futurum ſi uiuet, & paulo poſt ſubiungit: οὐ βίος ἀληθῶς ὁ βίος ἀλλὰ ξυμφορά., id eſt, non uita uere hæc uita, ſed calamitas.* Hanc *ſententiã noſter* Tragicus *æmulatus eſt:* Nemo *tam diuos habuit fauentes. nota ſunt reliqua. ſed hæc prætermitto, quoniam nõ eadẽ mihi ſententia eſt quæ olim* Hegeſtæ *fuit, ut mala humana enumerans, uelim homines ad ſpontaneam mortem compellere.* Imò *uellem & ſummopere mihi placeret omnes homines ad extremam præuenire poſſe ſenectutem, & amplius ſi fieri poſſet nunquam niſi quando quis uellet mori.* Et *ita uos hortor, ut poſtquam in hanc mortalitatis neceſſitatem deuenimus, æquo animo feramus & in gaudijs in uirtute & literis quodcunque æui dabitur, tranſigamus.* Et *ne ſenectutis odio nimis aſpere de ea locuti uideamur, concedamus & ipſam non omnino à natura bonis deſertã eſſe, ſed autoritate conſilio ualere & in honore à iunioribus haberi. quid tum? hæc enim omnia breui inclementia mortis ſurreptura eſt.* Cum *ergo tantam uarietatem tantam inſtabilitatem fieri uideamus in ætatibus, quid aliud ſunt tempora noſtra quam fabulæ?* Conſideremus *nunc exercitia ſiue artes humanas, quæ ars quod exercitium ſtabile eſt?* Mercator *modo emit, modo uẽdit, modo ſoluit quod debet, modo decoquit, modo lucratur, modo non.* Impiger *extremos currit mercator ad Indos (ut inquit* Flaccus*)* Per *mare pauperiẽ fugiẽs, per ſaxa, per ignes.* & Nauta *ipſe nũc eſt in portu, nunc in alto, nũc ridet, nũc plorat. & picta ſe tẽpeſtate tuetur. ædificator ædificat, diruit, mutat, quadrata rotũdis, & neſcit cui ædificet, theſaurizat, & neſcit cui theſaurizet.* Nummularius *ſiue* Trapezita *ſeu* Fenerator *modo pecunias ſcribit, modo reſcribit, nũc ephemeridas, nũc*

abacos

*abacos & ratiocinaria ſua uoluit reuoluit, legit relegit, modo ſupputat, computat, imputat quantum crediderit, quantum debeat: modo fures, modo homicidas, modo incēdia timet & euitat: quo nomine ſunt hæc appellanda? fabulæ. Ac milites ſiue pedites, ſiue equites ſint, ſiue legati, ſiue imperatores exercitus quam requiem, quam certitudinem habent, cum ſemper in laboribus, ſemper in armis ſint, nunc montes, nunc campos, nunc flumina, aſcendant, deſcendāt, metentur, tranſeant, modo mare ſuperum, modo inferum, modo etiam ipſum* Oceanum *à Gadibus uſq; ad aurorā permetiantur: longe à patria, longe ab amicis, cognatis, parentibus, uxoribus, filijs, fratribus: ſemper ad pericula & ad mortem tendentes. Fiant caſtra, fiant foſſæ, fiat uallum, fiant pontes, legantur excubitores, mittantur exploratores, curentur equi, curentur impedimenta, mittantur ſubſidia, relinquantur præſidia. alij, eant frumentatum, alij pabulatum: magni labores & magnæ fabulæ ſunt iſtæ. bene exercitus dictus eſt ab exercendo, id eſt, fatigando. Præterea cum bellorum euentus ſemper ſint incerti, & fortuna maxime in illis dominetur: quid tibi artes militares? quid uires, quid ſtratagemata, quid inſidiæ proſunt?* Recte igitur Homerus ἑτεραλκέα νίκην, *id eſt, uictoriam modo huic, modo alteri fauentem dixit, &* Martem ἀλλοπρόσαλλον, *id eſt, ad aliū & ad aliū euntē & inſtabilem cognominauit: quid ergo his accidit, modo obſidēt, modo obſidētur: modo uincūt, modo uincūtur: nūc uulnerant, nūc uulnerātur. Cum quieſcendū eſt, tunc maxime ad arma clamatur: Arma, arma cape, ſuſcipe, recipe, inſta, uerte, feri, reſpice, caue, fuge. Vah quot tibi clamores uirorum, quot clangores tubarum & cornuum, quot ſtrepitus tormentorum, quanta cædis crudelitas? iſta quid uobis uidentur? fabulæ certe.* Et *quia militat omnis amans, militibus amantes ſubiungamus: & hi quoq; pluſquam fabulæ ſunt. nihil enim illis inſtabilius audire licet, modo amantem, lætum & prægeſtientē.* O *me felicem: ô nox mihi candida & ô tu Lectule delicijs facte beate meis.* Modo *plorantē: Hei mihi quod*

*quod nullis amor eſt medicabilis herbis, Nec proſunt domino quæ proſunt omnibus artes. Modo amicæ iratum, modo reconciliatum, modo noctu ad amicæ fores citharizantem & rythmos concinentem, modo epiſtolas miſſitantem. Hic prætereo Deum illum Cupidinem fabuloſum, à quo ſe uulnerari & uri dicunt amantes. hic Venerem Acidaliam mille curas iniicientem, amica lucernam diſponit, amator natat, alius ſe iugulat, alia ſe pendulam facit. hæc qualia uobis uidentur fabuloſa certe. Nam & ſi tandem uotis potiti fuerint, tamen libidine ſatiati ſeipſos poſtea oderunt, aut ſemper zelotypia cruciantur. Et quãuis fœminas ſuprà iunctim tetigerimus, tamen ſi libet etiam diuiſim earum ſtatum conſideremus. Fœminæ ſi agreſtes ſunt & opifices ſiue opificum uxores aut ancillæ, modo filant, modo texunt, modo purgant agros, domos, uaſa, pannos, nunc ſarcinant, nunc conſuunt, nunc acu pingunt, nunquam à laboribus uacuæ ſunt, niſi fortaſſe diebus feſtis, quibus interdum ſaltant, tripudiant, ludunt, cantant. ſed tamen quid tum? fabulæ. Si uero fœminæ primariæ & delicatæ ſunt, à puppis & cymbalis & crotalis ſuis tranſeunt ad munditias ornatus & unguenta. Hæc ſi ſponſa eſt, procedit ſtibiata, illa fucata, hæc ceruſata, illa berenicata. Sed quando procedit? ſero, tandem progreditur magna ſtipante caterua. Nam fœminæ dum moliuntur, dum comantur, annus eſt: hæc ſegmentis, illa corallis: hæc ſuccino, illa ſpatalibus: hæc dextrocherijs, illa uiriolis & inauribus: hæc anulis, illa unionibus & margaritis onerata cõſpicabilis eſt. Emantur ſericeæ & bombicinæ ueſtes, emantur periſcelides, inſtitæ, faſciæ, zonæ, ſemizonæ, mitellæ, umbellæ, catellæ: emantur ſmaragdi, topatia, pyropi, iaſpides, lyncburia, hyacinthi, carbunculi, dactylothecæ: emãtur adamas in digito Berenices preciosior factus: emãtur tapetia & ſtragulæ ueſtes & aulea: emantur richæ ſeu ſudaria, ſtrophia, palle, uela, uelamina, flammea reticula: emantur uaſa cryſtallina, myrrhina, argentea, aurea, menſæ, trapezophora, delphicæ ſubſellia, ſcamna, fulcra,*

B lecti

*lecti etiã inargẽtati, cultricæ, conopea, toralia, imperialia uaſa, pela-
ues, aquiminaria, candelabra, lucernæ, trullæ, ſartagines, patellæ,
ahena, uaſa, uitrea, ſaguntina, maiorica, Samia: & alia eſcaria po-
toria, armaria, capſæ, ciſtæ, ciſtulæ, ciſtellæ, lodices, lintea ſeu ſindo-
nes.* Emãtur *unguenta foliata ſiue nardina regalia, diaplaſmata &
alia, & cum his alabaſtra & odores etiam ſeu thymiamata, amomũ,
cynnamomum, thura, balſama, opobalſama, myrrha, κύφι & pere-
grini muris pellicula.* Præterea *emantur equi, equulei, manni, multæ
rhedæ, carpenta, pilenta.* Emantur *ad uoluptatem ocioſam pſittaci,
carducles, luſciniæ, picæ, uariæ & glandariæ, merulæ, cuniculi, ca-
nes melitei. ad uoluptatem uenaticam, accipitres, haliæti, noctuæ, bu-
bones, canes uenatici, moloſſi, plagæ, maculæ, & alia retia.* Emantur
*ancillæ, pediſequæ, librariæ, ornatrices, forfices, ſtrigiles, pectines,
ſpecula, flabella, calamiſtrum, diſcerniculũ, manicæ, ſocci, ſandalia,
ſitionia, dentifricia, auriſcalpia, puluiſculus, calliblephara æſopa, py-
xides cum alijs nitellis.* Emantur *ſerui atrienſes, mediaſtini, focarij,
muliones, agaſones, hoſtiarij, cellarij, fabri, topiarij: & alia manci-
pia, & quicquid denique dici aut excogitari poſſit quod fœminam
ſiue domum faciat inſtructiorem. quæ omnia cum empta, cum para-
ta fuerint quantam ſollicitudinem, quantam curam exhibent cum
caduca & fragilia ſint & ſemper refundenda ac comparanda: er-
go fabulæ.* Hic *prætereo notarios ſeu ſcribas, medicos, pincernas,
edeatras, ſtructores: item hortos, uiridaria, uillas, pomaria, piſcinas,
uiuaria, piſterotrophia, chœroboſcia, neſſotrophia, theriotrophia,
melitonas: & alia huiuſmodi quæ reginas & principum uxores
habere neceſſe eſt. Sed age iam ueſper adeſt, acceſſatur noua nu-
pta, heus paranymphi, cum facibus accenſis & aqua prodite: pro-
deant pronubæ, & tu noua nupta ſenſim attolle pedem, tu phry-
gia* Eleuſium *inflate buccas:* Feſta *dicax fundat conuicia* Feſcen-
*ninus. & tu marite ſparge nuces: adipe lupino poſtes mariti per-
ungantur:* Inuocetur Hymenæus, *domiducus, domitius, maturna,
fiant*

fiant oppipara conuiuia, fiant choreæ, ſaltationes Italicæ, Gallicæ, Germanicæ, Gaditanæ, etiam Iudaicæ: In conuiuijs autem, dij boni, non dico quãtum uini dulcis & auſteri & acinaticij & Græci & Leſbij & Maſſici & Falerni: quantum aceti, mulſi, ſapæ, defruti, liquaminis uel gari, muriæ, alecis, ſalis, operis piſtorij, dulciarij conſumitur: quãntum auium, piſcium, ferinæ carnis & urbanæ: quantum laridi, ſuccidiæ, ouorum caſei, lactis, oxygalæ butyri, piperis, zinziberis, cymini, croci, mellis, olei uiridis, aquæ Rhodinæ, mellis arundinei impendatur: quantum bellariorum uel tragematum, ſalgmatum, pomorum, ceræ, lignorum edatur, teratur, comburatur. Apponãtur panes aurati, omnes piſces, omnes aues, omnes fructus ex melle arundineo confecti: fiat minutal, apitianum & aliorum generum: fiant pultes Iulianæ, & aliorum generum: fiat guſtum de oleribus, de cucurbitis, & de alijs rebus: fiant artocreæ, artolagani, teſtuatia, circuli, globuli, cruſtuli: Concidantur Lucanicæ, farcimina, tuccta, pernæ, ſumina, omenta, iſicia omentata: porcus Troianus inferatur, inferatur tetrapharmacum, tripatinum: apponatur moretum, oxyporum, oxygarum, oxyzomum, hypotrimma, & omnia alia quæ ſolers gula excogitauit, quibus nec poſſum, nec ſcio dare nomina. Et poſtquam de fabulis loquimur, addatur nectar, addatur ambroſia & exuperet hoc conuiuium Iulij Cæſaris & Cleopatræ, & antiquorum epulonum cœnas. quid tum? fabulæ. nihil enim inde præter uentris & animi ſaturitatem & lauti nomen conſecuti ſumus, quæ nihili ſunt, & ab hominibus frugi uituperantur. ô prodiga rerum luxuries, & quæ ſequuntur (ut uerisſimè dixit Lucanus.) Eia in thalamũ & lectum genialem eatur: & uos ô iuuenes pariter date plauſum, & bene ominamini. Tu ô ſponſe ſolue ſponſæ zonam diu ligatã: & tibi pedẽ utr.s prominentẽ, date operam oſculis, amplexibus, libidini. quid tum? fabulæ. Breui nanq; tempore cadunt cincini, euaneſcit forma, rugoſus fit parenti uterus & facies ſimul. Sed hic audite lamẽtationes, ſi ſterilis eſt uxor: hei mihi

*moriemur orbi, & alienus hæres nobis ſuccedet: ſi fœcunda, dolor primum in partu, qui quantus ſit Euripidis Medea demonſtrat:* ὡς τρὶς ἂν παρασπιδάσῃ, καὶ θέλοιμ, ἂν μᾶλλον ἢ τεκεῖν ἅπαξ. *quæ uellet ter clypeo pugnare potius quam ſemel parere. & mater mea dulciſſima morte ſua comprobauit: deinde in fœtu ſi fœmina naſcitur, cui locabimus? Hinc illa Euclionis querela: Virginem habeo grandem dote caſſam & illocabilem. Quid ſi quinq;, ſi decem quis habeat puellas, multo maior querela, dolor & anxietas. ſi mas toto uitæ tempore laboramus, ut illum bene nutritum & bene diuitem relinquamus. Sed quid? ſi nec ad pubertatem peruenire poterit: hæc aũt de patribus non admodum diuitibus dicta uidentur. Sed nec etiam ipſi ditiſſimi patres certi ſunt, quales filij futuri ſint, an boni, an mali, an hæredes, an nõ: ergo fabulæ. Vultis ne pauca de nugis & inuidia & malignitate fœminarum. Illa ignobilis nupſit uiro nobili: ego nobilis ignobili: illa purpuram geſtat Alexandrinam & ueſtem holoſericam: ego non. Tullia ferox maritum ignauũ interfecit. Tarquinius ferox Tulliæ ſuaſu illius ſororẽ ſuam uxorem necat: ferox feroci matrimonio iunctus, Rex poſtea factus eſt. Fabia minor Ambuſti filia mea ſoror, inquit, patricio uiro nupſi, ego plebeio in cuius domum, nec honos, nec gratia peruenire poteſt. creetur alter ex plebe Conſul, non creetur clamant patricij, fiat, non fiat. Tandem creatus eſt. L. Sextius primus è plebe Conſul. M. Fundanius & L. Valerius tribunus plebis, ad plebem ferunt de lege Oppia abroganda. M. & T. Iunius & Brutus tribunus pleb. eam tuentur, nec ſe eam abrogari paſſuros aiunt. Matronæ nulla nec autoritate, nec uerecundia, nec imperio uirorum contineri limine poſſunt, omnes uias urbis aditusq; in forum obſident, uiros deſcendentes ad forum orantes, ut florente republica, creſcente in dies priuata omnium fortuna matronis quoq; priſtinum ornatum reddi patiantur. Marcus Porcius Cato & multi alij nobiles nullo modo abrogandam legem cenſent. Lelius, Valerius cum multis alijs contradicũt. Tan-*

*dem*

dem abrogatur. quid tum? fabulæ. Illud dicam ne, an non? quod nuptarū aliquæ ſunt ita ingenio liberali prædite ita prudentes ac patientes, ut omnia incōmoda, omnes iniurias atq; contumelias uirorum ferant. Aliquæ ita impatientes, ita querulæ ac impudentes uel apud matres, uel apud uicinas, ut nunquam quieſcant aut queri aut garrire. hæc maritum ſuum auerſum dicit iacere & lateri parcere: illa ſuum ruptum eſſe aut ſpadonem. Hæc de turpibus membris: illa de paruis queritur. hæc indignatur maritum foris pernoctare: illa domi pellicem habere. Et certe uiri ipſi ſæpenumero cum uxoribus male agunt, & aliqui ita laſciuiuſculi ſunt, ut uxorem atria ſeruantem poſtico fallere conentur, unde Poëta ille turpiter dixit: Dabat hoc Cornelia Graccho. Hinc iræ, hinc diſcordiæ, & ſæpe repudia & diuortia fiunt: hinc lites de ſponſalibus & matrimonijs coram Epiſcopis & iudicibus. Interdum etiam pax & reconciliationes, contentione animorum depoſita interueniūt, quāuis in Viriplacæ ſacellum noſtro tempore non ueniatur. Verūntamen quid tum? hæc omnia fabulæ ſunt. Sed iam hinc diſcedamus ad medicos. Medicus ſiue clinicus ſiue chirurgus ſit, quam ſtabilitatem habet? Viſe hunc ægrum, uiſe illum, reſpice urinam, tange arteriam ſiue pulſum, cauteriza hūc, mitte ſanguinem illi, recipe catapotia, fiant cliſteria, fiant unctiones, fiant balnea, fiant emplaſtra, fiant malagmata, fiant peſſi. Hic moritur, currendum eſt: hic recidit, remedicandū eſt. Medicina, quæ prodeſſe debuit, non profuit: qui debuit excernere, nō excreuit: quo nomine hæc ſunt appellanda? fabulæ. Et meritò cum poſt tot labores & ſumptus uel tūc, uel paulò poſt moriēdum ſit. Præterea cur Aeſculapium deum fabuloſæ ſecto ſcilicet utero matris natum, & poſtea cum mortuum hominem reuocaſſet ad uitam fulmine à Ioue percuſſum dicunt? niſi quia medicina fabula eſt. huic illud addamus, quod pro miraculo Plinius ſcribit: Nullam artium inconſtantiorem fuiſſe, & etiam num ſæpius immutari. At nouimus, dicūt medici, omnes uires & poteſtates elementorum, fructuum, florum, radicum,

*herbarum,ſuccorum,humorum animalium omnium:quæ parens na-
tura produxerit.Vtinã,ſed quid tum? fabulæ.non enim poteſtis his
uirtutibus hominẽ facere immortalẽ,imò quod minus eſt nec ſemper
ægrotantẽ ſanare.Quid quod neoterici medici neſciũt quis ſit digi-
tus medicus,& quare ſic dictus,& an medicus,ſalutaris,medius,in
ſamis polyonima an heteronyma ſint. & neſciẽt niſi à ſcriptoribus
Græcis aut à Codro didicerint.Nodũ Herculis qui cognoſceret non-
dum inueni:quo fortaſſe ſub alio nomine in ligandis uulneribus uti
mini. At eſt ille quo dracones in caduceo Mercurij colligantur:ſed
qualis eſt obſecro,is in caduceo Mercurij?Certe acuti eſtis ingenij:
Nil agit exemplum quod litem lite reſoluit. Omitto hic ueſtras non
modo cum philoſophis,ſed etiam inter uos diſcordias. Nam alij di-
cunt experimentorum tantum noticiam neceſſariam eſſe & ſe empi
ricos uocant.Alij non ſatis potentem uſum eſſe affirmant, niſi cor-
porum rerumq́; ratione comperta, & hi ſe logicos ſeu rationales
nominant.Sed hi rationales etiam,ut ſcribit Cornelius de concocti-
one,diſſentiunt:& alij,duce Eraſiſtrato,atteri cibum in uentre con
tendunt:alij Pliſtonico & Praxagoræ diſcipulo putreſcere: alij cre
dunt Hippocrati per calorem cibos concoqui. Acceduntq́; Aſclepia
dis æmuli qui omnia iſta uana & ſuperuacua eſſe proponunt. nihil
enim concoqui:ſed crudam materiam ſicut aſſumpta eſt in corpus
omne diduci contendunt.& hæc quidem parum inter eos conſtant.
Audiuiſtis ne uana & ſuperuacua eſſe quæ dicta fuerunt à ſuperi-
orioribus appellari,ab æmulis Aſclepiadis,& hæc parum conſtare.
ſed nõ recte Aſclepiadei ſenſerũt: ergo & uos & illi fabulæ.Vete
rinarij autem qui mulo, medicinæ operam dant & κτηνοίατροι
Græce dicuntur,& uiles ſunt & minime liberales: quamuis ea ars
à Chirone centauro & non nihil à Columella & Pelagonio & Ve
getio nobilitata ſit: tamen cum ueterinarius brutorum febres,tuſ-
ſes, coriaginem, intertriginem, fiſtulas, ulcera, dolores & alios
morbos curauerit quadrigario puluere, alumine, traumatico me-
dica-*

*dicamento, ſyncriſmate, malagmate, cerato, clyſteribus & alijs compoſitionibus. quid poſtea? cum experientia fallax ſit, quid certi poſſunt promittere? Opifices præterea mechanici ſiue cerdones, ut ſcribæ, aurifices, inauratores, ſcalptores, argentarij, annularij, auriſoſſores, ærarij, hordearij, molitores, piſtores, artocopi, cribrarij, fabri, ferrarij, materiarij, tornarij, coriarij, calceolarij, ſarcinatores, fullones, offectores, textores, lintearij, retiarij, pectinarij, tibiarij, laniarij, fartores, coquilanij, piſcatores, pigmentarij, lapicidæ, balneatores, tonſores, fornicarij, calcarij, figuli, carbonarij, uitrearij, geruli, uinarij, onerarij, & omnes alij* χειρόνακτοι, *id eſt, manuales operarij. his addamus etiam magiſtros tributorum, id eſt publicanos & architectos & redemptores & agrimenſores & uiatores & tabellarios & peregrinantes ſaltuarios, proxenetas, circitores, circulatores à mane ad ueſperũ ſemper ſunt in laboribus, in periculis, in igne, in fumo, in puluere, in aqua, in cortinis, in fœtore, in carnificina, in curſu, in ſole, in tenebris, in campis, in nugis. Et rupices noſtri & partiarij & paſtores & uillici, modo putant, modo arant, modo ſeminant, modo occant: nunc metunt, nunc uindemiant, nunc paſcunt, nunc lauant, nunc pecudes tondent, à labore ſemper tranſeunt ad laborem: & poſt laborem, hic amittit panem, ille piſcem: hic oues, ille boues: hic lanas, alius à grandine uaſtatos agros deplorat. quo nomine ſunt hæc uocanda? fabulæ. Videamus artes liberales & ſcientias ſcrutemur: quas quidam dicunt eſſe magnas animi uoluptates. Grammatici, Grammatiſtæ, magiſtri triuiales, pædagogi, penulati, quid agunt? docent, inſtruunt, monent, caſtigant, clamant, uerberant, dictant, ſtudent, lucubrant, ſcribunt, corrigunt, commentantur. Et quam certitudinem habent? nullam. non dum enim inter eos conuenit de numero literarum Latinarum: utrum h litera ſit nec ne, utrum gerũd a nomina*

*nomina ſint an uerba. An partes orationis ſint duæ tantum ſecundum dialecticos, an ſeptem, an octo, an nouem, an plures ſecũdum alios. Vter ætate ſuperior fuerit* Heſiodus *an* Homerus. *Quis uerſum* Elegum inuenerit Grammatici *certant & adhuc ſub iudice lis eſt & non tantum de re Grãmatica certant, ſed etiam de re pecuniaria. rara etenim merces quæ cognitione tribuni non egeat. notum enim eſt illud poetæ. quid enim ſcio? Culpa docentis ſcilicet arguitur. quo nomine hæc ſunt nuncupandæ? fabulæ. nihil dico de diſcordia quæ eſt in accentibus, in orthographia, in ſyntaxi, in figuris, in uerborum etymologia, analogia: quæ infinita eſt, & neſcio an unquã ceſſatura ſit. O miſeri philologi qui in his minutijs & hac elementorum incertitudine uerſamini. Sed grãmatici peritiores qui ſe triuialibus annumerari dedignantur & meritò, quoniã totam cyclopædiam nouerunt, ac profitentur, & modo ſe ſcriptores, modo autores appellant, dies & noctes laborant ut ſcribant cõmentaria, noctes Atticas, elegantias, epiſtolas, quæſtiones, annotationes, obſeruationes, caſtigationes, miſcellanea, cẽturias, quæſtiones* Plautinas *& alias, prouerbia, antiquitates, collectanea, cornucopiæ, paradoxa, orationes, ſermones, facetias, age imprimantur ſeu tranſcribantur propere hæc opera, ſed addantur in fronte epiſtolæ ad lectores uel ad eos quibus dedicatæ ſunt lucubrationes noſtræ, addantur aliæ epiſtolæ & epigrãmata laudantia ſcriptorem in fine, alia epigrãmata contra inuidos, contra obtrectatores ſi qui futuri ſunt, addantur priuilegia. quid tum? fabulæ ſumus. nam ſæpe in primo limine ſuccidimus, hallucinamur, erramus, & præterea inuectiuas & doctiores uiros noſtra errata caſtigaturos timemus. Sed nos addemus ſecundam æditionem & ſecunda cõmentaria, & ſic nihil timebimus. addatis etiam tertiam & quartam æditionem, ſemper* Momum *timebitis, ſemper erit aliquid quod neſcietis: quid opus eſt noſmet nobis nimium blandiri, nihil ex omni parte perfectum in humanis inuentionibus reperiri poteſt. Tria & quatuor etiam cõmentaria ſunt*

*in* Ver

*in Vergiliū & adhuc in eo ſunt: quæ ignorantur. itidē de Perſio & de alijs Poëtis affirmare non dubito. Sed quid dicemus, quod etiam fratres cucullati (ſi dijs placet) ſe Grāmaticis inſerunt, & epiſtolas, cōmentarios, libros de uerborū ſignificationibus cum multis appendicibus ædere gloriantur. Atqui bonum eſt & pulchrū hac gloriola noſtra dum uiuimus delectari, omnes enim incendūtur ad ſtudia gloria. pulchrū ſane: niſi gloria hæc uana eſſet & homines etiam nauci tumefaceret ὦ δόξα δόξα. exclamat Andromacha Euripidis: μυρίοισι δὴ βροτῶν οὐδὲν γεγῶσι βίοτον ὤγκωσας μέγαν id eſt, ô gloria infinitis iam mortalibus nullius prætij uitam tumefeciſti magnam. Et Horatius, gloriam uitiū eſſe cognouit cum dixit: Laudis amore tumes: ſunt certa piacula quæ te Ter pure lecto poterunt recreare libello. Sed ſi gloria eſſet ex ueritate ut eadem dixit Andromacha, ego quoq; ſic glorioſum bèatū uocarem: ſed ueritas latet, & ex hoc omnia iſta humana fabulas cogor appellare. Veruntamen ſcribamus nos omnes, impleamus chartas omnes, erimus mortales, immortales uolui dicere. paratæ ſunt nobis ſtatuæ, pyramides, parati cippi: qui tumq; fabulæ: Quoniā mortalia facta peribunt. Volo hic uobis auditores Clariſſimi poſtquam libenter auditis cōmemorare quandam contentionē quæ inter quoſdam ſcholaſticos ſuperioribus diebus me quodāmodo arbitro, agitata fuit. Cū prodeambularē unà cum certis comitibus & aſſectatoribus meis, ut poſt ſtudia literarum & lectiones fieri ſolet, inter hos erat unus emūctæ naris & linguæ promptiſſimæ iuuenis bene literatus: qui me præceptore uſus fuerat in literis Græcis & multa ex meis inuentis ſurripuerat partim audiendo ex me, partim etiam clam & familiariter tamen librariā meam reuoluendo: hic cū tempus erat his ſe honeſtabat, his ſibi nomen parabat. Cum ergo ſic euagarer, nonnulli literati uiri in quadam bibliotheca ſedentes me conſpicati, heus Codre clamauerūt, ades dum paucis te uolumus. quid noui inquam habetis? at illi noua cōplurima & laudanda horum uirorum dicta atq;*

C promiſſa

*promiſſa,qui de omnibus Martialis,Ouidij,Iuuenalis & aliorũ poē
tarum,itemq; oratorum uel fabulis uel hiſtorijs uel ſententijs recon
ditis ſe Gorgiæ Leontini more ſcire reſpondere profitentur, nõ de
omnibus diximus ſed de omnibus ferè, pplacet, in tẽpore uenimus,
dixit meus ille aſſectator:multa enim ſum rogaturus. Sed antequam
audias hæc noua,dic quæſo,cacabus habet ne primam ſyllabam pro
ductam an correptam?productam poſitura gemini c.& ego ſic cen
ſebam:at iſte triuialis & popularis noſter uerſum hunc,neſcio cuius
poētæ,adducebat:Quo caro decoquitur,cacabus Græce à ſonitu fit.
Errauit ille,ut arbitror,nam Statius in.4. Siluarum libro,uerſu Pha
leutico ſic ſcripſit: Alborum calicum atq; cacaborũ.Præterea dicit
Aeneam ſortitum eſſe nomen à laude αἰνεῖν Græce laudare eſt.
quaſi laudãdus ſit,quid ſentis?id quod Homerus in hymno Veneris:
τῷ δὲ καὶ ἐνείας ὄνομ᾽ ἔσσεται,οὕνεκα μ᾽ αἰνὸν ἔσχεν ἄχος.Tũc
unus ex grege illo literatus ſanè uir quid ſentis inquit,Codre de
hijs noſtris bonis quidem uiris,ſed haud magna cum re.Non poſſum
nec uerbis nec exemplis eos ad elegantiã reuocare,ne ſemper dicãt,
pro poſſe meo,in quãtũ potero,bona dies,bene ueneritis:& alia ſex
cẽta id genus,cum dicendũ ſit eleganter, pro uiribus,pro uirili par
te,ſiue elegantius pro uirili,ſaluus ſis,& ſaluum te aduениſſe gau-
demus.Et quare inquit unus ex eo numero,non eleganter in quantũ
dicitur,qua uſus eſt dictione Ouidius in 11.Metamorph.in quantum
eſt quæq; ſecuta.Et Vegetius,in quantũ enim inquit mediocritas in-
genij patitur.Atqui Vegetius malus Latinitatis autor eſt qui gambo
ſum iumentũ,quod crura habeat inflata & gãbas pro tibijs & par-
uiſſimos fines dixerit.Tace uir elegans gambas dicet tibi Hermola-
us uocabulum eſſe Græcum à flexura ductum. κάμπτω enim flecto
eſt. paruiſsimum uero poſſe dici,oſtendit tibi Lucretius tuus in illis
uerſibus: Præterea niſi erit minimum paruiſſima quæq; Corpora
conſtabunt ex partibus infinitis. Age iſta omittamus dixit ille uir
elegantiarum ſectator penè à triuiali redargutus. ſic enim mihi*

*reſpondes*

*reſpondes, quaſi ego uerba, non compoſitionem damnauerim. & uideamus qualia ſint noſtra commentaria, & principia lectionum, quam inſipide & quam ridicule compoſita. Præſens opus diuiditur in duas partes in procemium & tractatum. Procemium rurſus diuiditur in tres partes: prima ibi, ſecunda ibi, tertia ibi. quis ſane mentis hic nō rideat? Sed dic tu uir eloquentiſſime, ſi Vergilij Aeneida lecturus eſſes, quale initium ſumeres? Ego ſic auſpicarer: Operæpretium mihi facturus uideor, uiri Clariſſ.mi, ſi prolegomena mea in Vergilij Aeneida in duas partes diſſeçauero. tace tace iam, bone uir, ſat habeo: dum operæpretium & prolegomena tua effundis & iactas, in ſolœciſmum incidiſti. quem ſolœciſmum garris? ſolœciſmum, inquam, commiſiſti, & nondum aduertis. non enim diſſecauero dicimus, ſed diſſecuero à preterito diſſecui. Dic mihi ſolœciſmus eſt uerbum Græcum an Latinum? reſponde ad quod dixi, non uides te offendiſſe (ut aiunt.) Priſcianum. & tu reſponde ad quod rogo. eſt Græcum & Latine dicitur imparilitas, & ſtribiligo. ſed eſt ne Atticum uocabulum an non? eſt Atticum. & tu tace triuialis & audi Aulum Gellium qui ſic ſcribit: Sed nos neque ſolœciſmum neque barbariſmum apud Græcorum idoneos adhuc inuenimus. nam ſicut βάρβαρον, ita σόλοικον dixerunt. Imò tace tu ô Barbare Græce, & audi Ariſtotelem, Ariſtotelem, Ariſtotelem inquam, quem Cicero aureum flumen eloquētiæ fundere ſcripſit. Ariſtotelem fortaſſe Latinum dicis Barbare translatum, cui fides habenda non eſt. Imò Græcum & è media Græcia ad nos allatum. Iube Ariſtotelē tuū afferri Codre ſi libet. Et allato Ariſtotele hæc uerba in Elenchorum libris inuenimus ἔστι δὲ ταῦτα πέντε τὸν ἀριθμὸν, ἔλεγχος καὶ ψεῦδος καὶ παράδοξον καὶ σολοικισμός. Itē σολοικισμὸς δὲ οἷον μὲν ἐστιν αἴρηται πρότερον καθὰ πρωταγόρας ἔλεγεν, & reliqua. & paulopoſt σολοικίζει uerbum ponit, & iterum σολοικισμοὶ:. id eſt, ſolœciſmi pluratiuī numeri. quibus lectis, ille ruboris plenus obticuit. Tunc alij uides ne,*

*inquiebant, quemadmodũ hic triuialis A. Gellium notare auſus eſt? Verum alias quid pro Gellio dicendũ ſit uidebimus, iam ſinite Codrum reſpondere: quales tibi horum ſermones uidentur? fabulæ. nihil enim certi uel Barbarè uel Grãmaticè prolati ſint cõſtituerunt. Verum quis ueſtrũ, inquit meus ille comes uult mihi reſpondere in quadam re dubia in libris Ouidij de Arte amandi? Ego. perplacet. Inuenias uerſus illos qui ſunt in libro ſecundo: Porrige & ancillæ, qua pœnas luce pependit: Luſa maritali Gallica ueſte manus. Inueni, quem dicis eſſe ſenſum? hunc ſcilicet dona etiã aliquid ancillæ. hoc bene habet quæ Gallica, id eſt, quæ ancilla ex gente, Galliæ: hoc nõ bene habet: nã, qua legendã eſt nõ quæ: & ſenſus ille quem dicis eſt ineptus. latet hic hiſtoria, quam neſcis: & Lucas Ripa primus, ut accepi, hanc enodauit difficultatem, hic Lucas Regienſis eſt patria: ſed Ferrariæ nutritus & doctus & Eſtenſibus Principibus gratiſſimus, & magni iudicij uir: hoc quod dicit Ouidius, ille ad feſtum ancillarum, quod fiebat nonis Iulijs Iunoni Caprotinæ retulit. ut dicat porrigendum eſſe aliquid ancillæ etiam ea luce qua Galli ſunt aſtutia ancillarum ueſtibus liberalibus indutarũ ſuperati. At hi non fuerunt Galli: ſed populi Romanis finitimi. Verum nõnne oportunitas illa finitimorum inuadendi Romanos, Gallis accepta refertur: facetè & rectè igitur poëta illa manum Fidenatiũ & populorũ uicinorum, Gallicã appellat. Hoc uero nihil uerius. Caprotinarũ meminit Varro de Lingua Latina, & Macrobius in Saturnalibus. Arguta quidem hæc ratio, ſiue interpretatio eſt: ſed non uſquequaq; ſententiæ Ouidianæ cõuenire uidetur, niſi enim ipſos Gallos id quod narraſti, & egiſſe & paſſos eſſe oſtenderis, tibi non credimus. Curioſi nimiũ nodum in ſcirpo quæritis. Imò cibum mentis, ueritatẽ: quam Iouis filiam dixit Pindarus. Dic Codre quid ſentias, habes certe rem ipſam, te enim ſubridentem notauimus. Dicam equidẽ uobis rem ſcitu pulcherrimam. Plutarchus inter plurima ingenij ſui monumenta reliquit συναγωγὴν, id eſt, congregationem quandam hiſtriarum paralle*

*parallelarum* Romanorũ & Græcorum.In *ea hæc habetur:* καὶ Ἀτεπόμαρος ὁ γάλλων βασιλεὺς Ῥωμαίοις πολεμῶν τὸ αὐτὸ ᾔτησε, & *reliqua. ubi dicit Plutarchus quod Atepomarus Gallorũ rex cum Romanis bellum gerens, petijt id quod Sardiani à Smyrneis petierant, hoc eſt,uxores ad libidinem:& miſſæ ſunt ancillæ liberali ornatu.& poſt libidinẽ Gallis magno ſomno oppreſſis,Aretana ancilla aſcendit caprificum,& Romanis ſignum dedit.quo dato Romani erumpentes Gallos proſtrauerunt, & dies feſtus nomine ancillarũ inſtitutus eſt.Ariſtidem aũt huius rei teſtem refert eſſe in primo Rerum Italicarũ.Quid ad hæc dicitis? dij immortales,nequimus ſatis hoc inuentum admirari.pulcherrimum eſt.& ô Codre ſacco,ut aiunt,os occluſiſti.Atqui Lucas inuenti caput fuit, & Codrus pes.Si quis aũt Plutarchi libellum Græcũ uidere deſiderat, ego exhibebo:quanquam & Latine à Clariſſimo uiro Guarino Veronenſi translatus inueniatur. Sed quid uobis hunc Plutarchi libellũ offero,cum Romuli uitam ab eodem ſcriptam habedtis,ubi nomine ancillæ mutato hanc rem pluribus uerbis narrat.Sed quid habes docere ſuper eo uerſu: Quid fuit aſperius Nonacrina Atalãta, dicis ne duas fuiſſe Atalantas?dico ſanè.hoc idem dixit Lactantius in Statiũ & alij quidã:nolo in præſentia diſputare, quod fuerint Atalantæ & à quibus dilectæ.quoniam res & fabula hæc à poëtis & ſcriptoribus cõfuſa eſt.illud uos docere uolo legendum eſſe Milanyona uel Melanyona mutatione* η *in e.& non Mimaliona & fuiſſe* Hippomenis *cognomen ab expeditione pomorũ datum.* μῆλον *enim Græce malum dicitur,&* ἀνύω *expedio,perficio.Melanyon ergo quaſi pomis curſum expediuerit.ſic Palæphatus,ut reor,Muſæus de Arcadica Atalanta ſcribẽs dicit:* ἥποτε μηλανύωνος ἐρασσαμένου φύγεν εὐνήν. *audite etiam Theocriti autoritatem in tertio Idyllio:* ἱππομένης ὅκα δὴ τὰν παρθένον ἤθελε γᾶμαι, μᾶλ᾽ ἐν χερσὶν ἑλὼν δρόμον ἄνυεν. *Sed uide ne erres. nam Melayon quidẽ poteſt eſſe Hippomenis epitheton, qui amauit Atalantã Schœnei:*

*ſed Milanion per ει in principio & iota in penultima, ut ſcribunt Muſæus & Commentator Apollonij, fuit qui Atalantam Iaſi filiã amauit. recte admonetis: hanc rẽ aliâs uidero. Sed heus tu rogauit iuuenis ille aſſectator meus quem librum nunc diſcipulis tuis enarraſſ? reſpondit Grãmaticus, officia Ciceronis. dic melius, Ciceronem de Officijs. Officia enim Ciceronis, & libri de Officijs Ciceronis ſignificatu uaria ſunt: ſicut ſenectus Ciceronis, & liber de Senectute: anima Ariſtotelis, & liber Ariſtotelis de Anima, uel hiſtoria animæ Ariſtotelis: dicito potius Officiales libros, ut Lactantius dixit. At quo modo titulum de Officijs non ſatis Pomponio Attico probatum, à uitijs defendes? Nam cum Cicero dicat ſe potiſſimum Panætium in hoc opere ſequi, & ille libros περὶ καθήκοντος inſcripſerit, Cicero bis errare uidetur: primum quia καθῆκον proprie non eſt Officium: deinde, quia etſi concedamus καθῆκον eſſe officium debuiſſet inſcribere: de Officio, non aũt de Officijs, cum Panætius ſigulari genitiuo uſus fuerit: ſicut & Ariſtoteles & alij περὶ ἑρμηνείας, περὶ γένους, περὶ εἴδους, περὶ οὐσίας, id eſt, de interpretatione, de genere, de ſpecie, de ſubſtantia. & ipſe Cicero in alijs titulis, de Amicitia, de Senectute. Sed qui excuſationem Ciceronis ſcire uoluerit, legat illius ultimas ad Atticum epiſtolas. Non eo tamen inficias inſcriptiones etiam plurales & ſingulares caſu nominandi ſolere fieri, ſed alio modo: ut Georgica, Topica, Aeneis, Ilias, Naturalis hiſtoria. quare bene dicimus libros Georgicorũ, Aeneidos, Iliados, Naturalis hiſtoriæ, Originum. Inſipide aũt uſurpatum eſt de Naturali hiſtoria: hoc certum ſit Plinio, Suetonio, cæteriſq; eruditis uiris ſemper de Officijs dici. in Platone duplices ſunt tituli, Alcibiades, uel de Natura hominis: Phædon, uel de Anima. Quod interdum à Cicerone factum fuit: ut, Lælius, uel de amicitia: Cato, uel de Senectute. hic ut uidetis hæſitat, ſed hoc prætereamus. Qui de Stratocle mihi dicis in libro primo. Stratocles Athenienſium dux Autore Aeſchyne pugnauit ad Cheroneã urbẽ Bœotiæ cum Philippo Rege pro libertate*

*Græciæ.Hoc nõ diſpilcet:ſed cur Cicero pro Stratocle non repoſuit Cheroncã?cũ notior eſſet pugna illa à loco quã à nomine ducis? Et certe Strabo libro nono Stratoclẽ nõ nominat,nec Iuſtinus. aut cur non potius retuliſti ad bella geſta ab Atheniẽſibus in Sicilia cũ Strabo ſcribat in libro 8. Atheniẽſes cũ Eurymedonte & Stratocle in Siciliã nauigaſſe eo tempore quo Pylops urbs inſtaurata eſt ab illis. & horũ bellorũ meminerit Plato in Menexeno, & Cicero in Verrinis,& Iuſtinus,& Iſocrates in oratione de Pace,& alibi etiam: & Plutarchus in uita Niciæ & Alcibiadis:Verũ hãc rẽ,ne falſum quid pronũciemus, ampliabimus.Cæterũ dic,ſis tu,qui Catullũ enucleas, pcupio ſane diſcere aliquid noui de eo epigrãmate cuius initium eſt:*

*Riſi,neſcio quẽ,præter id quod à Seneca in lib.cõtrouerſiarũ 4. dicitur.Nónne alij q de eo ſcripſerũt tibi faciunt ſatis? non omnino.nã legi multos qui non cõcordant uno in uocabulo: nã alij ſalaputiũ, alij ſolopichiũ,alij ſalicippium,alij aliter legunt & nullus ſuæ ſententiæ certã adducit rationẽ: argumentũ aũt rei incertæ eſt tanta uarietas. nihil habeo, præter ea q̃ à claris uiris dicta ſunt:illud aũt: Non cuſtos ſi ego fingar,ille Cretum,quomodo intelligis?intelligo ſic,ſi eſſem uelox,qualis uolando fuit Dædalus.erras. Volo, quod ſuperiore æſtate monuerat nos quidã Neapolitanus,& mox ita eſſe apud Apolloniũ Codrus inuenerat,nũc uobis declarare. Non intelligit Catullus Dædalũ,ut tu opinaris,ſed Talũ ſignificat,quẽ fecit Iuppiter cuſtodẽ Europæ in Creta.etenim uelox fuit hic Talus,ut æreis pedibus ter in die circũiret Cretã τρὶς περὶ χαλκείοις κρητὴν ποσὶ δινεύοντα. dicit Apollonius,tacẽs ἐπ' ἤματι:quod Hom de Charybdi loquẽs appoſuit:& Ouidius imitatus Apolloniũ tacuit: Ter licet epotet,ter uomet illa fretũ.& fuit de genere hominũ ætatis æreæ totus ex ære.prohibuiſſet etiã Argonautas deſcendere in Cretã, niſi Medea carminibus eũ deleuiſſet.Verſus Græcos uidere poteritis apud Apolloniũ in Argonauticõ libro ultimo huius etiam Lucianus meminit in ſermone περὶ ὀρχήσεως. τὸν τάλω τ̃ χαλκοῦν*

τῆς

τῆς κρήτης περίπολον Certe hic locus pulcher & cognitu dignus. Sed non minus pulcher ille, qui eſt de Diana ſcriptus: quam mater prope Deliam depoſuit oliuam. Ego certe ignoro an Catullus errauerit an Strabo. tu ignoras? De Strabone alias uidero? Catullũ errauiſſe ſtulti eſt dicere, cum doctus à poëtis dicatur & eum Ouidius in hac parte ſecutus ſit. Audite ergo quæ habeo uobis dicere de arboribus, apud quas peperit Latona. uariæ ſunt ſcriptorum opiones. Homerus in hymno Appollinis narrat, quemadmodũ Latona pe perit Dianam in Ortygia, & nullam nominat arborem: Appollinẽ uero in Delo, & nominat. palmã dicit enim ἀγχοῦ ἄτω φοίνικος, & infra etiam, ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε, id eſt, Circa autem palmſi iecit cubitos, idẽ Homerus ἐν τῷ ζ. odyſſeas. dicit Vlyſſem uidiſſe in Delo iuxta Apollinis arã φοίνικος νέον ἔρνος nouum ramum palmæ. Theognis in ſententijs: φοῖβε ἄναξ ὅτε μὲν σε θεὰ τέκε πότνια λητὼ φοίνικος ῥαδινῆς χερσὶν ἐφαψαμένη. & Callimachus in hymno Deli. Euripides in Hecuba loquens de Delo, mentionem palmæ & lauri facit: ἔνθα πρωτόγονος τε φοῖνιξ δάφνα θ' ἱεροὺς ἀνέσχε πτόρθους, id eſt, ubi primogenita & palma & laurus ſacros extulit ramos. hæc palma Ciceronis temporibus, ut ipſe in libris de Legibus refert, mõſtrabatur: hæc item palma tempore Plinij durabat. unde ipſe libro. 16. Nec non palma Deli ab eiuſdem dei ætate cõſpicitur. Iſacius in Lycophrona dicit Latonam perueniſſe in Delum: quæ prius Aſteria ſiue Ortygia uocabatur, & illic palma & lauro primum uiſis, peperiſſe Dianam & Apollinem. Cõmentator uero quidam Homeri antiquiſſimus ſcribit Latonam filiam Cœi Titanis & Phœbes prægnantem perueniſſe in Aſteriem unam ex inſulis Cycladibus, & peperiſſe ex Ioue Dianam & Apollinem ſub duabus arboribus Oliua & palma. Verba Cõmentatoris ſunt hæc: ἔπειτ' ἐσελθοῦσα καὶ ἁψαμένη δύο φυτῶν ἐλαίας καὶ φοίνικος διδύμους ἀπεκύησε παῖδας ἄρτεμιν καὶ ἀπόλλωνα. Plutarchus in Pelopidæ uita, dum loquitur de quo-

de quadam Apollinis templo, mentionẽ facit montis, cui cognomen erat Delos, & Palmæ & Oliuæ fontium, non arborum, ubi fabulantur natum eſſe Apollinem. Ouidius quoq; in ſexto Metamorphoſeon ſic ſcribit de Latona: Quam uix erratica Delos Errantem accepit tunc cum leuis inſula nabat Illic incũbens cum Palladis arbore palmæ Edidit in uita geminos Latona nouerca. Idem libro 13. Vrbemq́; oſtendit delubraq́; nota duasq́; Latona quondam ſtirpes pariente retentas. Sed poſtquam Ouidium produxiſti: hic quotidie Ouidiũ legit: roga eum fortaſſe habebit quod Catullo faueat. Dic quæſo, quid habes? nihil aliud niſi hoc: Cum Palladis arbore, id eſt, oliua, & præter id nil aliud. Et in libro decimotertio quid ſentis ſuper eo loco: Duasq́; Latona quõdam ſcilicet p.r. duas ſtirpes Apollinem & Dianam autumo. Non bene autumas. nam eas ſtirpes dicit Ouidius, quas ſupra in libro ſexto memorauerat, oliuam ſcilicet & palmam: retentas autẽ ab Latona, dum pareret: ſicut ſolent parientes inhærere alicui adminiculo & aliquid rerum aſſiſtẽtium capere in dolorum leuamen, ut ſcribit Cõmentator Apollonij hoc Latonæ factum memorans. Probus quoq; Grãmaticus in Annotamentis Georgicorum Vergilij, ubi illud exponit: Et Latonia Delos, palmæ & oliuæ mentionẽ facit. Quædam alia quæ nunc non ſuccurrunt legi ſuper his arboribus: ſatis eſt uiam monſtraſſe, qua intelligere poſſitis Catullum non erraſſe. Sed tu qui familiarem habes Ouidiũ quid de literis Hyacinthi ſuſpicaris? duas literas Græcas α & ι uideri inſcriptas in illo flore & eos magnopere decipi q putãt hya, in decimo eſſe legendum, duas an quatuor? ahahe. quid rides? quia dicis aliquos decipi in eo in quo ipſe forte decipieris. Nam in hyacintho non ſunt α & ι ſed y, ut cernere licet. atqui ypſilon gemitum non ſignificat: Imò ego, cum erit opus, oſtendam dubitantibus y eſſe literam ſiue uocem gemitus & ſuſpirij, dicitur autem hæc litera à uulgaribus & plebeijs phya, à peritis hya. quomodo ſcripſit Ouidius, ſicut Iuuenalis ante alpha & beta puellæ pro α & β. Atqui Plinius

*mecum ſtat. Neſcio de Plinio, nolo nunc loqui, potuit & ipſe tanquam homo decipi. Flos hyacinthi mecum ſtat, & Seruius Grammaticus, Theocriti Cōmentatores legendi ſunt ſuper illo loco* καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος. *Sed hoc loco dictum omittamus. Illud potius uide, & doce me ſuper eo uerſu in libro decimotertio, ubi paulò ſuprà de palma & oliua loquebamur:* Hūc Anius, quo rege homines, antiſtite Phœbus Rite colebatur temploq; domoq; recepit. *Originē Anij & nomina eius filiarum non ſanè referre poſſum. non potes referre? Ego igitur uobis referā: Bacchi Staphylus fuit filius: Staphyli filia fuit Rhœo. hanc uitiauit Apollo: quod cum reſciuiſſet Staphylus, filiam prægnantem clauſit in arcam & in mare proiecit, illa Euboeam peruenit & quodam antro puerum peperit, quem Anium à triſtitia quam de eo ſuſceperat uocauit.* ἀνιάσθαι *enim Græce eſt triſtari. hunc poſtea Apollo tulit in Delum: qui Dorippen uxorem ducens genuit* οἰνω σπέρμω καὶ ἐλαΐδαι *quibus Bacchus conceſſit, ut quotienſcunq; uellent, poſſent uinum, ſemina & oleum ſumere, eas Lycophron appellauit* οἰνοτρόπους. *Pherecydes dicit quod Anius perſuaſit Græcis illuc appulſis manere apud ſe nouem annis. quoniam à deis datum erat, ut decimo anno caperēt Troiam: filias autem dixit illis eſſe nutrituras. Alij dicūt à Palamede illas eſſe ductas ad exercitum Græcorū fame laborantē & in Rhœteo illas exercitum paui ſſe. unde & Rhœteum dictum eſt: quoniam illæ Rhœus, hoc eſt,* τῆς ῥοιοῦς *filiæ fuerunt. Ouidius autem dicit Anium, filium unum habuiſſe, & filias quatuor: & quædam alia non omnino à ſuperioribus diſcrepātia, ſecutos alios, ut reor, ſcriptores. Hæc Anij fabula quendā locū apud Ouidiū in Ibim obſcurū & à Cōmentantibus corruptū declarat, niſi animus me fallit, qui ualet ingenio excogitet. Sed redeamus ad Catullum. Credo uos illud nō ignorare, quod eſt ad Ortalū ſcriptū:* Quid faciēt crines cū ferro talia cedāt Iuppiter ut Chalybō omne genus pereat. *Præter ea quæ ab alijs adducuntur, illud ego addo, quod Horatius Catulli uerſum imitatus*

eſt:

eſt: O pater & rex Iuppiter, ut pereat poſitũ rubigine ferrum. Illud
etiam uos ſcire arbitror, quod eſt in Cæſarem dictũ. nec quæro u-
trum: uel neſcio item utrũ ſis albus an ater homo, id eſt, an bonus an
malus. Quintiliani autoritate qui hunc uerſum citat, Horatius quoq;
illo prouerbio uſus eſt in fine epiſtolarum cum dixit, Albus & ater.
Multa alia prætereo in eo libro à paucis intellecta. Illud uos moneo,
non eſſe faciendum, quod noſtri ferè omnes faciunt Commentato-
res: qui quoniã à Feſto Pompeio ſcriptũ eſt, Nouas nuptas præcingi
ſolere cingulo, quod uir in lecto ſoluebat ominis cauſa; & ea quæ de
Herculano nodo ſequuntur, ad id recurrunt ſemper, quotienſcunq;
zonæ ſolutæ mentio fit, non aliud eo plus requirentes, nam nõ eſt ue
riſimile ſponſam, illo cingulo à tenera ætate ad nuptiarũ tẽpus uſq;
fuiſſe ligatam. ſed altius aliquid uel ſecretius uellem inueſtigarẽt. Ho
merus in. λ. Odyſſeas. λύσε δ᾽ παρθενίην ζώνην, hoc eſt, ſoluit aũt
uirginalem zonam. Homerus idem in hymno Veneris hæc dicit, λῦ-
σε δ᾽ οἱ ζώνην, id eſt ſoluit aũt ei zonam. Et ſi nihil noui inuenirẽt,
cuperẽ ſaltẽ hoc ego à Cõmentatoribus noſtris fieri, ut quod poſ-
ſent Latina cum Græcis cõferrent. Exempli cauſa uellẽ ut illud Au-
guſtini de Varronis libris ſumptũ Cõmentator protuliſſet, & cũ uir-
gini uxori zona ſoluitur, ipſe inuocetur & dea Virginẽſis inuoce-
tur: & ſubinde Homeri uel epigrãmatis Græci de zona ſoluta teſti
moniũ produxiſſet. Atqui Cinxiæ mentionẽ fecit, & cur nõ & Virgi
nẽſis, cur nõ illius moris quẽ recitat Apollonij Cõmentator ſuper eo
uerſu ᾧ ἔπι μούνῳ μίτρην πρῶτον ἔλυσα καὶ ὕστατον. & quiſnã
erat hic mos, dic ſodes? λύουσι γὰρ τὰς ζώνας αἱ πρώτως τίκ-
τουσαι καὶ ἀνατιθέασιν ἀρτέμιδι. ὅθεν καὶ λυσιζώνους ἀρτέμιδος
ἱερὸν ἐν ἀθήναις. dic Latine: Soluũt, inqt, ille ſcriptor, zonas primũ
pariẽtes, & offerũt Dianæ. unde & Soluizonæ Dianæ ſacrũ, id eſt,
templũ Athenis. Idẽ epitheton dedit Theocritus Ilithyiæ ἔνθα γὰρ εἰ-
λήθυιαν ἐβώσατο λυσίζωνον. Vellẽ ut qui narrat Athamantẽ p in-
ſaniã interfeciſſe filiũ Learchũ et Inonẽ cũ altero filio precipitaſſe in

 mare

mare ſubiungeret: Euripidem aliter ſenſiſſe, hoc eſt, Inonē à Iunone factam inſanam & filios interfeciſſe, & ſe in mare proieciſſe. Qui narrat Iaſonem demum reconcilatum Medeæ, unà cum illa Colchos repetiuiſſe, & cum populis uicinis & ulterioribus poſt multa bella exhauſta in oriente tandem obijſſe: adderet Euripidis Medeā, Iaſonis mortem aliter uaticinatam fuiſſe. Et qui recitat, Midam aures aſini habuiſſe, cuperē allegoricè hoc fictum declararet, uel quod acute audiebat, dicit enim Ariſtoteles aſinum multum audire; quod fortaſſe uoluit Apuleius in nono de Aſino affirmare, cum dixit: quod auribus grandiſſimis præditus cuncta longulè etiam diſſita facilliè mè ſentiebā, uel quod multos haberet auditores ſiue exploratores, uel quod uerum eſt: quoniam in Phrygia duo erant tumuli ſeu colles, qui uocabantur Aſini aures ὄνου ὦτα quos cum cepiſſet Midas pulſis inde latronibus, dictus eſt aſini aures habere. Hæc ſane pulchra ſunt cognitu & quia rara, & quia uoluptatis & doctrinæ plena. Et Hyginum in libro de ſignis hoc uidetis obſeruare, ut non unā tantum ſed duas & plures afferat ſcriptorum opiniones: nonnulli ſic, inquit, dixerunt: alij ſcripſerūt. Euripides ita dicit: Aratus ſic exiſtimat, & in uno ſigno interdum quinq; refert uarietates fabulantium. Contrà multa ſunt, quæ olim mihi à cōmentatoribus nouis ſcribi, non quod illa cognitu neceſſaria non ſint: ſed quod ualde trita ſunt, & illorum plena omnia ferè chartophylacia. uerum quid hoc negocij eſſe dicam neſcio. ego huc ueneram (cum Grāmaticorum uenia dictum ſit) diſciturus aliquid, & ut uideo ad docendum potius ueni: qui homines eſtis? Age iam, ſi libet, de quibuſdam fabulis quæ apud Ouidium in Ibim leguntur, te percunctari uolo. fiat: ſed ego te ad eius Cōmentatorem remittam, niſi male de eo ſentias. Non male quidem ſentio, ſed multa tamen ſunt in eo libro quæ ille uir eruditus neſciuit, poſtea partim à Codro, partim ab alijs inuēta: quale eſt illud de Lycurgo Dryantis filio: In gemino diſpar cui pede cultus erat. habebat enim ſolam crepidam Lycurgus, utpote altero pede

læſo

læſo uel cæſo.unde μονοκρήπιδα λυκοῦργον appellat quoddam Græcum epigrāma, quod extat in illius æream ſtatuam.Furioſum autem fuiſſe Lycurgum hunc, Flacci Valerij in primo Argonauticon uerba demonſtrāt: Talem incita longis Porticibus coniunxq́; fugit natiq́; Lycurgum. De hoc tamen aliter fabulatur Homerus ἐν τῷ ζ. Iliados.dicit enim à Ioue fuiſſe occæcatum.Neſciuit & illud quod paulò ſuprà habetur: Vtq; uel Eurydamas ter circūbuſta Thraſylla: Eſt Lariſſæis raptus ab hoſte rotis.At ego hoc ſcio.Eurydamas fuit Hector,quaſi latè domans:& Thraſyllus Patroclus,quaſi audax,& repetens Ouidius hoc exemplum,uoluit & Homerum & Vergilium imitari,Acutè quidem,ſed non rectè ſentis. nam poëta facile dicere potuiſſet,Buſta Patrocli.Prætrea non inuenies apud aliquem ſcriptorem Thraſyllum pro Patroclo, nec Eurydamantem pro Hectore.Imò Thraſylli nomen magis conueniret Hectori propter eius in omni bello audaciam.quare Homerus ἐν τῷ ν. Iliados dicit θρασὺν ἕκτορα. Poſtremo ſi aduertis,& penſes particulas illas,uel Eurydamas, uel quiquæ fuerat,cognoſces duo eſſe exempla uaria.Audi ergo rem ipſam:Callimachus Poëta ſcripſit librum in Apollonium Rhodium quem appellauit Ibim,ut noſti.In eo libro Callimachus huius hiſtoriæ meminit.& Cōmentator Homeri Callimachum citat,& dicit Curydamantem fuiſſe Medum tractum ad ſepulchrum Thraſylli fratris ab Simone Lariſſæo:& ponit quare tractus fuerit,& unde hic mos raptandi ſumptus fuerit. Habes iam idoneos autores & adhuc dubitas.Similis es his,qui dubitant an legendum ſit Harmiona an Hermionia pro filia Martis & Veneris uxore Cadmi.cum Heſiodus in Theogonia, & Dionyſius in libro qui περιήγησις inſcribitur,& Euſthatius eius interpres,& Plutarchus in uita Homeri,& alij plures ἁρμονίαν ſemper ſcribant. Certè qui Hermionem legunt,totam penè dictionem corrumpūt & rationem phyſicam ignorare ſe fatentur,unde hoc illi nomen datum ſit.de qua ratione Plutarchus ſic ait, ὅτι ἐκ τῆς ἄρεως καὶ

ἀφροδίτης συνουσίας ἁρμονία συνέστηκεν ἐξ ἐναντίων βαρέων τε καὶ ὀξέων κεκραμένων ἀλλήλοις ἀναλόγως, & quæ ſequũtur. Idẽ in Vita Pelopidæ, cum loquitur de cohorte ſacra, de hac eadem harmonia mentionẽ facit: Ariſtoteles uerò in Politicis hanc Martis & Veneris fabulam aliter interpretatur: Harmoniã tamen nõ Hermionẽ pronunciat. Et ſane ſic apud Ouidiũ, apud Statium & alios Latinos legendum eſt, ubi de uxore Cadmi ſermo fit. nam pro filia Menelai & Helenes, quin Hermione proferendũ ſit, nullus negat: nec non pro urbe quadã Græciæ, cuius meminit Homerus in Catalogo. ſciendũ tamen eſt, Harmoniã uxorem Cadmi ſecundũ alios fuiſſe filiã Electræ, ſororẽ Dardani: à cuius nomine Cadmus nominauit Electridas portas: ſicut Hellanicus, & Idomeneus ſcriptũ reliquerunt. quas Aeſchylus, & Euripides ἠλέκτρας appellant, & eos ſecutus Statius in octauo Thebaidos, Celſum fudere Dryanta Electræ. At omnes latini codices habẽt Hermionẽ. Vah, omnes Latini codices habẽt Boëtiã, & tamen legendum eſt Bœotiã, & Bœotius, Bœotia, Bœotium, ut apud Homerũ legi. & Ouidius, Bœotiaq́; illa uocato, dixit. Et iam ſunt 15. fortaſſe anni quibus ita dicendum eſſe docuerat Codrus, ut ab eo accepi: ſed nullus ei credebat. nunc poſtquã maiores uiri autoritate & literis uenerunt, creditur illis: Codro qui tot producit autores & rationes, non creditur. bene uero factum. Sed redeamus ad Eurydamantis & Thraſylli hiſtoriam, hoc eſt unum de inuentis à Codro: ſicut & illud apud eundẽ poëtam in Ibim: Filius & Cereris fruſtra tibi ſemper ametur. Vbi Commentator ſentit eſſe Triptolemum falſo. Nam fuit Plutos, ut Heſiodus cecinit in Theogonia, δημήτηρ μὲν πλοῦτον ἐγείνατο δῖα θεάων ἰασίῳ ἥρωι μιγεῖς ἐρατῇ φιλότητι, hoc eſt, Ceres quidem Plutum peperit generoſa dearum Iaſio heroi mixta amabili dilectione. Et ut idem ſubiungit, natus eſt Plutos in Creta pingui diues, & eum qui habet, diuitem faciens, & meritò, quia πλοῦτος Græcæ diuitias ſignificat, & legendum eſt apud Ouidium: Filius & Cereris. non

autem

aũt filius ut Cereris. de hoc Diodorus Siculus in libro ultimo: & Higynius in ſigno arctophylacis dicit Plutum, qui ditior fuit, nihil fratri ſuo de bonis conceſsiſſe: & in ſigno geminorũ Iaſiona nominat. Sed quia Higynius ſcripſit ex Hermippi ſententia Cererem cũ Iaſione concubuiſſe, & Heſiodus cũ Iaſio, nolite mirari. nam & Iaſius & Iaſion pro eodem à poëtis dicitur, ſicut Androgeus & Androgeon, Icarius & Icariõ, Leucus & Leucon. Homerus in quinto Odyſſeas, & Theocritus in tertio Idyllio, & Ouidius in nono Metamorphoſeos Iaſiona nominant. Idẽ tamen Ouidius in tertio Amorũ ſcripſit: Viderat Iaſium Cretæa diua ſub Ida Figentẽ certa terga ferina manu. cum de Cerere loqueretur. Ariſtophanes uerò Comicus Fabulam fecit, cuius titulus eſt, ϖλοῦτος. Sed dicite mihi, intelligitiſ'ne illud, quod eſt ab eodem poëta ſcriptum, Quiq́; Lycurgiden lætauit & arbore natum Idmonaq́; audacem te quoq; rumpat aper? Non intelligimus. Nec Commentator ex patre intelligit. ſunt enim hic tres Fabulæ: ultimam, quæ eſt de Idmone, intelligit quidem nam dicit Idmonem autore Apollonio fuiſſe unum ex Argonautis & uatem & ab apro diſcerptum: ſed non explicat rem ipſam ut uellem, hoc eſt, cuius fuerit Idmon filius, quomodo interfectus & ubi. Et quod aliter ſenſit Flaccus Valerius in libro quinto Argonauticon: aliter Seneca ſi modo uerba eius ſana ſunt in Medea. ille morbo, hic morſu ſerpentis perijſſe ſcripſit. Orpheus & Apollonius ab Apro fuiſſe interfectum dicunt: ſed de hac re plura uidebitis in Apollonij Commento. Duas primas fabulas: quas non intelligit Commentator, nolo uos celare. Per Lycurgiden intelligatis Ancæũ Lycurgi filium, quem fuiſſe uulneratum ab apro in inguine dicit Ouidius in octauo Metamorphoſeos. & Lycophrõ Βούβωνος ἐν τόρμαισι, id eſt in circumferẽtijs bubonis. & Seneca in Medea ſic de eo ſcripſit: Strauit Ancæũ uiolẽtus ictu ſetiger. Fuerũt aũt duo Ancæi, Arcadicus ſcilicet & Pleuronius de q̄bus Poëtæ q̄ Argonautica ſcripſerũt,

mentio-

*mentionem faciunt, & Codrus in libro quem ſcripſit de fabulis: ubi multas ſcriptorũ ponit opiniones & uatis reſpõſum datum An cæo, quæ omnia prætermitto, ne officium Cõmentatoris mihi uidear aſſumpſiſſe. Quod aũt Lycurgi filius fuerit Ancæus uerba illa Apol lonij in primo libro declarant:* τρίτατος γέμεν ἐσπετιοῦσιν ἀγκαῖος τὸν μὲν ῥὰ πατὴρ λυκόοργος ἔπεμπε. *Sed non poſ ſum non ridere uerba Cõmentatoris qui dicit, Lycurgus Butrem fra trem habuit, autore Diodoro, eiuſdemq́; nominis filium, quem ex ar bore detractum aper lacerauit, quod nihil ad hoc propoſitum facit. nam non legendum eſt ab arbore natum: ſed & arbore natum. & intelligimus Adonim filium Cinyræ & Myrrhæ quæ mutata fuit in arborẽ ſui nominis: natus eſt ergo Adonis ex arbore, id eſt Myr rhã mutata in arborem, ut narrat Ouidius libro decimo: At male cõceptis ſub robore creuerat infans, Quærebatq́; uiã: & reliqua quæ ſequuntur legitote. Fuiſſe autem ab apro interfectum Adonim nullus ueſtrum ignorat, & in florem mutatum. Sciendum ſane* λυκόοργον *dici, & per ſynæreſim* λυκοῦργον. *& Lycurgiden produ cere penultimam contra morem ſimilium patronymicorũ: quod no tauit Priſcianus, ſicut Lagides, Codrides, & aliqua alia. Hic præte reo illud, quod non intellexit de puero, qui interfecit Amyntiadem. hoc ad Pauſaniam qui interfecit Philippũ Amynthæ filium quidam rectè referunt, ut credo ab alijs uos audiuiſſe: & illud cum alijs mul tis, quod cum illum locum exponeret: Vt quod dux Pœnus merſit. p. u: dixit Ouidium loqui hic de illa crudelitate, qua uſus fuit Hanni bal, quando in flumine Gelo pontem de cadaueribus Romanis fecit: cum loquatur de illa perfidia, qua uſus eſt idem Hannibal, quando ſenatum Acertanorũ extra mœnia euocatum, in profundum puteo rum abiecit: ut apud Valerium in libro nono ſcriptum eſt. Hoc uo bis uolo patefacere, quod nuper Codrus repperit: cum bona tamen eius uenia, dicto audacter. Verſus Ouidij ſunt hij: Sit tibi con iugij nox prima nouiſſima uitæ Eupolis hoc perijt & noua nupta*

modo.

*modo. Cōmentator, & alij quos audiui, hoc ignorauere. Eupolis non poëta ſed alius: iuuenis fuit Niciæ filius: quem unà cum noua nupta thalamus cadens prima nocte extinxit. Glycerium ſponſa dicebatur filia Eudici: de hac re extat Hexaſtichon in tertio libro Epigrāmaton, cuius hi ſunt duo uerſus,* εὔπολιν ὡς ἀγαθήν τε γλυκέριον ὀρυμεναῖον ἔσβεσεν ἐν πρώτῃ νυκτὶ πεσὼν θάλαμος. *Euge bone Codre, nō gaudes his tuis inuentis? non exultas quod hāc inueteratam rubiginem deraſiſti, & tenebroſos locos illuſtraſti. non credo. nam minime ambitioſus es: & hæc minimi ſunt præ illis, quæ in tuis libris leguntur. Sed de his hactenus non enim alijs doctis adhuc incognita excogitandi labor auferendus eſt. Tunc unus ex eo literato numero ſuſcepit: Nónne aliquid nobis de Cōmentarijs in Martialem dicis? & ille, quid dicam inquit, multis? niſi quia uir ille qui Commentatus eſt, ut plurima uere & argutè dixit: ita multa ignorauit, & perperam demonſtrauit. nam præter illa, quæ ab eius æmulis reprobata ſunt, unum è multis uolo uobis patefacere: In Martiale eſt hoc diſtichon: In prætio ſcopas teſtatur palma fuiſſe, Ocia ſed ſcopis nunc analecta dabunt. Vbi Domitius poſt multas nugas tranſit ad pauimentum aſarotum, & reprehendit, caſtigat, uituperat quoſdam, qui uerba Plinij inuerſa accipiebant: & Nicolaum Perottum unū ex his notat. hic ego duos piſces & magnos quidem, mugilem ſcilicet & lupum una ſagena capio. Domitius dicit Aſarota dicta ab α particula intentiua, & σαίρω, uerro: & diligentiſſime uerrebantur. quod ſi uerum eſſet omnia pauimēta Aſarota dici poſſent: quod falſum eſt. quoniam Aſarotum pauimenti ſpecies eſt, ut oſtendam. Perottus dicit huic cōtrarium, aſarota, ſcilicet dicta ab α quod priuat, & σαίρω uerro: quod uerri non debeant, poſtquam inuentum eſt, ut manibus purgamenta colligerētur, quod eſt falſum. nam etiamſi purgamenta manu colligebantur, non ideo dicta ſunt Aſarota, ſed hac ratione, quam uobis dicam. Zenodorus ſtrauit pauimentum Pergami, in quo pinxit reliquias cœnæ cum quibuſdam alijs ima-*

*ginibus, & appellauit οἶκον ἀσάρωτον, id eſt, domum impurgatam, non quod eſſet impurgata omnino nam purgabatur, quando opus erat: ſed impurgata uidebatur propter reliquias cœnæ ibi relictas in pictura ſcilicet, & ideo Statius in laudem uillæ Manlij Vopiſci dixit: Superantq; nouis Aſarota figuris. Audiſtis ergo: Aſarotum ſpeciem eſſe pauimenti, non genus, ad ſimilitudinem cuius etiam illa quæ teſſallata ſunt, & uermiculata, dici poſſunt Aſarota. Corrigatis ergo ſic Plinij lectionem in libro 36. Celeberrimus in hoc fuit Zenodorus, qui Pergami ſtrauit, quem uocant Aſaroton œcon. quoniam purgamenta cœnæ in pauimento, quæ euerri ſolent, ueluti relicta fecerat: & reliqua. Legendum eſt ergo: Quae non quoque. & Aſarotum eſt tantum illud pauimentum, quod fecit Zenodorus cum reliquijs cœnæ, uel quodcunque aliud ſic pictum ut paulo ante dixi. decipiebat ergo hoc pauimentum Zenodori ignaros: ut uuæ Zeuxides pictæ, aues & linteum Parrhaſij Zeuxim. Hoc inuentum pulcherrimum ingenio Hermolai Barbari acceptum ferimus: ſicut & illud quod de apophoretis legimus. Fuit tēpus, in quo exiſtimabā errare eos qui dicerēt eſſe munera, quæ referrētur ab his, qui ſalutabātur, uel q̄ ab imperatore remittebātur, ut Domitius & Sipontinus dicūt: nec uocabuli ueritatē, q̄ Græci etymologiā appellāt, poterā pſpicere. Barbarus nūc clarā rē fecit, cū dixit fuiſſe uaſa quæ in conuiuijs offerebantur, ut ſecū ea ferrent, domoq; haberent, qui in conuiuio epulati fuiſſent: Videte Plinium in libro 33. Sed dic quæſo quid de Barbaro ſentis? Id quod de homine doctiſſimo ſentiendum eſt: ita tamen ut ei omnium rerum ſcientiam non concedam. Nam quæ de ſplanchnopte dicit non uſquequaq; intellexit. ſi enim intellexiſſet, nō ſubiūxiſſet, ſunt q ſparganoptē, à ſparganis, hoc eſt, crepūdijs: & lib. 34. nō ſcripſiſſet, legendū uidetur ſplanchnopte, & mox qdam neſcio q̄ recte ſparganoptē ſcipſere. Sed Barbarus, ſicut & alij, non aduertit uerba Plinij, quæ ſequuntur coniuncta ſuperiori clauſulæ. Hic fuit exta torrens, ignem oris*

*ſpiritu*

ſpiritu pleni accendens. quæ ſi aduertiſſet, caſtigaſſet ſine dubio acriter eum, qui dixiſſet aliter quam ſplanchnoptes. & certe caſtigandus eſt: nam σπλάγχνα dicuntur exta & ὀπτῶ, aſſo uel torreo. Præterea quod ſcripſit Zetam zeteculamq́; legi in epiſtolis Plinij, errauit. ibi enim legitur Diæta in ſanis codicibus: uerum profertur Ziæta ea cõſuetudine & cognatione, qua hodie hoziæ, Medentius; Mezentius, ut notauit Priſcianus. quare errauit ille quoq;, qui Sabazium dixit, & non Sabadium ſcribendum: ex illo ergo ſono corruptè ſcriptum eſt Zeta & Zetecula. ſtulta ergo ſunt ea quæ dicit de feruore. Zeta uero nihil eſt niſi litera, quæ cognationem habet cum ſ & d, ut ſcitis. Hæc ſunt de Codri annotamentis. ſed de Barbaro nunc taceamus, redeamus ad Martialem. Quod putatis eſſe, qui publicè audent exponere Martialem, & primi epigrãmatis uerſum illum (ſi modo illud eſt primum epigramma) non intelligunt?

Nec triuiæ templo molles laudentur honores. Domitius dicit molles honores, id eſt, luxurioſi & Aſiatici honores, uel luxurioſa ornamenta. Merula illum reprehendens dicit: Molles referendum eſſe ad cõmendationem tum artificum tum ſtatuarum. nam molles capillos, & mollia ſpirantia æra fabricata dicimus. Politianus refert primo de multimammijs poſſe hoc dictum exiſtimari: deinde item ad Pompam referri, quam celebrabãt uirgines ſplendidæ, ornatæ, & ephebi delicati. Perottus exponit, molles non duri propter uitigineum ſimulachrum, & ſcalam, & cætera armamenta lignea. Horum nullus ueritatem attigit: cuius rei argumentum eſt, tanta opinionum uarietas. Nam nihil in his expoſitionibus exiſtit quod mirãdum faciat ſpectaculum: niſi fortaſſe quod recitat Perottus ex Plinij ſententia. Verũ illud non eſſe credo. Sed quid eſſe credis: Dicit Codrus legendũ eſſe autores qui de ſeptem ſpectaculis ſcripſerunt, & uidendum quàm ob rem templum Dianæ dicant inter ſpectacula numerari, & ſic fore ut Martialis uerſus intelligatur. quoniam poëta, Domitiani amphitheatrum præponit omnibus admirandis operibus & ædificijs.

*dicit enim: Omnis Cæſareo cedat labor amphitheatro.non propter luxurioſa ornamenta,non propter molles ſtatuas aut aurum aut argentum,ſed propter quendam admirandum operis laborē. hoc aūt eſſe apud Plinium:ſed non aduerti à legentibus. Sed declara nobis. O inertes,omnia obſcura ſine labore percipere uultis,uos uideritis, ſaltem locum oſtende. Fiat:uidete librum 36. Naturalis hiſtoriæ. ubi ſi oculos,ſeu mentem potius aperueritis,quod ſcire uultis inuenietis. Sed nihil nobis dicis de hoc uiro literato,qui ſuperiori anno Valerij Maximi libros publice expoſuit. Itemq; Senecæ tragœdias nunc habet in manibus. non ſane eum audiui: niſi quia accepi à quodam tribuli & uicino meo,qui ad eum audiendum itauerat, eum expoſuiſſe portendorum depulſis,id eſt,ſuperſtitioſorum hominum reiectis libris: libris ergo portendorū,id eſt,magorū. quod ſi uerum eſt,quæ portenda ſunt iſta, quæ narraſti bone uir,totam illam partem à te male expoſitam eſſe credendum eſt. non uidiſti Ciceronis orationem de reſponſis haruſpicū,unde hæc ſumpta ſunt,non intellexiſti,quæ eſſent depulſa portendorum,& te coniunxiſſe ea quæ erant diſtinguenda. Præterea accepi te nihil admonuiſſe,an Gracchano tumultu pollutum,an Gracchano interitu ſit corrigendum aut legendum,ubi Valerius de Cereris templo loquitur. Quod qui ſcire uult,legat Ciceronem de ſignis in Verrem,ubi deſcribit Siciliam. illic inueniet hæc uerba: itaq; apud patres noſtros attroci ac difficili Reipubl. tempore cum Tiberio Graccho occiſo magnorū periculorū metus ex oſtentis portenderetur P. Mutio. L. Calphurnio Coſſ. aditum eſt ad libros Sibyllinos, à quibus inuentū eſt Cererem antiquiſſimam placari oportere. Inſuper in ſecundo libro ubi loquitur Valerius de quodam Valeſio: qui fecit quædam ſacra pro filijs peſtilentia laborantibus te ſic legiſſe, mihi ille idem retulit uicinus: Habitabat enim in uilla ſua prope uicinum Sabinæ regionis fretum. & expoſuiſſe fretū quod Tyberis in aliqua parte uocatur fretū à feruore quod ridiculum eſt,ut arbitror. Ego autem in Codri libro ſagittatum*

gittatum eſſe fretum uidi, & i margine, hæc ſcripta uerba, Heretum dicunt doctores. & ſane ita puto legendum. Hereti meminit in ſeptimo libro Aeneidos Vergilius: Hereti manus omnis. & Heretum dictũ eſt ἀπὸ τῆς ἥρας, id eſt, Iunone quæ illic colitur. Inſuper in libro nono ubi Valerius de morte Iaſonis loquitur, à te quæro: quis fuerit hic Iaſon, an Pheræus, an Medeæ maritus, an alius. Non noui certe: Non noſti? Hoc noticia dignum. Sed Valerium nunc ſeponamus, cum multa in eo ingenti acrimonia ſint examinanda. At aliquid unum nos admone, quod annotatione in hoc libro dignum ſit. Eia uideatis in nono, ubi agitur de Hannibalis luxuria illius hæc uerba ſunt: Cum Seplaſia ei & Albana caſtra eſſe cœperunt. At ego hoc intelligo. Intelligis? dic ergo. Seplaſiam eſſe dico autoritate Aſconij plateam Capuæ, ubi unguentarij negociari ſunt ſoliti. Recte ſanè: ſed adde huic aliquid Plinianũ. Heſitas? Vellem illud adderes, quod eſt in libro 16. ſcriptũ, de reſina quam fundit picea. & inde fraus Seplaſiæ. & ſi locus ille ſanus non habetur, admoneres eſſe curandum, uel ſaltem illud recitares: quod eſt in libro triceſimo quarto notatum: Credunt Seplaſiæ ea omnibus quidem fraudibus corrumpenti, & quæ ſequuntur. Sed quid dicis de Albanis caſtris? Albana caſtra expono mollia & effœminata. Conſtat enim Albanos fuiſſe molliores: & Albæ magnæ fuit uſus unguentorum. ergo caſtra Pœnorum facta ſunt Albana. Hic erras. Nam Albanum erat locus Capuæ, ut ex oratione Ciceronis in Rullũ cognoſcere poteris. Iam uero inquit, qui metus erat tunicatorum illorum & in Albana & in Seplaſia? quæ concurſatio percuntantium? At fortaſſe hoc in caſtigationibus Plinij eſt. Neſcio. hoc autem ſcio me ( iam decem anni ſunt) iſtud Codro Valerium exponente didiciſſe. Sed quoniam hi optimi uiri aſſeruerunt te Annæi Senecæ tragœdias in manibus habere: quam illius tragœdiã nunc interpretaris? Medeam utiq; & paulo ante chorum illum expoſui auditoribus meis: Nulla uis flammæ tumidiq; uenti tanta. & quæ ſequuntur. Bene eſt multa iam in eo libro

annotâui, digna acri interprete: ſed & in hoc choro ſunt quæ à te ſcire cupiam. quo nam modo locum illum expoſuiſti: Patre Neptuno genitum necauit ſumere innumeras ſolitum figuras. Dixi ſecundum aliquos Acheloũ intelligi poſſe: hoc eſt, falſum. quoniã Achelous non fuit Argonauta: & de ſolis Argonautis loquitur Poëta. At fortaſſe fuit Cygnus: Non fuit. Ego uobis dicam. Fuit hic Periclymenus Neptuni filius ſecundum aliquos: ſecundum alios Nelei frater Neſtoris. Sed quid opus eſt, ut uobis ego referam, cum Ouidius plane totam rem cecinerit in libro duodecimo Metamorph. Bis ſex Neleidæ fuimus conſpecta iuuentus. & paulo poſt. Mira Periclymeni mors eſt cui poſſe figuras Sumere quas uellet rurſusq; reponere ſumptas Neptunus dederat Nelei ſanguinis autor. legite reliquos uerſus, ubi inuenietis Periclymenum in aquilam mutatum ab Hercule ſagitta fuiſſe interfectum, alij tamen dicũt in Muſcam, alij in apem uerſum: ſed ſi uideritis librum Fabularum Codri. 15. ubi de hoc plenius & ubi ſunt nomina Nelei filiorum, non fruſtra laborabitis. Interfecit & alios Periclymeni fratres Hercules in bello Meſenio, præter Neſtorem. Sed mirum eſt te hoc non aduertiſſe, cum ſuprà in Hercule furente legiſſes: bello cum peteret Neſtoream Pylon. Quare aũt Hercules expugnauerit Meſenen, & pepercerit Neſtori. exponit Iſocrates in ea oratione, quæ inſcribitur ἀρχίδαμος: quoniam ſcilicet ſpoliatus fuerat à Neleo & filijs, excepto Neſtore, bubus quas ex Erythea abegerat. Interfecit autem Neleũ & filios qui peccauerant. Neſtori autem depoſuit ciuitatem & quæ ſequuntur. Fabulatores uero dicunt Neſtorem eo tempore abſentem fuiſſe, cum puer eſſet & in Gerenijs nutriretur. unde Gerenius dictus eſt. alij dicunt ipſum aſcenſo equo fugiſſe, quare ἱππότης dictus eſt. addunt præterea Iunonẽ tunc pro Neleo pugnãtem, fuiſſe ab Hercule uulneratam: & Plutonem idem paſſum, ut legere licet in libris quos compoſuit Codrus de Fabulis: & apud Homerum in ε Iliados. Plutonis uulnerati meminit Seneca in Hercule furente.

Item

*Item illum nobis locum expone: Strauit Ancæum, u. l. ſ. Duobus modis expono uel ſetiger, id eſt, Meleager qui ferebat ſpoliũ ſetigeri apri. uel intellige Herculem qui ad Eryſtheũ aprũ ſetigerũ humeris geſſit utrunq; falſum, ſed ſetiger eſt aper qui interfecit Ancæum, de quo ſuprà uobis dixi, cum declararem locum illum Ouidij in Ibim. Quiq; Lycurgiden lætauit & arbore natum. Erroris cauſam fecit corrupta lectio, lege enim Antæum: ſed Antæus ille filius terræ, quem Hercules luctando interfecit non fuit Argonauta. Periclymenus uero, de quo paulo antè loquebamur & Ancæus Lycurgi filius, fuerunt Argonautæ: ut Orpheus, Apollonius & Valerius teſtãtur in ſuis Argonauticis. Apollonius de periclymeno ποσειδάων δὲ οἱ ἀλκὴν δῶκεν ἀπειρεσίην, & quæ ſequuntur. Vbi uero Seneca in eodẽ choro dicit: Concidit Mopſus. quid de Mopſo narraſti? nihil præterquam quod Mopſus hic Thebanus uates erat. aliud uero nihil? certe ibi multa erant dicenda. Nam cum plures Mopſi fuerint, duo præcipue celebrati ſunt à poëtis. Vnus fuit Apollonius & Mãtus Tireſiæ filiæ filius cum quo certauit Calchas de Diuinandi peritia: ut Strabo in libro 14. & Lycophronis Cõmentarius memoriæ mandauerũt. Alter Ampycis filius & Cloridis filiæ Orchomeni. hic Mopſus fuit Lapitha, id eſt, Theſſalus, ut legitur, apud Strabonem libro nono, & Apollonium, qui dicit, ἤλυθε δ' αὖ Μόψος Τιταρήσιος, id eſt, Venit aũt Mopſus Titareſius. idem dicit & Orpheus. Errauit ergo hic qui dixit, eum fuiſſe Thebanum. errauit ſane, ſi à Thebis Bœotijs dictum tradit: at ſi à Thebis Theſſalicis Thebanum fecit, non adeo errauit. unde fortaſſe dixit Seneca: Caruitq; Thebis. hic pugnauit in bello centaureo: ut ſcripſit Ouidius in duodecimo Metamorphoſeon. Nec tu crediderìs tantum cecinìſſe futura Ampyciden Mopſum. Sed uideamus an qui Ouidium familiarem habet hoc dixerit. Non dixi. Quid dixti? Mopſum hunc fuiſſe Apollinis & Mantus filiũ: & me dubitare cur dicatur Ampycides, niſi forte Ampycis fuerit filius: quamuis Apollinis putaretur.*

*ſed*

ſed audite: ſunt duo Mopſi ut uobis iam dixi. hic de quo loquitur Ouidius, fuit uates filius Ampycis & Argonauta, ut Orpheus & Apollonius cecinerunt: ſed confuſio parentum interdũ fit à poëtis. Apollonius in libro quarto ἔνθα βαμπυκίδην αὐτῷ ἐν ἤματι μόψον νηλειὴς ἕλε πότμος. Heſiodus in Aſpide, μόψον τ᾽ ἀμπυκίδην τιταρήσιον ὄζον ἄρηος: ſed non'ne aduertiſti illud quod ſuprà in octauo ſcriptũ erat, Ampycidesq́; ſagax, id eſt, Mopſus Ampycis filius ſagax quia uates. Sed quid ſibi uult Orpheus, cũ loquens de Idmonis morte dicat, ἀμπυκίδην ἴδμονα κυβερνῆτηρα τὲ τίφυν. Cæterum in huius Senecæ choro uidendum eſt, an aliquid deſit, an uerſus confuſi ſint aut tranſpoſiti. quid ſi tẽpora non conueniunt? Sed ſtultus ego, qui domo exieram animi cauſa, & illo ingreſſus ſum, unde laborioſus ſit exitus. Vos hic uideritis. Illud præterire nolo non docendi cauſa, ſed admonendi, locum illum paulo ſuprà poſitum, eſſe corruptum: Auris amiſſæ memor inde regis. quoniam nihil loco & propoſito idoneum, manente & lectione, pronunciari poteſt. At nos audiuimus, ſic eſſe legendũ: Aulis amiſſi memor inde regis & intelligendum eſſe Tiphyn, qui fuit Aulidenſis. hoc non mihi diſplicet: quoniam Orpheus de Tiphy ſcribens dicit, θεσπιέων δὲ ὄγε τῆμος ἐφ᾽ ὕγκοσι τερμήσοιο, & quæ ſequuntur. Apollonius de eodem τίφυς δ᾽ ἀγνιάδης σιφαέα κάλλιπε δῆμον θεσπιέων. Verum cogito melius aliquid, quoniam hoc uidetur eſſe aliud exemplum: & certe eſt. nam cum præmiſerit, In primis, ſequitur Inde, id eſt, deinde: & fortaſſe tangit Canthum Argonautam, de quo ſic Orpheus, κάνθος δ᾽ εὐβοίηθεν ἀβεντιάδης ἐπέρησεν: id eſt, Canthus autem ab Eubœa Abantiades tranſiuit. & Apollonius αὐτὰρ ἀπ᾽ εὐβοίης κάνθος κίε: id eſt, ſed ab Eubœa Canthus ibat. Scitis autem hæc uerba apud Plinium lectitari, in libro quarto: Et in ipſis faucibus Euripi, quem facit obiectus inſulæ Eubœæ: Aulis capaci nobilis portu: ut Aulis regem ſuum Canthum uocet, & doleat à uicinitate loci. Mortuum autem

eſſe

eſſe Canthum in Lybia ſcribit Orpheus & Apollonius, in terra uero Aeæa. Valerius Flaccus in prælio interfectũ dicit. Verum hoc in medio relinquo: & multa alia in hoc uolumine non quæro obſcura, & non niſi ab eruditiſſimis Græcæ & Latinæ intellecta, qualia repe riuntur & in Iuuenalis & Lucani & aliorum Poëtarum uoluminibus, nondum ſatis elucidata, poſtquã non ij eſtis, quos ego exiſtimaram. Atqui nos pulchriora & obſcuriora his quæ rogaſti ſcimus, nõ in poëtis tantum, ſed in oratoribus præcipue in Cicerone, Quintiliano, Plinio. Præterea omnes Gellij noctes Atticas, omnes elegantias, omnes annotationes, omnia cõmentaria memoriter ſcimus recitare & intelligimus: Itemq́; quis finis Rhetorices ſit, an perſuadere, an benedicere. & multa id genus callemus. Magna certe hæc ſunt, ſi uera ſunt. Cæterum quærere differamus: nam ſi uellem in præſentia periculum facere, oſtenderem uobis aliqua in Plinio, in Cicerone, in Quintiliano quoq; eſſe incognita quæ à nullo ſeu Cõmentatore ſiue annotatore ante Codrum uel declarata uel caſtigata fuerũt. Age dic mihi uir diſerte, quod in hos neotericos feciſti Grãmaticos ſeu Lectores auderes ne in antiquos cõmittere? Sermonem tuũ non accipio. Illud uolo dicere ſi reprehendere auderes Quintilianum, Donatum, Lactantium, Diomedem, Seruium, Priſcianum reprehendere non eſt meum, uel docere uel monere: ſed auderem ſanè & præter Seruij errores ab alijs acutiſſime caſtigatos, ergo quoq; aliquid adderem. Vnum tantum errorem illius, ſiue Lactantius, ſiue alius fuerit, qui in Statij Thebaida dicitur ſcripſiſſe, uolo in præſentia uobis oſtendere. Fortaſſe illum uis dicere, quo aſſerit Statium fuiſſe Toloſanum? minime. nam ille manifeſtarius eſt. Sed alium. Statius in ſecundi libri fine inducit Tydæum Palladi templa pollicentẽ dicere: Et ab arbore caſta Nectent purpureas niueo diſcrimine uittas. Cõmentator: Oliua, inquit, ſiue lauro per inuẽtorem, id quod inuentum eſt. Nam caſta non eſt Olea, ſed Minerua. Et quæ ſequuntur. Ego per arborem caſtam intelligendum puto eam quæ Latine

*dicitur uitex, ſed Græci λύγον uocant alij ἄγνον. quoniã matronæ, ut ait Plinius in Theſmophorijs Athenienſiũ, caſtitatem cuſtodientes, hic folijs cubitus ſibi ſternũt. Eadem fermè Galenus in libro 6. de ſimplicibus refert, propter caſtitatem quam ſeruat, quando ſubſternitur, uel comeditur, uel bibitur hoc nomen habet. nam ἁγνὸς Græcæ dicitur caſtus. Et plebeij adhuc agnũ caſtum appellant, & rudes medici illos ſequentes, neſciunt Caſtum expoſitionẽ eſſe præcedentis uocaminis. Nicander ἄγνου ἢ βρύα λευγά. Hæc tua expoſitio uir egregie, arguta magis quam uera eſt. Nam quamuis ἁγνὸς Græce, caſtus dicatur Latine, & ſit uitex hoc nomine: tamen oliua magis cõuenit Palladi, ſicut laurus Phœbo, quam uitex. Vnde apud Vergiliũ legitur: Vittis & ſacra redimitus tempora lauro: & apud Statium: Pacifera lauro crinem utriſq; decorus. præcipue cum ipſe Cõmentator ſubiungat, quod poſt quinquennium Athenis Mineruæ offerebatur: ut dicat ſacerdotes Calydonidas nexuras eſſe uittas pẽdentes ab oliua tanquam ad ornatũ illius arboris. Vt: Et uitta cõptos uoluit prætendere ramos, apud Vergiliũ lectum eſt. Quare non uidetur ignorantiæ accuſandus Cõmentator. quid ſentis Codre? Idem mihi quoq; uidetur. Vittæ enim dantur ſæpenumero lauro & oliuæ. unde Statius in 9. dixit: Cultuq; inſigne uerendo Vittatæ laurus & ſupplicis arbor oliuæ. & Commentator dicit, non quod ipſa ſit ſupplex: ſed quod homines qui rogant, hac ſuppliciter utuntur. Bene narras: ſed poſtquam hunc locum citaſti, expone quæſo, quæ uocamina ſint hæc quæ dicit Cõmentator ab Athenienſibus reſionem dici, à reliquis autem Græcis hiereran. Rem ſcitu pulchrã quæris, & tibi non moleſte exponam. Hæc uocabula hic corrupta ſunt, ut alia plurima in hoc ſcriptore: quæ ſi ſana eſſent, & intelligeremus quædam, quæ à ſolis Græcis dicta inueniuntur, etiam ab hoc dicta fuiſſe, quale illud unum eſt de Leone Nemeæo nato ex Luna, ut in Achille Arati Cõmẽtatore inuentũ à ſe Politianus gloriatur: dũ illũ Senecæ uerſum corrigit: Sublimis alias Luna cõcipiat feras. nam ut*

Lactantius

Lactantius hoc idem dicit in Statij librum ſecundū, uerba eius hæc ſunt: Poëtæ deniq; omnes aſſerunt Leonem de his polis ortum, quem Hercules proſtrauit: Heſiodus tamen in Theogonia ex Orthocane & Chimæra hunc Leonem natū ſcripſit. Codrus etiam in decimotertio libro Fabularum, in Aeliani duodecimo Epimenidē citātis id eſſe dicit, quod non temere aliunde quam ex Achille deſumi poſſe dixit Politianus. Verſus Epimenidæ ſunt hij, καὶ γὰρ ἐγὼ γένος εἰμὶ σελήνης ἠυκόμοιο ἥδεινὸν φρίξας ἀπεσείσατο θῆρα λέοντα ἐν νεμεαίᾳ ἄγοις αὐτ' διαπότνιαν ἥραν. Et in Cōmento Apollonij legere licet: & alia multa: in hoc ſcriptore Lactantio inueniūtur, quæ non alibi. Sed ad rem redeamus, ubi loquebamur de oliua ſupplice: lege ſic: Diximus hanc ab Athenienſibus ireſionem dici, à reliquis autem Græcis hiceteriam. & integram facies lectionem: Et εἰρεσιώνη erat ramus oliuæ: ſecundum alios lauri ornatus lanis & omnium generum fructibus ianuis affixus in Apollinis honorē ex oraculo dato, urgente quadam Athenienſes ſterilitate. Multa de hoc uocabulo habeo dicere: ſed ne longum faciam, nonnullos ſcriptores & Græcos & Latinos tibi nominabo, à quibus plura diſcere poteris. Lege ergo Ariſtophanem in Pluto, & eius Commentatorem, Herodotum in uita Homeri: ubi dicit quod Homerus fecit quædam carmina, quæ dicta ſunt εἰρεσιώνη. Et Strabonem in libro primo, & Plutarchum in uita Theſei, & Commentatores Vergilij ſuper illo uerſu: Et uitta comptos uoluit prætendere ramus. Virg. à uittis lancis uidetur accepiſſe nomen, ut Plutarchus teſtatur. nam τὸ εἴριον Græce, lana dicitur Latine. Hoc uocabulo uſus eſt nuper uir Græcus quidem, ſic Latine etiam doctiſſimus Ioannes Laſcaris in Epigrammaton Græcorum procœmio. Quod autem ſpectat ad alterum uocabulum, accipe ἱκετήρια dicitur ſupplicatio, & ἱκετήριος ſupplex, & ἱκετεύω ſupplico: & ponitur pro ramo illo lanis compto. Ariſtophanes in Pluto, ἱκετηρίαν ἔχοντα: & fortaſſe: Statius cum dixit: Et ab arbore

*caſta. n. p. n. d. u. intellexit quiddam ireſione ſimile, aut coro-
nam ex oliua & uittis: ut Seneca Palladem alloquens dicit: Tibi
nexilibus turba coronis   Redimita uenit: Sed ſatis tibi ſit habere
rectam illorũ duorum nominũ lectionem. At poſtquam hunc locum,
qui eſt de caſta arbore dictus, ab errore purgatum creditis, quomo-
do illum purgabitis, qui eſt in quinto Thebaidos? ubi poëta dicit: Hic
& ab aſſerto nuper Marathone ſuperbũ   Theſea? Et Cõmentator
declarat: Marathon ciuitas, in qua Theſeus nutritus. q̃ cũ Perſæ in-
uaſiſſent ab Atheniẽſibus, Theſeo duce, cæde magnorũ uirorũ libera-
ti ſunt. hoc falſum ſane eſt. Nam in pugna Marathonia, quæ facta à
Perſis contra Athenienſes, non fuit dux Theſeus, nec tempore The-
ſei pugna illa facta fuit: ſed multo poſt tempore Milciadis & alio-
rum ducum. unde infrà Statius: Et nondum Eoo clarum Marathona
triumpho. Sed quis non uidet hũc quoq; locum eſſe corruptũ uel ad-
ditum fuiſſe ab aliquo hiſtoriæ & temporis ignaro, præſertim cum
ipſe Cõmentator paulo poſt ueram ponat expoſitionem, ſcilicet de
tauro Marathonio, quem Theſeus interemit, ut in libro 12. Si patri-
um Marathona metu, ſi tecta leuaſti Creſia. Et Ouidius in ſeptimo
Metamorph. Te maxime Theſeu   Mirata eſt Marathon Cretenſis
ſanguine tauri. hoc omittamus. Illud potius à Codro ſcire uellem,
quia hoc loco Cõmentator dicit. Vnde factum eſt, ut ita Athenienſes
iurent, & ibi ſunt aliqua uerba nec Græca nec Latina: quomodo in-
telligenda ſint. Imò ſunt Græca, ſed corrupta: & eſt iuramentum,
quo utitur Demoſthenes in oratione περὶ ςεφάνου, οὐ μὰ τοὺς
ἐν μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας, id eſt, non per periclitatos
in Marathone. quod citat Quintilianus in nono & idem in duodeci-
mo. Verum ubi curua cœpiſti corrigere, corrige & hoc quod eſt in
quarto: Tu ſepare cœtu   Elyſios Perſeæ pios uirgaq; potenti   Nu-
bilus Arcas agat. Quomodo uis alios corrigam, qui meipſum corri-
gere nõ poſſum: Multas illic Cõmentator ambages ſcripſit, ſeu alter
addit de Mercurio, de Libero, de Hecate quas non intelli go. hoc ue-
re uos:*

re uos docebo Perſea legendum genere fœminino, non Perſee, & per Perſeam intelligendum eſſe Hecaten filiam Perſæ & Aſteries ſororis Latonæ. unde Ouidius in ſeptimo Metamorphoſeos, Ibat ad antiquas Hecates Perſeidos aras. Et ita dicit Heſiodus in Theogonia de Phœbe nupta Cœo Titani. γείνατο δ' ἀστερίην εὐώνυμον ἥν ποτε πέρσης ἤγαγετ' εἰς μέγα δῶμα φίλην κεκλῆσθαι ἄκοιτην ἡδ' ὑποκυσσαμένη ἑκάτην τέκε: & reliqua. hoc eſt: Genuit aũt Aſterien ſiniſtram, quam aliquando Perſes duxit in magnam domum, caram uocari uxorem: hæc aũt prægnans facta Hecaten peperit. Cicero in 3. de Natura Deorum. Quomodo aũt potes, ſi Latonam Deam putes, Hecaten non putare, quæ matre Aſteria eſt ſoror Latonæ? quidam tamen dicunt eam Iouis filiam. In Orphicis uerò, Cereris filia perhibetur. Bachilides aũt Noctis ipſam filiã ſcripſit: Muſæus autẽ Aſteries & Iouis: Pherecydes aũt Ariſtæi Pæonis filij, ut in octauo Mythion Codri legitur. Huic aũt Hecate magnum honorem exhibitum eſſe à Ioue ſubiungit idem Heſiodus, & multa dona data, ut haberet partem in terra & in mari & in cœlo. & quæ ſequuntur. Et ideo bene ſubdidit Cõmentator Statij ſenſus hic eſt: Hecate & Mercurius pias animas ducant, nocentes Tiſiphone. Sed poſtquam Hecates mentionem fecimus, docendus eſt Seruius, & ſi qui Seruium ſecuti ſunt ſuper eo loco Aeneidos in quarto: Tergeminamq; Hecaten tria uirginis ora Dianæ. non eſſe ibi iterationem, ut ipſe affirmat. Nam quamuis Hecate interdum à Poëtis pro Luna uel Diana, uel etiã Proſerpina ponatur: tamen numen eſt etiam per ſe & aliud à memoratis, & non dicitur triformis uel triplex, ea ratione qua Luna, quæ in cœlo Luna eſt, in ſiluis Diana, in inferis Proſerpina: ſed Hecate triformis. quia ut ſcribit Orpheus in Argonauticis tria habet capita, ideo τριοκέφαλον eam appellat: dextrum caput eſt equi, ſiniſtrum canis, medium hominis agreſtis: Audite Orpheum qui appellat eam filiam Tartari ταρταρόπαις ἑκάτη, λαιὸν δ' ἀριστερόσυθεν ὤμου ἵππος

 χαιτήεις

χαιτήεις κατὰ δεξιάδη ἐν ἄθρηνοσαι λυσσῶπις σκυλάκη· μέσση δ' ἔφυ ἀγριόμορφος. idcirco bene Ouidius in. 7. tuq; triceps Hecate. audis ne quemadmodũ Ouidius appellat Hecaten tricipitem. Non poteſt certe bonus eſſe fabulator, qui Theogoniam & Heroum genealogiã Heſiodi non habeat familiares: nec bonus ſcriptor ſine omnifaria doctrina & ſummo iudicio. ita enim omnia ferè corrupta ſunt & inuerſa, ut difficile ſit uerum inuenire, ut paulo ante uidiſtis in Lactantio, & in eodem uidere poteſtis in 4. Theb. ubi declarat quare Arcades priores Luna dicantur, ibi narrat Arcades de antiquitate cum Phrygibus certauiſſe. & ubi dicit: Producti nũt pueri, uerè locuti eſſe dicuntur: ſcribendum fuit βὲκ uel βέκκος, id eſt, uec uel ueccos, id eſt, panis lingua Phrygũ. Sed hic diſſentio eſt. nam hoc narrat Herodotus in Euterpe, factũ fuiſſe inter Pſamitichum Regem Aegypti, & Phrygas: cui aſtipulatur Claudianus in 2. in Eutropium. Dat cũcta uetuſtas Principium Phrygibus: nec Rex Aegyptius ultrà Reſtitit humani poſtquam puer uberis expers In Phrygiam primum laxauit murmura uocem. Ariſtophanes uero ex utraq; hiſtoria ſcilicet Phrygũ & Arcadũ qui dicũtur fuiſſe uetuſtiſſimi, formauit uocabulũ in fabula, quæ inſcribitur Nephelæ, id eſt, nubes καὶ πῶς ὦ μωρὲ σὺ καὶ κρονίων ὄζων καὶ βεκκεσέληνε. ueccoſelinum appellat antiquiſſimum, & per hoc ſtultiſſimũ. quare autem Proſelini dicti ſint Arcades, legatis non Latinos tantum ſcriptores, ſed & Græcos, ut Apollonium in quarto Argonauticon & Commentatorem eius. Accipite aliam uarietatem, apud Plinium in 34. hec uerba ſcripta ſunt: Ante omnes autem in admiratione fuit ſolis Coloſſus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius Lyſippi ſuprà dicti diſcipulus, ſeptuaginta cubitorum altitudinis fuit. idem & Euſtathius dicit apud Simonidem, legitur fuiſſe Laches & octoginta cubitorum altitudo. Strabo dicit fuiſſe Iouis Coloſſum, niſi mendoſus ſit. Feſtus Pompeius aliud nomen artificis ponit. Cui magis credam? potuiſſet errare Librarius Græ-

cus: potuiſſet errare etiam Latinus. Diſtichon Iambicum Simonidæ hoc eſt: τὸν ἐν ῥόδῳ κολοσσὸν ὀκτάκις δέκα λάχης ἐποίει πηχέων ὁ λίνδιος. id eſt, in Rhodo Coloſſum octies decem Laches faciebat cubitorũ uel ulnarũ Lindius. Alij tamen legunt ἑπτάκις δέκα. id eſt, ſepties decem & hoc adiuuat illud Plinij in epiſtola librorum Naturalis Hiſtoriæ, ubi dicit Græcos pictores pendenti titulo opera abſoluta inſcripſiſſe, ut Apelles faciebat. Poſtremo hæc uarietas non tantum inter Latinos & Græcos: ſed & inter Græcos, & in uno codemq; Græco ſcriptore inuenitur exempli cauſa, Nicander in Theriacis, ubi loquitur περὶ ἀσκαλάβου dicit, ἀρχαίη μεγάνειρα. in alio codice legitur μετάνειρα. Ego tamen legerem μεγάνειρα. & fuit Meganira coniunx cœli, ut teſtatur Diomedes Grammaticus: ubi de Iambi pedis origine loquitur. Secundum Nicandrum una de Celei ancillis anus, ut obiter dilucidiorem faciamus illam Ouidij fabulam, quæ eſt in quinto Metamorph. de Cerere ſitiente dicit enim Ouidius prodit anus, id eſt, Meganira. Nicander, ὅτ' ἐν κελεοῖο θεράπναις ἀρχαίη μεγάνειρα θεὴν δείδεκτο περίφρων. id eſt, quãdo in Celei ancillis uetula Meganira deam per manum accepit prudens ſeu caſta: ſed Diomedes Iamben puellam Celei famulam dicit, quæ Cererem male tractauit. Cõmentator Nicandri Iambam puerum appellat: & ita Ouidius ſcripſit: Duri puer oris. Ecce alia uarietas. Concludamus ergo, difficilimũ eſſe, quod uerũ ſit inuenire. Recte ſane: ſed tamen quæ expoſuiſti pulcherrima ſunt, & tibi plurimũ accepta fero. & ab uno errore Lactãtij, quẽ oſtẽdere propoſueras in hoc, uel uide, neſcio quo modo diuertimus. Tũc aderat quidã Medicus iuuenis, ꝗ omnia ferè hæc audierat & ſurgens dixit: Poſtquã tu etiã medicos tãgis, & in reprehẽdendis quibusq; minimis auidus es, afferã tibi iam Autorem quẽ erraſſe demõſtrare nõ poteris. Affer, inqt, ille meus aſſectator & cum ille tradiſſet in manus opera quædam Hippocratis, lege inquit, hanc particulam quæ ſcripta eſt in libro de Natura infantis: γίνεται δὲ ἐκ τοῦ χλωροῦ τοῦ ᾠοῦ τὸ ὄρνεον. τροφὴν δὲ

καὶ αὔξησιν ἔχει τὸ λευκὸν τὸ ἐν τῷ ᾠῷ. Dic Latine & intelligant omnes. Fit ſeu generatur ex luteo oui auis, nutrimentum autem & augmentum habet album, quod eſt in ouo. Errauit Hippocrates. quomodo errauit ille qui tam fallere quàm falli neſcit? nimis certe audax es. Et tu nimis tardus, audi Plinium in libro decimo: Ipſum animal ex albo liquore oui corporatur: cibus eius in luteo eſt. Plinium mihi producis, quem medici non aſsis faciunt. Cur non potuit Plinius erraſſe? Plinium, inquam, produco: quē qui familiarem habet, non poteſt non eſſe doctiſſimus. atqui Horatius tuus Hippocratem ſequi uidetur, cum de ouis loquatur, ſic dicens: Namq; marē cohibent calloſa uitellum. Horatius poëta eſt, Poëtis aūt licet & nomen pro nomine, & rem pro re ponere: ſed audi Ariſtotelem in libro de Animalibus ſexto: Origo itaq; pulli in albumine eſt: cibus per umbilicum ex luteo petitur. Idem dicit & in libro tertio de Generatione animaliū, ubi Alcmæonē hoc, quod Hippocrates dicit, exiſtimantē reprehēdit. Iā ergo aut Hippocrates errauit, aut Hippocratē non intelligis. Lege reliqua, quæ ſequūtur apud Ariſtot. & Hippocratem, & nullam inter eos eſſe diſcordiam cognoſces. Legito tu qui Medicus es, Medicū Forliuienſem, & cōciliatorem tuū. prò Iupiter hic qui ne urticam quidem nouit, audet de hyacintho, de arbore caſta, de generatione pullorum loqui: Noui ſane urticam & alias multas tum urbanas tū ſilueſtres herbas, inter cæteras & illam. quam cū guſtaſſet Glaucus, ſaltu ſe in mare proiecit. Ahahe. quid ridetis, bardi, bleni, bubones, fatui, qui tanquam mures alienum panem comeditis. Ridemus ſtultitiā tuam, qui mox te omnia ſcire profiteberis, & ipſum poſſe Homerū reprehendere. Imò iam profiteor. Homerū reprehendere omnium Philoſophorū poëtam & omnium poëtarum philoſophū? Homerum, inquam, in primo uerſu Iliados μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληιάδεω ἀχιλῆος. ibi dico tris eſſe errores. primus error eſt, quia Iambum pedem in tertia ſede poſuit: quē uerſus heroicus non recipit. Secūdus error eſt, quia non uſus eſt

ſynalœpha

*ſynalœpha in quinto pede, quæ eſt Græcis familiariſſima, ſed aſperam fecit in ſcanſione ſynæreſim. Tertius error eſt, quia in eodem pede corripuit ſyllabam poſitura gemini l. longã. Achilles enim gemino l. ſcribitur: ut ipſe Homerus alibi recte poſuit. O cœlum, ô terra, ô maria Neptuni, certe hic dæmonium habet. Tace rabula. Tacete uos ignorãtiſſimi, aut Homerũ defendite. quæris infortunium, ſi maledicere pergis. Habebitis uos non quærentes. Quid agere paratis. cõtinete manus, quieſcite. hæc non ſunt inter doctos uiros faciẽnda. Sine nos Homerũ defendere. Silete, aliâs defendetis, ſine nos hunc neotericum Zoilum infrenare, ſine Codre has picas garrire. non ſino. Quin potius pacem inter uos eſſe dulcem & firmam uolo. Et uix facto ſilentio. Quidam uir honeſta & graui facie inſignis: qui totam hanc audiuerat contẽtionem, & ne unum quidem uerbum unquam fecerat, ſic effari cœpit. Codre & uos uiri eruditi, licẽtne pauca cum uenia loqui ueſtra? Licet, loquere. Eſt quoddam genus hominum malignum & mordax, inter quos hic iuuenis meo iudicio numerandus eſt. meliora uerba quæſo, nam me iniuria afficis. At cũ uẽnia tua loquor. Perge auſcultabo. ſunt quidã homines maligni, qui nihil aliud agũt, nihil meditãtur, niſi quomodo bene de literis meritos poſſint carpere, lacerare, infamare, nec cogitant illos poſſe decipi ut humanos. Non ponderant, quot frigora, quot labores paſſi ſunt in cõponendis huiuſmodi operibus. Ah pudeat uos huius uitij, & mentem ueſtram uel linguam potius ad benedicendum aſſuefacite. nihil eſt tam benedictum, quin calumniando peruerti poſſit. Date lapſanti manum, & ubi adiuuare literas poteſtis, alio quam hoc modo adiuuate. At ego non carpo quenquam: ſed amice admoneo. & illi qui aliquod immortale opus poſteritati tradere cupiunt, debent omnes alios ſcriptores, omnes ſcedas excutere. Quas mihi ſcedas narras, quos ſcriptores excutere iubes? Vix illis tempus eſt ueſtes ſuas excutiendi. Nónne illud legiſti: Viro bono ſatis eſſe docuiſſe, quod ſcierit. Maiores noſtri duo aut tria ferè opera Cõmenta-*

*tarijs expoſita habebant: nos aũt omnes pene Poëtas, omnes Oratores ac Hiſtoricos cum duobus & interdum tribus habemus Cõmentatoribus. ex quo liquet, quantũ doctorum uirorũ huius ætatis ſudoribus debeamus. Præterea uitiũ aliud in huiuſmodi regnat hominibus, ut omnis obſcuras fabulas uel dicta abſtruſa & corrupta uerba cõperiant, & memoriæ mandent: & cum aliquem uirum doctũ in corona æqualiũ aliquid enarrantē cõſpiciũt, illico aggrediũtur rogantq́; ſiue aliquid ex obſcuris quærunt: & præter id aliud & rurſus aliud. Quæ cum uir ille doctus ſe neſcire fateatur, & quaſi præ pudore diſcedat. hij boni uiri ad circunſiſtentes uerſi, Hic uir, inquiunt, non is eſt quem putabamus. Hei mihi quo peruenimus? nullus amor: nulla in nobis eſt reuerentia. rogandi quidem ſunt docti uiri: ſed non tentandi, neq; à tergo contemnendi. Codre mi, noli omnibus credere. Ego interfui & audiui iam aliquos qui cum te præſentē laudauiſſent, hæc uerba, te abeunte, dixerunt: Codrus præter doctrinam, quæ omnino modica eſt, uir eſt timidus, lentus: nec ſibi nec amicis utilis. At ego ſemper Codrum ex quo mihi notus eſt magnifeci, & magnifaciam tam abſentē quam præſentē: uerũ quoniã uos uerba mea ægre tuliſſe uideo, mihi rogo ignoſcatis. Nihil uolo in Cõmentatorum nomen & famã dixiſſe. omnes docti, eruditi ſunt & elegantes. Illud tamen uos latere nolo, me ſexcenta & fortaſſe plura habere annotamenta in omni ſcriptorum genere à nullo ſcriptore tacta aut enarrata quæ à me nunquam audietis. Sed à Codro audiemus, quicquid enim tibi eſt, ex Codro eſt. Fortaſſe non audietis. nam ſi meo conſilio Codrus uti uoluerit, nihil huiuſmodi unquam ædet. primum quoniam pro beneuolentia, maliuolentiam conſequetur eorum, qui in ſe aliquid dictum eſſe putabunt. nullus enim noſtra tempeſtate reperitur, qui in ſe quicquam (quod maxime optabat Cicero) dici uelit. Deinde Codri ſermo tenuis admodum eſt & popularis, & à Logodædalis qui nomini eius officerent, contemptus iaceret. Poſtremo quamuis terſus & purus haberetur: tamen ab impreſſori-*

*bus corrumperetur: aut ſi non corrumperetur, abijceretur tandem & cum Bartolis & Barleis & ſupplementis chronicarum, & alijs huiuſmodi ſcriptoribus inuendibilis putreſceret. Sed age, uult ædere, quid demum conſequetur, nempe inuectiuas: quæ illum pædagogum & triuialem magiſtrum appellitabuut. quid tum? fabulæ. non enim defenditur error inuehendo. Pædagogorũ uero infinitus numerus. omnes enim commẽtatores pædagogi. nam ut pædagogus alumni ueſtigia: ita commentator eius quem interpretatur uoluntatem ſequitur & intentionem, & hac de cauſa fortaſſe L. Columella Higynum Vergilij pædagogum nominauit. Sanè Plutarchus Fabium Maximum à calumniatoribus pædagogum Hannibalis dictum fuiſſe memoriæ mandauit. Imo uero beneuolentiam & ingentes gratias ab his quos docuerit Codrus, conſequetur. ſi modo boni erunt uiri. Recte dixiſti, ſi boni erunt uiri, ſed ubi nam huiuſmodi uiri? Sed iam ſinite Codrum loqui: Bene itaque ſcripſit Horatius: Nec uixit male, qui natus moriensq; fefellit. & Ouidius idem repetiuit: Crede mihi, bene qui latuit bene uixit. Ohe, tandem ſinite Codrum reſpondere. quid dicis Codre? Quid dicam, quæris. Taceo & demitto auriculas, ut iniquæ mentis aſellus. quid tandem de hijs noſtris dictis ſentis. Et dicta ueſtra & uos ipſi fabulæ eſtis. quoniam uel bene uel male ſcripſeritis aut dixeritis. nihilo me meliorem uel feliciorem feciſtis. Impreſſores quoque librorum ſiue βιβλιοπώλαι fabulæ ſunt. nam præter quod plerique eorum indocti ſunt, alter alteri inuidet & damnum inferre ſtudet. addunt præterea operibus clarorum autorum aliquas commentaciunculas uel Omniboni, uel Pomponij, uel aliqua ex dictis Codri excerpta, ut opera fiant uẽdibiliora, quæ Pomponij nec Omniboni nec nũquam Codri fuere. & in illis tot ſunt additiones, diminutiones, inuerſiones, tranſmutationes literarũ uel ſyllabarũ, uel dictionũ, ut Barbariſmos Donati uel Diomedis exemplis poſſint adiuuare atq; replere. Tũc ille meus*

*aſſectator, Quoſdam tamen, inquit, ſummopere commendo, quibus plurimum lingua Græca debet non artifices: ſed artificum autores, ac ut ita dicam architectos doctos & multæ probitatis uiros. Laſcarim Florentiæ, Aldum Venetijs. his addo quantum ad res Latinas ſpectat Platonē Bononienſem. Et his dictis inde diſceſſimus. Sed iam ad Poëtas redeamus. Poëtæ quid agunt, proponunt, inuocant, narrant, laudant, adulantur: interdum mordent, inſaniūt, mentiuntur, bacchantur. quid tum, pauperes ſunt & fabulæ. nam eos ex Vrbe ſua diuinus pellit Plato, & Imperator, nulla prorſus immunitate eos dignatur, ut in libro de profeſſoribus & medicis ſancitum eſt. Homerum etiam Athenienſes ueluti inſanientem quinquaginta drachmis mulctauerūt, & Tirtæum mentis impotē eſſe dixerunt. Lacædemonij, libros Archilochi parum pudicos è ciuitate ſua exportari iuſſerunt. Hiſtorici aūt ab Vrbe condita, à principio mundi ſcribere res geſtas profitentur. & quis Vrbem cōdiderit: & quando mundus principiū ſumpſerit neſciunt. Ibi, Epota flumina: Medo prandente, legimus: Athon uelificatum: Et quicquid Græcia mēdax audet in hiſtoria. Quid ſcribit Cicero de hiſtoricis? nempe hæc uerba apud Herodotum patrem hiſtoriæ, & apud Theopompum ſunt innumerabiles fabulæ. Ergo & hiſtorici fabulæ. His addamus pictores. quoniam ars pingendi olim primum gradum liberalium obtinebat, & propter Flacci uerba, Pictoribus atq; Poëtis Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. Et quia etiam hiſtorias & fabulas pingunt hoc eſt, Argonautas, bellum Thebanū, bellum Troianum, Nymphas & Centauros, Tartara, Plutonem, Cerberum, Furias cornigeras furculis & ueribus animas in igne coquentes: & alia huiuſmodi. quàm uani & fabuloſi ſint, præ ſe ferunt. Eodem loco ſtatuarios, plaſtas, & alios huiuſmodi artifices ponendos eſſe cenſeo. Et cum his id hominum genus quod picturis, quod numiſmatis delectatur & ſtupet. Aſpice hic eſt Hercules, qui attritu pectoris leonem necat (ut ait Statius) Hoc pectore preſſus. Vaſtator Nemees, non ut*

*ſtolidi*

ſtolidi pictores, diducto rictu, laceratũ depingunt. Cerne, hoc eſt, Alexandri Magni caput, hoc Iulij Cæſaris, hæc eſt Traiani facies, hæc uero Antonini Pij, hæc Iuliæ, illa Fauſtinæ: O quam antiquũ eſt hoc argentum, quàm archetypum. Cerne hoc: Corinthium eſt, hoc Cataglyphon, quàm pulchra habet emblemata, quã pulchra parerga. Verum cum ſtatuas & pocula Euphranoris & Polycleti & Phidiæ & Maronis mirati fuerimus, & Imagũculas, Icones, pinacothecas, encauſtas figuras poſſederimus, quid tandem ad felicitatem? nihil. ergo fabulæ. Dialectici uero diſſerendi inuentores altercantur, clamant, rixantur. modo proponunt, modo admittunt, modo dubitant, modo negant: nunc concedunt, nunc ſupponunt, nunc argumentantur. & quid didicerunt? quod Omnis homo eſt riſibilis. quod hæ orationes differunt. Poſſibile eſt te tranſire pontem, & te poſſibile eſt tranſire pontem: &, quod tria oua ſunt quatuor: & quod Brunellus & Fauellus ſunt nomina aſinorum propria: & quod mus rodit caſeum, & mus eſt ſyllaba, ergo ſyllaba rodit caſeum. & alia multa, quæ poſtquam magnis clamoribus & conuitijs deblaterauerunt, nulla facta concluſione diſcedunt. Quam multa ſcripſit Chryſippus de Sorite ſuo: quam multa Ariſtoteles, & alij philoſophi de ſyllogiſmis, de elenchis & alijs materijs ad dialecticos pertinẽtibus ſcripſerunt. O miſerum hominem, ſi ſine horum doctrina neſcit ratiocinari. Nõnne hæc uobis fabulæ uidentur? fabulæ certe. Quid de Rhetoricis ſiue Oratoribus dicam? Et ipſi fabulæ ſunt. Tanta enim garrulitate, tanta inconſtantia capiũtur, ut quem antea laudauerint nunc uituperent, quem antea uituperauerint nunc laudent, quem accuſauerint defendant, quem aliàs defenderint nunc accuſent. Vnde niſi ab his nomina calumniatorũ, præuaricatorũ, tergiuerſatorum deſcenderunt? Et hi non contenti ueris cauſis, nouas & fictas excogitauerunt. tot theſes, tot hypotheſes, tot colores, tot figuras, tot ductus, tot ſuaſorias, tot declamationes, tot controuerſias adinuenerunt: & tamen nondum rhetorici finem factum eſſe confitentur.

Quamobrem Syracuſani cum Coracem & Tiſiam archirethores inter ſe argumentis antiſtrophis, id eſt, reciprocis contendentes audiuiſſent, exclamauerũt. κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν. At qui ſcire dicere ex arte, hoc eſt, ornate, grauiter & copioſe utile eſt ac honorificũ. Scire etiam tacere utile eſt ac honorificũ. Quare Pythagoras philoſophus ſilentium laudabat: & quod nonnulli ſummum bonum in ſilentio poſuerunt. Sed an Rhetorica fabula ſit ex illo ſenatus conſulto cognoſci poteſt, quod factum fuit. C. Fannio Strabone, M. Valerio Meſſala Coſſ. quo decretum fuit, uti Philoſophi & Rhetores Romæ ne eſſent. Idem S.C. Cn. Domitius Aenobarbus, & L. Licinius Craſſus Cenſores aliquot annis pòſt confirmauerunt. Mathematici uero, ut geometræ, ut arithmetici, ut aſtrologi, multa ſæcula in figuris & menſuris ſuis cōtriuerunt, & nondū circuli tetragoniſmum inuenerunt: quanquam Columella, & quidem arithmetici huic proxima dixiſſe uideantur. Galaxias, id eſt, circulus lacteus quid ſit, adhuc ignorant. Arithmetici ſcire ſe profitentur quod numero formicæ turrim Aſellorum aſportarent & quot aqueæ guttæ ſint aliquo in puteo etiam pleno. quod quomodo fieri poſſit, niſi puteus & ipſæ guttæ quadratæ ſint non uideo. Et quid faciunt. modo duplicāt, modo multiplicant: nunc ſupputant, nunc partiuntur, nunc colligũt, nunc ſummam ſummarũ faciunt: hic numerus eſt longus, ille quadratus: hic cubicus, ille circularis: hic deficiens, ille ſuperfluus: hic perfectus, ille alterius notæ & ſpeciei. tot lineas, tot radices inuenerunt, ut numerus illis ſit nec nomen. Pythagoras cum inueniſſet trianguli orthogonij ſubiectum latus tantum ualere, quãtum latera illa duo quæ illud continerent, Ioui hecatomben fecit: ſeu ſecundum alios, Muſis bouem ſacrificauit, quaſi rem magnam inueniſſet. Sed id fabuloſum eſſe Cicero putat, quoniam ille nec Apollini quidem Delio hoſtiā immolare uoluit, ne aram ſanguine aſpergeret. Aſtrologi quoque de magnitudine ſolis diſcordant: quidam dicunt eum non multo maiorem eſſe quam uideatur, ut Epicurus & Lucretius:

quidam

quidam uero octies terra eſſe maiorem. quod Macrobius probat. Alij amplius duodeuiginti partibus ut notat Cicero. Ptolemæus autem centies ſexagieſis ſexies ueriſſimis, ut iſti dicunt, argumẽtis & menſuris demonſtrauit. De magnitudine itidem Lunæ altera diſcordia quam prætereo: & de ſitu ſiue ordine planetarum etiam diſſentiunt. Nam Plato à luna ſurſum ſecundam ſphæram ſolis locat: & Aegyptios ſecutus uidetur, qui inter Lunam & Mercurium. Archimedes cum Chaldæis quartum de ſeptem in medio locatum dicunt. De Lucifero & Veſpere aliud Poëtæ dicunt, aliud Aſtrologi. Poëtæ aſſerunt quo die Lucifer ante orientem ſolem apparuit, eodem occidentem ſolem ſubſequi: hoc Aſtrologi quidam eodem die fieri poſſe negant: & mihi quoque idem uidetur. Fatentur ſane Luciferum modo præcedere mane Solem, modo ſubſequi occidentem ſed diuerſis diebus ſiue temporibus. Et Poëtas fortaſſe eo potuiſſe decipi, quod mane Luciferum uidiſſent: Mercurium uero poſt Solem occidentem. Sed audiamus Poëtas. Cinna in Smyrna: Te matutinus flentem conſpexit Eous Et flentẽ paulò uidit poſt Heſperus idem. Catullus: Nanque tuo aduentu uigilat cuſtodia ſemper Nocte latent fures quos idem ſæpe reuertens Veſpere mutato comprendis nomine eodem. Vergilius de Roſis: Quam modo naſcentem rutilus conſpexit Eous: Hanc rediens ſero ueſpere uidit anum. Horatius, Tu ſemper urges flebilibus modis myſten ademptum, Nec tibi ueſpero ſurgente decedunt amores, nec rapidum fugiente Solem. Manlius in libro primo Aſtronomicon: Nec matutinis fulgeret Lucifer horis Heſperos immerſo dederat qui lumen olympo. Seneca in Hippolyto: Qualis eſt primas referent, tenebras nuncius noctis, modo lotus undis Heſperus pulſis iterum tenebris Lucifer idem. Statius in ſexto Thebaidos: Roſcida iam nouies cœlo dimiſerat aſtra Lucifer & totidem Lunæ præuenerat ignis Mutato nocturnus equo: nec conſcia fallit Sidera, & alterno deprenditur unus in ortu. Boëthius in libro primo de Conſolatione: Et qui primæ

tempore

*tempore noctis egit algentes Heſperus ortus Solitas iterum mutat habenas Phœbi pallẽs Lucifer ortu. Et præter poëtas, Hyginus de eodem Planeta: Eum, inquit, hac de cauſa Veneris appellari, exoriente ſole & occidente uideri. ſed dubium eſt an eodem dixerit die an non. Plinius quoq; cum naturam huius narrauit, ſubiungit Pythagoram Samium illam primũ deprehendiſſe: & cum Deprendere ſæpenumero de rebus dicatur difficillibus: ut Deprenſiq́ue hoſtia Nili: id uerbum me ſuſpicari facit Plinium uoluiſſe poëtarum ſequi rationem. Niſi forte antiquiſſimi cum Venus Solem præcederet, unã eſſe ſtellam: & cum ſequeretur, aliam putauerunt: & Pythagoras deprehendit eſſe eandem. ideo in eius uita apud Diogenem legitur, Eum primum Veſperum atq; Luciferum idem ſidus dixiſſe. Aliqui dicunt hoc eſſe uerum & poëtas ex ſententia illorum Aſtrologorum, qui Venerem ſupra ſolem locabant locutos eſſe: illas uero ſtellas quæ lõge ulteriores ſunt, citerioribus in ortu citius apparere ſeu uideri: contrà in occaſu ſerius occidere uideri: Alij dicũt poëtas poëticè, hoc eſt, fabuloſe hunc curſum ceciniſſe, cum res ipſa in mundo aliter exiſtat. Sed hanc fabulã omittamus & omnes circulos, epicyclos, abſidas, domos, anaphoras, epicataphoras, aſpectus, trimoria, dyodecatomoria, horoſcopos: quos incõprenſibiles ferè oſtendit. P. Nigidius argumento rotæ figularis circunductæ, & modo pari, modo impari ſpacio temporis percuſſæ. unde & figuli cognomen ſortitus eſt. Omittamus omnes dies, omnes annos, minores, mediocres, & maiores, & ſcanſiles, quos Græci clemateras appellant: & omnia alia inuenta, quibus Aſtrogogi prædicunt aliquem diu uicturum. qui puer moritur, & illum puerum citò moriturum præiudicauerunt, qui nunc ſenior eſt. Sed non mirum eſt Aſtrologos eſſe inconſtantes, & inter ſe non cõuenire, cum cœlum ipſum quod metiuntur, omniũ ſit inconſtantiſſimum. Iſta quid uobis eſſe uidentur? fabulæ. Quam bene & merito horum menſorum improbitatem caſtigauit Plinius. Etenim, quia geometricis rationibus inuenerunt*

terram

*terram à ſignifero diſtare ſexta ipſius ſigniferi parte, hoc ex ſexaginta gradibus, quoniam terra centralis eſt, auſi ſunt impudenter omnia alia metiri. Quid muſici, nónne & ipſi ridiculi ſunt & fabuloſi: qui quoniam Symphonias illas: διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, διὰ πασῶν, & reliquas inuenerunt ex quorundam numerorum proportionibus fieri, in chordis & in uocibus: ſe cœleſtẽ muſicam, quæ nulla eſt, hauſiſſe nobis uolũt perſuadere: At non uident ſe eſſe fabulas, cum in fabulis recitandis choraulæ & cantores ſuam operam præſtare ſint ſoliti. Sed hos cum ſuis pandutis, magadibus, tibijs, cæteriſq; organis relinquamus, & ad eos qui ſe quaſi per excellentiam quandam Philoſophos appellant ueniamus, doceamuſque illos in principijs rerum inueniendis diu & multum deſudaſſe, & nondum ueritatem inueniſſe. Thales Mileſius unus è ſeptem Sapientibus ex aqua dixit conſtare omnia. quod Homerus prius dixerat: & Vergilius poſtea tetigit cum dixit: Oceanum patrem rerum. Anaximander popularis eius dixit infinitatem naturæ eſſe, ex qua omnia gignerentur. Anaximenes uero aëra infinitum: ſed ea quæ ex eo orientur definita. gigni aũt terram, aquam & ignem tamen: ex his omnia. Anaxagoras Clazomenius: Infinita principia, ſed ea particulas ſimiles inter ſe minutas eſſe, primum confuſas poſtea in ordinem adductas mente diuina, ut recitat Cicero: & Homœomeriam hanc ipſe Anaxagoras, & alij appellant. Xenophanes Vnum eſſe omnia, neq; id eſſe motabile. Parmenides, θερμὸν καὶ ψυχρόν, id eſt, calidum & frigidum principia facit, id eſt, ignem qui moueat terrã, quæ ab eo formetur. Leucippus plenũ & inane. Democritus huic in hoc ſimilis, ut dicit Cicero. Empedocles Agrigentinus: Quatuor elementa: terram, aquam, aërem & ignem. Heracletus qui propter ſcriptorum ſuorum obſcuritatẽ à Græcis σκοτινὸς cognominatus eſt, dixit: Ignem. Meliſſus: Hoc quod eſt infinitum & immotabile fuiſſe ſemper & fore. Plato: Ex materia omnia in ſe recipiente factũ eſſe mundum cenſet à Deo ſempiternum. Pythagorici: Ex numeris ma-*

*thematicorũ initijs proficiſci uolunt omnia. Ariſtoteles eadem ferè Platoni dixit, niſi quod priuationẽ, hoc eſt, στέρησιν ſeparauit à materia, ſcripſitq; materiam eſſe incorruptibilẽ & ingenitã ex qua omnia fierent, & corrupta in illam ultimã abirent: & præter hoc materiæ ſubiectum, quintum aliud addidit, ex quo cœleſtia conſtarẽt. Heſiodus tamen Poëta, qui omniũ primum Chaos fuiſſe dixit, uidetur cauſam nonnullis Philoſophis oſtendiſſe, ex qua mundus & omnis elementorũ ordo cõſtitutus ſit. Sed de natura mundi uariæ ſunt etiam opiniones: alij dicunt generatũ eſſe & corruptibilẽ, ut Anaxagoras: alij generatũ quidem, ſed æternum, ut Plato: alij nec ortum nec interiturũ unquam, ut Ariſtoteles. Quid quod aliqui dicunt mundum eſſe deum: alij eſſe animal: alij eſſe plures ſiue infinitos mundos, & ex atomis infinitis factos. De centro mundi etiam multæ fabulæ, alij dixerunt eſſe terram: alij non terram, ſed ignem, ut Pythagorici, propter ignis nobilitatem & rerum cõſeruationem: alij dixerunt, terram eſſe quidem in medio, ſed moueri circa mediũ ſuum, id eſt, centrũ: alij quieſcere eam non dubitauerunt. De dijs quoq; & natura deorum magna diſſenſio eſt. Alij enim negauerunt eſſe deos, ut Diagoras Melius, qui ob hoc dictus eſt atheos, & Theodorus Cyrenaicus: alij dubitauerũt, ut Protagoras Abderita: alij dixerũt eſſe quidem, ſed non curare mortalia, ut Epicurus: alij & eſſe & curare, ut Stoici. Quid uos ſuper his ſententijs & uarietatibus iudicatis? non fabulæ uobis eſſe uidentur? fabulæ certe. cũ unũ ſolum eſſe Deũ omnipotenetẽ & æternũ & rerũ omniũ creatorem & prouidentẽ credendũ ſit. Soleo ego quoq; mecũ philoſophari interdũ uiri excellentiſſimi & dicere: quis hic loquitur? ego. quis mouet hanc manũ? ego. quis ego? animus meus, ſiue anima. Quid eſt anima? & in qua corporis parte eſt? Recurro ad philoſophos. philoſophi tam incerti, tam diſcordes ſunt, ut me magis incertũ quàm prius eram, remittant. Alij qui enim dixerunt animã eſſe cor, eo argumento quod primum cor naſcentibus formaretur in utero, & nouiſſimum moreretur. unde*

*excor-*

*excordes dicuntur, id eſt, ſine anima & mẽte & eiuſdem animi: alij partem quandã cerebri, mediũ ſcilicet uentriculũ: alij nec cor nec cerebri partẽ: ſed alij in corde, alij in cerebro dixerunt animi ſedem & locum. Ipſum uero animum alij dicũt eſſe aëra, ut Anaximenes & Diogenes. unde efflare animam, & agere animam dicimus. & Vergilius: Atq; in uentos (inquit) uita receſſit. & ἀπὸ τοῦ ἀνέμου, id eſt, à uento dictam eſſe animam. & ab anima animum quidam arbitrantur. Alij ignem, ut Zeno Citbieus. quare frigidos mortuos uidemus. & ζωὴ Græce inde dicta eſt, id eſt, uita: quoniam ζέω feruere ſignificat: & Vergilius dixit: Igneus eſt ollis uigor. & reliqua. Democritus quoq; Animam ignem quendam & calorem eſſe cenſet, ſed ex atomis rotũdis, concurſu quodam fortuito cohærentibus factã. Eadem ferè Leucippus dixerat. Heracletus autem ἀναθυμίασιν, id eſt, uaporem ſiue calorem ſpirabilem, ex qua omnia alia conſtituit. Hippon Philoſophus aquam putat eſſe, quia omnium γονὴ, id eſt, genitale ſemen humidũ eſt. unde ψυχὴ dicta eſt ἀπὸ τοῦ ψύχειν, id eſt, à refrigerãdo: niſi forte hoc retrogradũ eſt. Alij ſanguinem, ut Critias philoſophus. unde exangues, mortui ſunt: ſecundum quam ſententiam Poëta dixit: Effundere animam: &, Purpuream uomit ille animam. & Empedocles ſecundum Ciceronem dixit: Animũ eſſe ſuffuſum cordi ſanguinem: ſecundum Ariſtotelem, ex omnibus elementis animam eſſe compoſitam, & unum quodq; elementum à ſibi ſimili cognoſci, & diſcordiam à diſcordia & concordia à concordia: quæ generationis cauſæ erant. μὲν γαῖαν ὀπώπαμεν, ὕδατι δ' ὕδωρ, αἰθέρι δ' αἰθέρα δῖον, ἀτὰρ πυρὶ πῦρ ἀΐδηλον στοργὴ δέ τε στοργὴν νεῖκος δέ τε νείκει λυγρῷ. Plato de anima loquens ita uaria ſcripſit, ut Ariſtoteles dicat eum facere animam ex elementis eo modo quo Empedocles & ſimile ſimili cognoſci: alibi tamen ipſum ex numeris dicit animal conſtitutũ: alibi etiã in aliud. Cicero refert Platonẽ triplicem finxiſſe animã, ratio eſſet capite tanquã in arce, ira in pectore, cupiditas ſubter præcordia.*

*Sed illud quod idem Plato ex numeris animam factam eſſe credide rit ex monade ſcilicet & tribus numeris paribus, hoc eſt, duobus, quatuor, octo: & tribus imparibus, hoc eſt, tribus, nouem, & uiginti ſeptem. qui ſint duo numeri lōgi, duo lati, id eſt quadrati, & duo cubi. neſcio an mirandum inuentum an fabuloſum appellem. tot enim proportiones, tot ſymphonias coaceruauit, ut quid ſibi uelit, uix à peritioribus intelligatur. Quare in prouerbium uenit, ut cum aliquid obſcurum ſignificare uelimus, dicamus id eſſe numero Platonis obſcurius. Xenocrates uero credidit animam eſſe numerum ſe mouentem, cuius uis in natura maxima eſſet, ut etiam Pythagoræ uiſum fuerat. Ariſtoteles aūt, quem noſtri Philoſophi ſummū habent autorem: cognoſcens animam non eſſe corpus nec accidens, ſed ſubſtantiam quandam ab illis quatuor elementis, ex quibus omnia oriventur differentem, quintum genus adhibet uacans nomine, hoc eſt, quintam quandam naturam è qua ſit mens. & animam ita definit, ut ſit ἐνδελέχεια τοῦ σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος, id eſt, perfectionem uel actum corporis naturalis organici potentia uitā habentis. Et hic quoq; oritur inter neotericos Grammaticos alia diſſenſio: quónam modo ἐνδελέχεια hic legenda ſit. Et aliqui Ciceronem, ut philoſophaſtrum, & literarū Græcarum ignarum carpunt qui legerit. δ. ἐνδελέχειαν, cum per τ. legere debuiſſet, & expoſuerit quaſi quadam continuatam motionem & perennem. Alij defendunt quod ſiue per δ. ſiue τ. legatur ἐντελέχεια idem eſt cum Attici ſæpe τ. pro δ. ponant: & ideo nō omnino ab animæ definitione cenſeri debet aliena. Verum ſi anima non ſolum ex ſe non mouetur, ſed ne mouetur quidē, ut ſentit Ariſtoteles: quomodo rectè interpretatus fuerit Cicero, aliâs uidebimus. Ariſtoxenus Muſicus & idem Philoſophus, Animam cenſet eſſe ipſius corporis intētionem quandam, ueluti in cantu & fidibus quæ harmonia dicitur. Sed audite rem facetam: Dicæarchus non intelligens quid eſſet anima, induxit Pherecratem quendam Phthiotam diſſeren*

*differentem, Animum omnino nihil eſſe: & Animam, & Animãtes, & Animalia fruſtra appellari, ſed inania eſſe uocamina, cum corpus ipſum unum ſit & ſimplex, ita figuratum ut temperatione naturæ uigeat & ſentiat. ſic enim Cicero prima Tuſculana recitauit: Epicurum Atheniẽſem ſecutus noſter Lucretius, multa de animo & anima & mente inculcat ita, ut interdum ſibi ipſi contradicere uideatur: putat tamen animam eſſe ex mixtura caloris uenti & aëris quæ ex atomis, id eſt, ſeminibus minutiſſimis cõſtent cõpoſitam eſſe, unà cum corpore naſci & creſcere & ſimul interire. Nũc mihi ſuccurrit id quod nonnulli affirmant: In hominibus quatuor eſſe animas: uitalem, quæ eſt in uermibus, ſenſualem quæ in brutis, phyſicã quæ in plantis, & rationalem. quam ob rem Poëta dixerit: Saluete recepti Ne quicquam cineres animæq; umbræq; paternæ. Varro quoq; ita definiuit animam. Anima eſt aër conceptus ore deferuefactus, in pulmone temperatus, in corde diffuſus in corpus. Sunt & aliæ aliorum philoſophorum opiniones de anima ab Ariſtotele & Macrobio recitatæ: quæ animam ipſam legendo confundunt. Nunc nónne liquidò intelligitis, nihil certi, nihil ueri in his definitionibus reperiri? Hæc igitur quid uobis uidentur? fabulæ. Et ne mihi ſoli credatis, audite Ciceronẽ illum quem Græcæ & Latinæ linguæ peritiſſimum fuiſſe nemo non fatetur: Is enumeratis de anima pluribus ſententijs, ſic concluſit: Harũ ſententiarũ quæ uera ſit, Deus aliquis uiderit: quæ ueriſimillima, magna quæſtio eſt. Audite & Senecã. Multa ſunt, inquit, quæ eſſe concedimus: qualia ſunt ignoramus. Habere nos animum, cuius imperio impellimur & reuocamur, omnes fatebuntur: quid tamen ſit animus ille rector dominuſq; noſtri, non magis tibi quiſquam expediet, quàm ubi ſit, & reliqua. Audite poſtremo Lactantium, ne Codrum teſtibus carere credatis. Quid aũt ſit Anima, nondum inter Philoſophos conuenit, nec unquam fortaſſe conueniet. O diuina ſapientia, ô deus immortalis, hoc non eſt hominis: ſed tuum officium, hæ partes tuæ ſunt, quid ſit anima patefacere*

*mortalibus. Audiamus ergo Theologum noſtrũ, diuino ſic ore Animam definientem. Anima eſt ſubſtantia incorporea, intellectualis, illuminationis capax ultima reuelatione perceptiua. Sed nec de motu, de tempore, de generatione hominis & aliarum rerum, de ſummo bono, de uoluptate Philoſophi cõueniunt, οὐκ ἐςι κινηθῆναι dixit Zeno, id eſt, non eſt moueri. Pyrrho Elienſis ſuſtulit generationem, dixitq́; præter ea nihil poſſe affirmari. Ergo dicta Philoſophorum fabulæ. De motu terræ, de uentorum nominibus, locis & cauſis multæ ſunt opiniones, de æſtuarijs plures, de ſummo bono plurimæ. Summum enim bonum, id eſt, felicitatem, alij in uirtute ſola poſuerunt, ut Stoici: alij in uoluptate corporis, ut Epicurus: alij in uacuitate doloris, hoc eſt, ſine ulla moleſtia uiuere, ut Hieronymus. Carneades uero, bonis naturæ primis aut omnibus aut maximus frui Felicitatem eſſe dixit. Ariſtoteles, & ab eo Peripatetici, bona animi corporis & rerum externarũ. Dinomachus & Callipho, uoluptatem cum honeſtate. Diodorus, honeſtatem indolentem. Non deſunt etiam qui luſum riſum quæ ſummam eſſe felicitatem comprobauerint, ut Tibareni populi Chalybibus uicini: quorũ Apollonius & Pomponius mẽtionem fecerunt. Erilli uero Philoſophi ſummum bonum ſcientia eſt, ſed Socrates hoc unum ſcire ſe dixit, quod nihil ſciret. Huiuſmodi autem ſummi boni, quod omnes appetunt & quod propter ſe appetitur, ueritatem ſcire cupiens. Varro ille qui undecunque uir doctiſſimus dictus eſt, ita diligenter, ita ſubtiliter de eo locutus eſt, ut ad ducentas octoginta octo ſectas, non quæ tum eſſent, ſed quæ eſſe poſſent adhibens quaſdam differentias, facillimè peruenerit. quas quia longũ nimis eſſet hic exponere, qui diſcere uoluerit, decimum nonũ Aurelij Auguſtini lib. de Dei ciuit. pcurrat. Ergo philoſophorũ ſectæ ſeu dogmata ſeu placita ſint, incertitudines ſunt & fabulæ. Et præcipue quæ de felicitate huius uitæ memorãtur, cũ nullus ſit felix, ut ſcribit Eurip.* θνητῶν γὰρ οὐδεὶς ἐςὶν εὐδαίμ

ὠδαίμων ἀνήρ, id eſt, mortalium enim nullus eſt felix uir. Et certe ſummũ bonum eſt æterna & immortalis uita, quam iuſte & ex fide uiuentes ſperamus: Summũ uero malum, æterna mors & pœna, quæ male uiuentitibus debetur. De uoluptate etiam ueteres Philoſophi diuerſas protulere ſententias. Epicurus, Voluptatem ſummum bonum, ut ſuprà diximus, poſuit. Architas Tarentinus, & Antiſthenes Socraticus ſummũ malum. unde dicere ſolebat Antiſthenes μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην, id eſt, inſanirem potiuſquam delectarer. Speuſippus & ueteres Academici uoluptatem & dolorem duo mala dicunt eſſe oppoſita inter ſe: bonum aũt id quod utriuſq; medium eſt. Zeno, Voluptatem cenſuit eſſe indifferens, id eſt, neque bonum neq; malum. Critolaus Peripateticus, & malum eſſe Voluptatem dixit, & multa alia mala ex ſeſe parere ut, iniurias, deſidias, obliuiones, ignauias. Platonẽ uero de ea multiformiter & uarie diſſeruiſſe refert Gellius: tamen in Timæo hæc illius uerba ſunt, πρῶτον μὲν ἡδονὴν μέγιστον κακοῦ δέλεαρ, id eſt, primum quidem uoluptatem maximam mali eſcam. De ratione cernendi diuerſas eſſe fabulas & opiniones animaduerto. Stoici dicunt: Radios in ea quæ uideri queunt ex oculis emiſſos cum luce ſimul uidendi eſſe cauſam. Epicurus, ſimulachra rerum ſeſe in oculos inferre, quæ Catius Epicureus ſpectra appellabat. Plato exiſtimauit eſſe ignis quoddam genus quod ex oculis cum luce exeat illuſtretq; ea quæ uidentur. De coloribus & nominibus colorum etiam uariæ fabulæ, adeò ut fuerint qui nullum eſſe in rebus colorem dixerint: ſed lucis ratione res uideri diuerſicolores. Quare Poëta dixerit: Et rebus nox abſtulit atra colorem. De anno quoque maximo, & de inferis, & materia, & forma, de idæis, & alijs multis hic taceo: ubi tot ſunt philoſophantiũ ineptiæ & fabulæ, ut nulla in re alia plures dici aut cogitari poſſe facile quis exiſtimaret. Quare non poſſum non deridere quorundam Declamatorum ſiue Theologorum arrogantiam, qui cum eorum officiũ ſit Euangela prædicare, & Deũ ac Animã catholicè

&

& theologice definire, confugiunt ad Philoſophos, recitant omnes illorum opiniones. Citant Platonem, allegant Ariſtotelem, producunt Senecam. quorum dicta fabulas eſſe ſuprà demonſtraui. Inſinua mihi ac expone Reuerende pater Pauli epiſtolas, Catenam auream diui Thomæ, & alia huiuſmodi. Atqui peruenit ad nos frater quidam ſacræ Theologiæ magiſter eloquentiſſimus: cras eſt publicè concionaturus & miranda dicturus: tintinabulo populus conuocatur. concurrunt academici: concurrunt plebeij, cõcionantem ſtupentes admirantur. Cantat poẽmata, recitat hiſtorias, quid tum? fabulæ. Peruenit ſubinde alter maior. multo maior fit cõcurrſus. Reprehendit uitia admodum acriter, exclamat, iraſcitur, excandeſcit. & poſt uarias uoces & exclamationes quid conſecutum eſt? quis finis fuit? fabulæ. Nam non perſuaſit. Et ſane uitiorum reprehenſio iuſta eſt ac utilis: ſed hi reprehenſores in tantam libertatem & audaciam loquendi exercuere, ut omnia conuitia, opprobria, dedecora, quæ fœneratores, adulteros, arſenocœtas, molles, homicidas, & alios huiuſmodi ſceleſtos homines dici poſſint prædicẽt, inculcent, & effundant, non recordantes ſe quoq; eſſe homines, & his uitijs aut eorum parte laborare, aut iam fortaſſe laboraviſſe, aut ut laborent accidere poſſe. quam bene monuit ad Geminium ſcribens Plinius Secundus: Mandemus, inquit, memoriæ quod uir mitiſſimus & ob hoc quoq; maximus, Thraſea crebrò dicere ſolebat: qui uitia odit homines odit. Sed quoniam horum mentionem fecimus, attingamus & ſacerdotes preſbyteros & fratres cucullatos, & heremitas barbigeros: in quibus præter diuina officia nihil certi, nihil ſtabilitatis reperitur. hic albis utitur ueſtibus, ille nigris: hic leucophæis, ille bæticis: hi pedibus nudis incedunt, illi bene calceati: hi corpus curant, illi macerant: hi carnibus non ueſcuntur, nec uinum, nec ciceram bibũt, illi ſaliares cœnas deuorant: hic eſt hæreticus, ille apoſtata, ille marranus. Si capite obſtipato & caperata fronte incedunt, hypocritæ habentur. Si raſitata facie, & ſublimi pileo uiſuntur, laſciui exiſtimantur

mantur

natur. quot hic fabulæ, per deũ immortalem. Sed audite reliqua. hic Abbas ſiue archimãdrita: ille prouincialis, ut eorum uocabulo utar, hoc eſt, prouinciæ præfectus. hic uicarius, ille generalis fieri cupit & laborat. & quæ certitudo hic eſt? nulla. ille canonicus, hic protonotarius. ille epiſcopus ſiue pontifex maximus, hic epiſcoporũ ſummus dici & fieri, ſi non uirtute at pecunia ingenti obtinet ac impetrat. Pete Romam, dum iuuenis es: pete Romã, dum imberbis es. ſupplica huic, ſupplica illi. obtinuiſti, impetraſti. ſcripta ſunt diplomata: ſignatæ tabulæ. habes ſacerdotia, dignitates, honores, diuitias, theſauros. quid tandem? fabulæ. Quin & religio ipſa primo certa, poſtea incerta & fabuloſa, nondum ad catholicam fidem perduci poteſt. quot ſtulta, quot uana fuerunt in ea, quod idololatræ? quot idolothyta? quot ſimulacra? Romani iam Iouem adulterum & ſtupratorem, & reliquos undecim deos ſiue deas coluerunt, quos Selectos uocabant: coluerũt & Conſentes & infinitos alios, & alias deas, quos longum eſſet numerare. Aegyptij coluerunt animalia bruta & monſtra. Quis neſcit qualia demens Aegyptus portenta colat? Noſtra tempeſtate Turci, & Arabes, & aliæ quædam nationes, Mahometum colunt, turpia neſcio quæ ſtatuentem. Hebræi & Cœlicolæ in perfidia etiamnum nato mundi ſaluatore perſeuerant. Noſtri quoq; Theologi ſæpenumero uacillant, & de lana caprina rixantur, de cõceptione Virginis, de antichriſto, de ſacramentis, de prædeſtinatione, & de alijs quibuſdam: quæ potius tacenda ſunt quam prædicãda. Sed uide quid agas Codre, & quid loquaris ne Petrum Boatianum offendas. Recte conſulitis. ego mihi cauebo, & ſic pronunciabo: Omnia quæ in religione fiunt, aut dicuntur, aut creduntur uana eſſe, ſtulta & fabuloſa, præter ea quæ Romana & catholica ſanxit eccleſia. Quare Auutiani, qui negant eſſe unius ſubſtantiæ trinitatem: fabulæ ſunt. Alogi, qui logon, id eſt, uerbum dei non credunt: fabulæ ſunt. Acephali clerici, qui ſine capite ſunt, hoc eſt, qui ducem quem ſequantur, non habent: fabulæ ſunt. Angelici,

q angelos colũt:fabulæ ſunt. Antropomorphitæ, q deũ humana membra arbitrãtur habere: fabulæ ſunt. Apelitæ, q Chriſtũ nõ uerũ hominem, ſed phãtaſma dicũt: fabulæ ſunt. Apollinariſtæ, q dicũt Chriſtũ corpus tantũ ſine anima ſuſcepiſſe: Apoſtoli hæretici, qui nihil poſſidẽtes, propriũ nequaquã recipiant aliquid in hoc mũdo poſſidentes: fabulæ ſunt. Aquarij, qui aquam ſolam offerunt in calice ſacramenti: nugæ ſunt. Antidici Mariæ, qui uirginitati Mariæ cõtradicunt, execrãt. Hæretici ſunt Arabici, dicentes animã & corpus ſimul mori & ſimul reſurgere: fabulæ ſunt. Admiani, qui nudi quaſi nuditatem Adæ imitẽtur: ſtolidi ſunt. Aeriani, q uetãt pro defunctis ſacrificiũ: impij ſunt & hæretici. Archontiaci, qui dicunt ea quæ deus fecit, opera eſſe angelorum: fabulæ ſunt. Arriani, qui diuerſas ſubſtantias patris & filij & ſpiritusſancti aſſerunt: fabulæ ſunt. Et qui ab his deſcenderunt Eunomiani, qui dicũt per omnia diſſimilem filium patri, & Macedoniani, qui dicunt ſimilem quidem filium per omnia patri: Sanctum uero ſpiritum cum patre & filio nihil habere cõmune. & per hoc negantes ſpiritumſanctum eſſe deum: fabulæ ſunt. Artotyritæ, qui panem & caſeum in ſacrificio offerunt deridendi ſunt. Bardeſaniſtæ, qui Chriſtum cœleſte corpus habuiſſe cõfirmant, nec aſſumpſiſſe carnem ex uirgine: fabulæ ſunt. Baſilidiani, qui Chriſtum paſſum negant: fabulæ ſunt. Bonoſiaci, qui dicunt Chriſtum filium Dei adoptiuũ nõ proprium eſſe: fabulæ ſunt. Borboniani ſiue Gnoſtici, qui animæ ſubſtãtiam partem Dei eſſe exiſtimant: fabulæ ſunt. Carpocratiani, qui dicũt Chriſtum de utroq; ſexu progenitũ: fabulæ ſunt. Cathari, qui gloriantes ſuis meritis peccatorũ ueniã negant: fabulæ ſunt. Cataphryges, hæretici montani, Priſcæ & Maximillæ errorẽ ſequẽtes, qui aduentũ Sanctiſpiritus non in apoſtolos ſed in ſe ueniſſe aſſerũt: fabulæ ſunt. Cerdoniaci, qui abnegãt Chriſtum natũ paſſumq;, ſed ſimulaſſe paſſionẽ: fabulæ ſunt. Circiliones ſeu Scotopitæ, qui Bonoſi hæreſim ſequentes, Chriſtum filium dei adoptiuum non proprium eſſe dixerunt: fabulæ ſunt. Circumcelliones, qui

tes,qui inſano amore martyrij ſeipſos interimebãt,ut martyres uocarentur:fabulæ ſunt.Colatiani,qui dicunt Deum non facere mala, contra illud quod ſcriptum eſt:Ego deus creans mala: fabulæ ſunt. Donatiſtæ,qui aſſerebant minorem patre filium & minorem filio ſpiritumſanctum: repudiati ſunt. Ebionitæ, qui dicebant Chriſtum ſolum hominem prophetam iuſtum,natum ex uiro & fœmina:condemnati ſunt.Eluidius,qui dixit matrem domini quatuor habuiſſe filios & filias:hæreticus & infamis habitus eſt.Encratitæ,qui & Taciani dicti ſunt,carnes abominantes:fabulæ ſunt.Etinodiani,qui dicunt Mariam uirginem ante partum non poſt partum:fabulæ ſunt. Eutychiani, qui Chriſtum poſt humanam aſſumptionem negant de duabus naturis,ſed ſolam in eo diuinam aſſerunt naturam: fabulæ ſunt.Floriani,qui dicunt Deũ creaſſe mala,cõtra illud quod ſcriptũ eſt:Fecit deus omnia bona:fabulæ ſunt.Et in ſumma omnes Hermogeniani,Herodiani,Hemerobatiſtæ,Iouinianiſtæ,Luciferiani,Manichæi, Martioniſtæ, Melchiſedechiani, Menandriani, Metangiſmi, Mõtani,Neſtoriani,Nicolaitæ,Nyctages,Noechiani,qui & Patropaſſiani & Sabelliani dicũtur,Nouatiani,Ophitæ, Origeniani,Paterniani,Patritiani, Paulinianí,ſiue Photiani,Priſcillianiſtæ,Saturniani,Sethiani,Seueriani,Simoniani,Theodoſiani,& Calanitæ,Tertullianiſtæ,Tritothei,& omnes alij hæretici,quorũ nomina & ſectas nõ intelligo, nec poſſum numerare.inter quos ponẽdi ſunt et illi Bœmi ꝗ noſtra tẽpeſtate uiuũt, & ſanguinis ſacramentũ popularibus omnibus etiam infantibus cõmunicãt pro falſis Chriſtianis,damnati ſunt.hic prætereo haruſpices,augures,ſortilegos,necromãtes,cõiectores,incãtatores,geomãtes,chiromãtes,pyromãtes,capnomantes, hydromãtes,coſcinomãtes,metopoſcopos.ſupſtitioſos omnes:quorũ tota uita fabula eſt & irridẽda.Sed uideamus an reſpublica inſtabilis ſit ac incerta?inſtabilis certe.Nam modo ab uno, modò à paucis, modo à multis gubernatur,et his modo bonis modo malis.Vnde illa uocabula facta ſunt,βασιλεία,τυραννὶς,ἀριστοκρατία,ὀλιγαρχία,

*Δημοκρατία, ὀχλοκρατία. Scythæ, Medi, Parthi, Perſæ, Aſſyrij, à rege ad regem ſæpius tranſlati ſunt. Athenienſes, Lacedæmonij, Argiui, Rhodij, Cretenſes, Carthaginenſes, & alij populi multis uarietatibus agitati à libertate, à ſummo imperio ad ſeruitutem delapſi ſunt. ergo fabulæ ſunt, quoniam nihil certi poſſidebant. Romani ab initio regum imperio paruerunt, deinde exactis regibus, ſub conſulibus fuerunt, & poſtea ſub decemuiris, conſulari poteſtate iterum ad conſules redierunt, poſt Imperatores Cæſares ſucceſſerunt à quibus tandem ad ſummos Pontifices res delata eſt, ut uidetis. Quantam uarietatem Romana reſpub. paſſa ſit audiuiſtis: ſi reliquarum uarietatem cognoſcere uultis, libros Politicos Ariſtotelis percurratis. In cõſilijs uero publicis alij ſuadent pacem, alij bellum, alij ciues augent rem publicam & exornant, alij expilant. Fiant conſules, fiant tribuni, fiant prætores, fiant ædiles, ut pax & copia & cõcordia ſit in ciuitatibus. quot ſcribæ, quot iudices, quot aſſeſſores, quot prouinciarũ præſides, quot deniq; magiſtratus fiunt propter hominem? Reges ipſi interdum diuina ſapiunt, interdum delirant. Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui. Hinc iræ, hinc diſcordiæ, hinc bella. Amicus amicum regis coram rege accuſat, calumniatur, uituperat. Rex quid credat, incertus eſt. Perſeus frater Demetriũ fratrẽ corã patre rege inſimulauit: ſedit miſerrimus pater iudex inter duos filios. Expirauit aliquis Rex, mittantur confeſtim ad dolendum & proximos conſolandum Legati. Creatur nouus Rex, ſiue nouus Pontifex, mittantur cõgratulantes. Accedit huc Princeps ſiue Imperator hoſpes, occurritur magno cum triumpho, ſuſcipitur, ſternuntur triclinaria Babylonica, periſtromata Campanica, & tapetia Alexandrina: ornantur abaci auro argentoq;: cœnatur opipare & luxurioſe: adſunt tubicines, citharœdi, cantores, ſaltatores, geſticulatores: omnia quæ ad uoluptatem ſpectant, fiunt. quid tum? fabulæ. Operæpretium eſt hoc loco audire uerſiculos ſparſos, & indignationes, & ſuſurros eorum qui regibus ſeruientes à fortuna deprimuntur*

*tur in eos, qui ab illa ſubito extelluntur. Vnus exclamat concurrite omnes augures, haruſpices, portentum inuſitatum conflatum eſt recens. nam mulos qui fricabat, conſul factus eſt: alter indignatur. Sectus flagellis hic triumuiralibus præconis ad faſtidium arat Falerni mille fundi iugera, & Apiam inanis terit: alius lamentatur. Nuper in hanc urbē pedibus qui uenerat albis, Nunc poſſidet plus Pallante, & Licinis. Viden tu illum, qui nunc eſt à ſecretis: iam fuerat tonſor. Viden al'um, qui nunc eſt à reſponſis? iam fuerat ſtabularius miniſter. Viden illum iuuenem, qui nunc eſt à caliculis? piſtoris filius fuit. O fortuna uiris inuida fortibus: Sed quia lamentatione aut indignatione opus eſt, cum hæc fortunæ blandimēta, leuia, inſtabilia, & fabulæ ſintē Quid quot urbes, flumina, inſulæ & quædam huiuſmodi quæ putantur immortalia, fabulæ ſunt. nam & à terræ tremoribus & hiatibus & diluuijs & incendijs abſorpta iā multa loca ſeu in cinerem redacta fuerunt, ut ne ueſtigia quidem appar aut. Hic uideo quēdam Iureconſultum gaudentem, & ſecum hæc uerba fortaſſe meditantem: Codrus omnem hominis uitam, omnes artes, omnia ſtudia præter leges taxauit. Leges certe non taxabit, ſcit enim eas ſacroſanctas, & honeſta præcipere, prohibere contraria. Legit ſane illa Demoſthenis uerba contra Ariſtogitonem,* καὶ τοῦτό ἐςι νόμος ᾧ πάντες πείθεσθαι προσήκει διὰ πολλὰ καὶ μάλιςα ὅτι πᾶς ἐςὶ νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δ᾽ φρονίμων ἀνθρώπων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως δ᾽ συνθήκη κοινὴ καθ᾽ ἣν πᾶσι προσήκει ζῆν τοὺς ἐν τῇ πόλει. *quæ Martianus in Digeſtis de legibus Latina ſic fecit: Et hæc eſt lex cui omnes decet obedire propter multa & uaria, & maxime quia omnis lex eſt inuentio quidem & donum dei, dogma autem omnium ſapientum, correctio autem omnium uoluntariorum & non uoluntariorum peccatorum, ciuitatis autem cōpoſitio communis, ſecundum quam omnibus conuenit uiuere, qui in ciuitate ſunt. Legi equidem, & audiui leges*

eſſe ſacroſanctas:ſed tamē & ipſe fabulæ ſunt.nā ſiue ciuiles ſiue pōtificiales ſint,ſæpenumero mutātur,quæ nūc ſunt,olim nō fuerūt,quæ olim fuerūt,nūc abrogatæ ſunt.Præterea nō ſemper cōmunis lex eſſe poteſt.unde opus eſt,ut ab æquo & bono,quod Græci ἐπιεικὲς appellabāt,corrigatur.Et adde,quod non omnibus ſeruatur.quare bene Solon,ſiue ut alij,Anacharſis dixit leges eſſe ſimiles telis aranearum,quæ minores muſcas cōprehendebāt,à maioribus lacerabātur. Amplius aliquod nobis eſt iuſtū, quod alijs eſt iniuſtū:quod alijs iuſtum,nobis iniuſtū uidetur.Furari apud Aegyptios & Lacedæmonios honorificum erat:nobis fures ſtrangulantur. Nobis hominē occidere capitale eſt. Anthropophagi humana carne ueſcūtur. unde & nomē ſortiti ſunt. At in Iurecōſultis magna eſt rerū ſciētia de fundo inſtructo,de ſupellectile legata,de uerborū ſignificatione,et de alijs pene infinitis titulis,magna quidē:ſed tamē Iurecōſulti nōdum ſciūt utrū iuſtitia animal ſit nec ne,nondū ſtatuerūt utrū diē tertiū an pendinū,utrū iudicē an arbitrū,utrū litem an rem dici oporteat.O uiros ingenioſos,qui tot annos in Mutio, in Aquilio, in Trebatio uerſati ſunt,& nondum hæc ſciunt. At Cicero uir uehementer occupatus ſe triduo poſſe Iureconſultū fieri profitebatur. Atqui ſine emptionibus, uenditionibus,ꝑmutationibus,& alijs cōtractibus humana ſocietas ſtare non poſſet: quibus nos Iurecōſulti, tot actiones, tot exceptiones,tot cōditiones ueras & firmas damus:fabulæ.Nam nūquam tam uere aliquid præſcribere poteſtis,quin litem cōteſtari neceſſe ſit.& ô dij immortales,quādo lis illa finitur? poſt annū? Non poſt 10. annos? minime.Poſt 20? nequaquā. Vnde illa Martialis in Gargilianū indignatio:Lis te bis decimæ numerāte frigora brumæ Conterit una tribus Gargiliane foris. Ah miſer & demēs,uiginti litigat annis Quiſquam? cui uinci Gargiliane licet? Quanto melius eſſet ſpōte recte uiuere,teneri patriæ nec legibus ullis,ut docebat Xenocrates, & monuit Vergilius. quod ſi fieret nec T.Liuius leges rem ſurdā,ut inexorabilē eſſe dixiſſet, nec Domitianus Imperator leges reuocaſſet

*reuocaſſet amaras omnibus. At ſi tamen alicui legi te uelis obſtringe re, illi te totũ obſtringe: Dilige Deũ tuũ, & proximũ tuũ ſicut teipſum. Cæterũ mihi reſpõdeatis, quæſo, ſi domum de Lapo emero, quis me tutũ præſtabit? Tabularius cicuta nodoſior. Et quomodo? his uerbis: Stephanus Lapus filius quõdã Petri Lapi ciuis Bononiẽſis dedit, uẽdidit, tradidit Codro filio quondã Corteſij Vrcei præſenti, ſtipulãti, & recipiẽti pro ſe & ſuis hæredibus unã domũ bene materiatã, poſitã Bononiæ, in diœceſi Sancti Donati. Fabulã incipis: ad habendum, tenendũ, poſsidendũ, & quicquid dicto emptori libuerit faciendũ: fabulæ. Veniet enim aduerſarius, qui aliquid deeſſe dicet. Addam & illud promittẽs, prædictus, uẽditor. hæc omnia rata habere, tenere, adimplere, nec huic uẽditioni cõtradicere uel cõtrà facere de iure uel de facto, per ſe uel per aliũ, ſub pœna ſeſtertiũ centũ obligans ſe & ſua bona præſentia & futura. Cantilenã eandẽ canis: exceptionẽ enim aliquã opponet: ſed addã renũcians exceptioni pecuniæ nõ numeratæ, doli mali, actioni in factũ fori, priuilegio, & omnibus beneficijs pro ſe faciẽtibus: tricæ. Iurabit deos ſuperos, inferos, medioximos. addã nomen Chriſti, annũ, mẽſem, diẽ, indicionẽ, nomen ſummi Põtificis, locũ, teſtes, nomen meũ cũ ſigno ſubſcribã: nugæ. Nónne uerſus illos noſtros legiſti unquã? heus tu, noſtra ætas nõ multũ fidei gerit, tabulæ notãtur, adſunt teſtes duodecim, tempus locumq; ſcribit Actuarius: tamẽ inuenitur rabula, q factũ neget. Et ut aliquãdo fabulam fabularũ terminemus, in hac extrema pagella omnes ocioſos tã diuites quam pauperes, omnes mœchos mulierioſos, pæderaſtas, cinædos, phagones, uinoſos, aleatores, paraſitos, lenones, pductores, tonſores, ſeplaſiarios, unctores, mediaſtinos, balneatores, peraulas, lyriſtas, cãtores, ſaltatores, pharmacopolas cõprendamus. Hi cum bene dormierint, amauerint, coiuerint, comederint, biberint, luſerint, cãtauerint, raſitauerint, inũxerint, quid tandem? fabulæ. Aleo Mariottus cum ludendo omnia fere bona cõſumpſiſſet, domũ repetẽs, exclamare cœpit: Heus Nauſiſtrata uxor, affer*

*properè reſtim, qui me faciam penſilum. & cur nam? quia unicæ filiolæ noſtræ dotem amiſi: miſer. Et libidinoſus ille, Vocat æquales: ite mecum. Venerũt nouæ diobolares puellæ famoſæ: eamus antequam locos madidos inueniamus. Eunt, ſalutem dicunt, ſuauiantur, amplectuntur, coeunt, & omnes numeros Cyrenes meretricis, quæ à Græcis dicta eſt δωδεκαμήχανον implet, & quæcunq; ex Elephantidos libellis didicerunt, experiuntur. quid tum? fabulæ. nam & amiſſa pecunia, tempore, honore, ſecum μετάνοιαν reportant. Sed cũ lapidoſa chiragra Fregerit articulos, cæteris ramalia fagi. Notum eſt Perſij carmen. Iam ad nos redeamus. Nos quoq; lectores, fabulæ ſumus. Nam cum ſingulis annis aliquid noui ſumus interpretaturi, publicas facimus inuitationes. in foribus gymnaſiorum, & templorũ, & in pilis platearũ chirographos affigimus, uocamus Rectores ſtudiorum, Dialecticos, Philoſophos Medicos, Iurecõſultos, Poëtas, Grãmaticos, Senatores, Equites, plebeios quoq; literatos, ornatur cathedra & ſedilia tapetibus, & ſtragulis ueſtibus: his congregatis tandem incipimus. hic laudat Homerum, ille Vergilium: hic Demoſthenem, ille Ciceronem: hic Lucanum, ille Statiũ. & demum peroratione facta: quid tandẽ? fabulæ. Et uos quoq; auditores fabulæ eſtis. Curritis enim ad uocem iocundam, & carmen amicæ Thebaidos. Codrus hodie cõcionaturus eſt, curramus properè, facetus & comis eſt: excitabit riſum, delectabit. Et ille molli ſua & faceta oratione riſum excitat, & audientes delectat. quid tum? fabulæ. At famam & immortalitatem legendo acquirimus. quam famam? quam immortalitatẽ? ſi poſt mortẽ aut nihil eris: aut ſi eris (ut credimus) nomen tuum infinitate annorum è memoria hominum delebitur. & hoc omnibus famam quærentibus dictum ſit. Quot doctiſſimorum hominum uolumina, quot fortiſſimorum uictoriæ cum nominibus etiam ſuis perierunt? nolo hic nimium immorari, quoniam tempus eſt equorum fumantia ſoluere lora. Volo etiam id omittere: quod ſi mundus ſemper fuit, & ſemper erit, ut Ariſtoteli placuit: nihil ſempi-*

*ternum*

ternum, nihil immortale præter ipſum mundum, uel propter exuſtiones, uel propter diluuia, quæ ſtatutis accidunt temporibus, ſeruari poteſt. Imò aliquando hæ literæ, quibus nunc utimur, perībũt, & aliæ reſurgent, & fortaſſe ſæpius extinctæ, ſæpius reſurrexerũt. Si uero mundus ab immortali Deo per ignẽ cõſumendus eſt, multo minus tibi immortalem famam ſperare conceditur. Sed diu quantum fieri poteſt, nomen producere dulce eſt. uerum: ſed quid diu dicendũ eſt, quod finẽ aliquando habiturũ ſit? ex antiquis tamẽ uiris fuere qui dam in titulis & honoribus nimis ambitioſi, & in põnẽdis trophæis cõtentioſi. quales Atheniẽſes & Lacedæmonij, & Romani quoq;, ut apud Pliniũ legere licet de laudibus Pompeij Magni. Sed poſt Pompeium creuit adhuc in Cæſaribus Auguſtis ambitio, ex adulatione forſan nata ex pluribus. Duorum titulum admirationis uel fabulæ potius cauſa uobis recitabo: Imperator, Cæſar, Galerius, Maximus, Inuictus, Auguſtus, Pontifex Maximus, Germanicus, Aegyptiacus, Thebaicus, Sarmaticus quinquies, Perſicus bis, Carpicus ſexies, Armenicus, Medorum & Adiabenorum uictor, Tribunitiæ poteſtatis uicies, Imperator decieſnouies, Conſul octies, Pater patriæ, Proconſul. Et, Imperator, Cæſar, Flauius, Valerius, Conſtantinus, Pius, Felix, Inuictus, Auguſtus, Pontifex Maximus, Tribunitiæ poteſtatis, Imperator quinquies, Conſul, Pater patriæ, Proconſul. Conſtantinus imperator Traianum Imperatorẽ Herbam parietariam, ob titulos multos ædibus inſcriptos appellare ſolitus erat, ut ſcripſit Aurellius: cum tamen ipſe laudis auidus ultrà quam exiſtimari poteſt, eſſet. De titulis ueſtri Iuſtiniani non dico in præſentia prudentiſſimi Iureconſulti. Vos quotidie codicem eius inter manus habetis. At non uides hos etiamnum celebrari, & his titulis eſſe immortales? Celebrantur nunc quidem, ſed nondum exuſtio uenit: quam Philoſophi non totius, Chriſtiani uero totius orbius expectant. Omitto etiam illud quod cum fortuna in omni re dominatur, & ea inſtabilis ſit & incerta nihil ſtabile nihil certum tibi poteſt polliceri. Collige ergo

*te uere, nihil niſi fabulas poſſe expectare.* Hic *miſſas etiam facio ua-rietates linguarum, morum, ciborum, mercatuum, nundinarum. in quibus hic uendit, ille emit: hic portat, ille aſportat tot uaſa, tot ue-ſtes, tot arma, tot inſtrumenta, tot fructus. quæ omnia nos eſſe inſta-biles ac fabulas apertè declarant. Vultis'ne aliquid etiam de uarie-tate ſepulturæ audire? Aegyptij conditores* ταριχευτὰς *habe-bant, qui mortuos condiebant, & domi ſeruatos in conuiuijs exhibe-bant. Perſæ etiam circumlitos cera condiebant, ut quam maxime per manerent diuturna corpora. Erat enim quorundam opinio, tam diu animam durare quam diu corpus. Magi corpora ſua non ſepeliebāt, niſi prius à feris fuiſſent lacerata. In* Hyrcania *plebs publicos alebat canes, optimates uero priuatos ſiue domeſticos, à quibus poſt mor-tem comederentur. Triballi patres ſenes iugulabant, ac purgatos & coctos aduocatis cognatis deuorabant. Hiberi cadauera ſua uul-turibus tradebant. Garamantes nudos arena infodiebant.* Ponticæ *gentes corpora ſeruabant, educto prius de capitibus cerebro. Hy-perborei tantum ſacietate uitæ defeſſi, in mare ſaliebant. Naſamo-nes in mare cadauera proijciebant. Celtæ de caluarijs mortuorum uaſa conficiebant & ornata auro menſis inferebant. Athenienſes u-rebant, qui mos & à* Romanis *poſtea ſeruatus eſt, cum prius terræ cadauera mandarent. Scythæ uero truncis illa ſuffigebant, & putre-ſcere & liquefieri ſinebant. Sed quid mirum eſt nos eſſe fabuloſos, cum cœlum ipſum ſit fabulis plenū. Nam aries, taurus, gemini, can-cer, leo, uirgo, libra, ſcorpius, ſagittarius, capricornus, aquarius, & piſces, fabulis in mūdum aſcenderūt. Saturnus, Iuppiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna fabulis in cœlum tranſlati ſunt: ali aq; ſigna, urſa maior, procyon, urſa minor, equus, ſerpens, aquila, delphin, ſagitta, caſiopea, lepus, perſeus, cetus, Andromedea,* Ori*on, Heniochus, Centaurus, coruus, hydrus, capra, lyra, hœdi, engo-naſi, corona borea, Argo, corona auſtralis, Eridanus fluuius, Plia-des, thuribulū ſiue ara, Hyades, Arctophylax, qui &* Bootes, *ophiu-*

chus

chus, cepheus, canis, arcus, cygnus, crater, piſcis & uitula quæ retinent piſces caudarũ à parte locata (ut interpretatus eſt Cicero) fabulis in mundo collocata ſunt. At ſi hæc exercitia ſiue ſtudia humana, quæ recenſuiſti, uana ſunt & fabuloſa, cur militamus? cur exercemur? cur philoſophamur? cur appetimus? neſcio certe: niſi quia hæ fabulæ nobis bonæ & utiles uidentur, aut ad eas fato ſeu neceſſitate cõpellimur. his enim lucramur, delectamur, uiuimus. Et tu quoq; inſtabilis & multo magis fabula es, qui in tredecim præcedentiũ annorũ ſermonibus laudaſti modo Grãmaticos, modo Poëtas, modo philoſophos, modo Homerũ ſpeciatim, modo medicinã, modo aliud ſtudij genus: nunc omnia hæc ante memorata deriſiſſe uideris. Vtinam non eſſem. Et tamen ego doctus, diues, pulcher, iuuenis & potens eſſe uellem: quamuis ea fabulæ ſint. Et certe hæc humana natura fabulis mihi delectari uidetur: quæ tantam mundi uarietatẽ, & tam mutabilem fecerit montiũ ſcilicet, fluminum, camporũ, urbium, arborũ, herbarum, florum, frumentorũ, leguminũ, pomorum, piſciũ, auium, brutorum, inſectorũ, concharum, marmorũ, gemmarum, lapidũ, & hominum: & in his diuerſas formas, ſpecies, coloresq; innumerabiles excogitauerit ac effinxerit. quamobrem qui libros Naturalis hiſtoriæ inſcripſit, melius naturals fabulæ inſcripſiſſet. Optimè igitur Homerus omnem humanam uitam: omnemq; naturam ſub duplici fabula, hoc eſt, Iliade ac Odyſſea complexus eſt. Et quoniam fabularum aliæ bonæ, aliæ malæ, aliæ pulchræ, aliæ turpes, aliæ longæ, aliæ breues, aliæ quæ proſunt, aliæ quæ nocent, aliæ quæ delectant, aliæ quæ moleſtæ ſunt: nos eam fabulam legendam elegimus, quæ prodeſſet ſimul & delectaret. de cuius laudibus ſi uellem in præſentia recãtare, oſtenderẽ uobis hãc eſſe imitationẽ uitæ, ſpeculũ conſuetudinis, imaginẽ ueritatis. Et ideo bene theatra, et amphitheatra, & ſcenæ, & orcheſtræ opera hominũ miranda, non Iurecõſultis, nõ Medicis, non Philoſophis: ſed fabulis ſunt ædificata. Et præcipuè Græcas fabulas, quæ totum terrarum orbem ſua dulcedine cõpleuerunt,

*rũt, ita uobis cõmendarem, ut nullus eſſet, quin miro amore, & ſiti, & feruore animi illas complectendi ac audiendi caperetur. Sed & temporis & auditorum habenda ratio eſt, qui fortaſſe me reprehendent, quod non ea dixerim breuitate qua potuiſſem: ſed reliqua in alio ſermone dicemus: ubi de Ariſtophane quoq; poëta, & illius fabulis uerba faciemus. Nunc tantum uos hortor, uos inuito, uos obſecro, ut cum fabulas lecturi ſimus, & fabulis mundus gaudeat: de fabulis cum fabulis, in fabulis, per fabulas loquamur, ſimus, uerſemur, uiuamus, gaudeamus. Et noſtros principes Bentiuolos proſequamur, comitemur, amemus, honoremus: in pace læticiam, in bello uictoriam optimatibus Venetianis, & Bononienſi populo: & omnibus fœdera noſtra ſequentibus ac amantibus exoptemus.*

*Explicit ſermo primus.*

## ANTONII CODRI VRCEI SERMO ſecundus, habitus in enarratione Rhetorices & Lucani.

*MAgnam literatæ iuuẽtutis multitudinem huc ad me audiendum hodie confluxiſſe uideo, uiri Præſtantiſſimi: ea ut arbitror ratione, quia putant ſe aliquid noui, aliquid maioris doctrinæ ac eruditionis à me auditum iri. poſtquam intellexerunt me huic nouæ lectioni, & magnis collegis hoc anno fuiſſe aſcriptum. huic opinioni, priuſquam de lectionibus quas interpretaturus ſum, uerba faciam uolo occurrere, ne tanta uirorũ eruditorũ Concio, quæ honoris mei gratia huc cõuenit, omnino decepta ac fruſtra conueniſſe uideatur. Ego hanc lectionem petiui quidem, & petitam unà cum erudito ſocio impetraui, & impetratam libenter aſſumpſi, ex quo immortales gratias principibus noſtris ago: à quibus omnis honor, omne emolu-*

*emolumentum, omnis utilitas in populum defluit ac gubernatur. Verum non ambitione, aut mentis tumore quodam, ut fortaſſe putatis hoc à me factum eſt. quoniam hoc uitium nunquam in me fuit, quod qui in hac urbe fuerunt his ſeptemdecē annis præteritis, uidere potuerunt, ut humiliter, ut manſuete inter diſcipulorum meorū cathedras uerſatus fuerim. neque idem feci, quod me ſocijs meis qui ingenio, memoria, affinitatibus, propinquis, opibusq́; præſtantiores ſunt exæquare uoluerim, & præcipuè Philippo Beroaldo: quem per excellentiam quandam Cōmentatorem Bononienſem appellare ſoleo. & certe quoniam illum præſentem uideo, hac de eo utar dicendi modeſtia, ut dicam illum quidem fortaſſe aliquos ingenio & doctrina pares habere, neminem uero ſuperiorem. Quod ſi uel ſtultitia uel leuitate aliqua tentarem, profecto in illud ranunculi dictum facile incurrere poſſem, non ſi te ruperis. Scitis enim fuiſſe olim quendam taurum ingentem, qui ſitis ſedandæ gratia paludem petierat, & petendo ranunculos quoſdam forte cōtriuerat præter unum, qui aufugiens matri narrauit: Fratres ab ingenti belua fuiſſe protritos. Mater quæ filio ſe oſtēdere uolebat eſſe ingens animal, inflari cœpit & rogauit, num tanta fuiſſet illa belua. Ille multo, inquit, maior. Illa iterum inflari & redinflari perſeuerauit. Hoc uidēs filius, Non ſi te ruperis, par eris. quod dictū in prouerbium elegans uenit in eos: qui paruæ cōditionis exiſtētes ſe maioribus æquare conantur. Illud præterea prouerbiū Græcum. ne hoc faciā me mouet. τὰ σκύτη βλέπειν, id eſt, ſcuticam aſpicere iubeo. quo uſus eſt Ariſtophanes, & alij ſcriptores Græci in eos, qui renitentes maioribus flagello caſtigantur. Quare ergo hoc à te factùm eſt? cogente paupertate. ſcilicet & rerum domeſticarum anguſtia. ſperaui enim ſi hanc lectionē adeptus eſſem, laboribus & uigilijs meis mercedem paulo ampliorem à principibus noſtris datum iri: qua ætatem iam ingraueſcentem facilius ſuſtentare poſſem, quod adhuc ſpero: & ſi quid ueri mens augurat, opto. Quamobrē quoniam ante pran*

*dij horam lecturi ſumus,ſi quis ueſtrum cupiat artolaganos delicatos,pultė opiparas & alios affluentes cibos, petat collegas meos. quorum menſa ἡλίου τράπεζα,id eſt,menſa ſolis appellari poteſt adeò omnium rerum referta eſt & inexhauſta ſemper & exuberans. Qui uero exoptat minutal aliquod frugi & Pythagoricum, quale ab Horatio expetitur,O quando faba Pythagoræ cognata ſimulq; Vncta ſatis pingui ponētur holuſcula lardo.O noctes cœnæq; Deum.petat Codrum,qui puero ſuo accuratè præcipiet,Vnge unge puer caules,ut uos ſuauiter & ſalubriter pro copia ſua poſſit accipere: ſed iam optimum factu eſt,ut de ſcriptoribus quos lecturus ſum,uerba faciam.Ex Latinis elegi Lucanū & Rhetoricos libros ad Herennium,ſiue à M.Cicerone: ſiue ab alio quopiam,ut reor, ſcriptos.Ex Græcis Homerum,& aliquem Lucani dialogum,qui auditoribus aptior uidebitur.De Lucano locuturus,neſcio quid agam, unde incipiam.nihil utiq; uellem recitare,quod aures ueſtras offenderet,& culpam mihi non laudē referret.Vultis'ne ſic incipiam?Corduba nobilis ciuitas fuit et eſt (ut reor)in ea Hiſpaniæ parte,quæ Betita à Beti fluuio dicta eſt. eam coloniam patriciam fuiſſe cognomine natā refert Plinius à patricijs fortaſſe Romanis, à quibus deducta eſt.Hinc orta eſt illa celebris & clara Annæorum familia, ex qua fuerunt Seneca,Gallio & Melas Fratres hi Romā,temporibus Claudij Romanorum Imperatoris,ſe cōtulerunt:& Seneca Neroni præceptor datus eſt. Ex Mela natus erat pauloantè Lucanus, de quo nunc loquimur 3.nonas Nouembres,L.Germanico & L.Cæſiano cōſulibus,& Lucanus dictus eſt à nomine aui materni.mater enim eius Acilia fuit filia Acilij cuiuſdam Lucani clari inter Oratores ingenij.Dicitur aūt Lucanus optimos ac eminētiſſimos habuiſſe præceptores:ſub qbus ita ꝑfecit,ut nō tantū cōdiſcipulos ſuperauerit, ſed & præceptores ipſos æquauerit. Quare in arte Poëtica & Oratoria præcellēs tāta dulcedine declarauit,ut in Neronis Principis amicitiā ab initio facile inſinuauerit:& quæſturā & ſacerdotiū quoddā adeptus*

*adeptus fuerit. Deinde principis beneuolētia in odiū uerſa eſt. Nā cū Nero in recitationibus theatralibus neminē uellet habere parē, cœpit Lucani carminū famā premere: & ne illa Lucanus oſtētaret, prohibere. quamoberē cū fieret per C. Piſonē quædā in Neronē con iuratio, Lucanus illi adhæſit: & ita animoſe ſe gerebat, ut omnia ſe re eius cōſilio regerētur. ſed tandē detecta cōiuratione inter cōiura tos Lucanus captus eſt, & à principio nihil fatebatur, poſt promiſ ſa impunitate, ut ſcribit Cornelius Tacitus Aciliā matrē nominauit. Verū ea promiſſo uana fuit. Nam punitis multis ex eo numero con iu ratis, Lucani mors cuidā Mario demandata fuit. is balneo reſectis ue nis, ut idē refert Tacitus, profluēte ſanguine, ubi frigeſcere pedes manusq; & paulatim ab extremis cedere ſpiritū, feruido & adhuc & cōpote nētis pectore intelligit, recordatus carmē à ſe cōpoſitum, quo uulneratum militem per eiuſmodi mortis imaginem obiiſſe tra diderat, uerſus ipſos retulit, atque hæc illi ſuprema uox fuit. Si quis uerſus illos ſcire cupit, inuiſat nonum Pharſaliæ librum, ubi repe riet. Impreſſit dentes hæmorrhois aſpera Tullo Magnanimo iuue ni miratoriq; Catonis. in quorum periodo ea uerba lectitabit, Omnia plenis Membra fluunt uenis totum eſt pro uulnere corpus. Periit itaque ut ſcribitur pridie calendas Maias Attico Veſtino & Nerua Syllano conſul. 27. ætatis anno. Habuit autem uxorem quæ dicta eſt Polla argentaria, quæ magno affectu Lucanum coluit, adeò ut ei poſt mortem ſacrificaret die natali. Vnde illud epigrāma Martia lis extat: Hæc eſt illa dies quæ magni conſcia partus Lucanum populis & tibi Polla dedit. Heu Nero crudelis, nullaq; inuiſior urbe, Debuit hoc ſaltem non licuiſſe tibi. Et item illud: Vatis Apol linei magno memorabilis ortu Lux redit, Aonidum turba fauete ſacris, Hæc meruit cum te terris Lucane, dediſſet Mixtus Caſta liæ Bætis ut eſſet aquæ. Præterea Statius in Siluis Lucani geneth liacum ſcripſit ad Pollam: Lucani propriū diem frequentet Quiſ quis collibus Iſthmiæ diones Docto pectora concitatur œſtro. & paulo*

paulo poſt, Lucanum canimus fauete linguis Veſtra eſt iſta dies, fauete Muſæ Dum qui uos geminas tulit per artes Et iunctæ pede uocis & ſolutæ Romani colitur chori ſacerdos. Sed iam Codre tace, & ne iſta nobis recita, quæ iam pridem audiuimus & legimus: hic habemus duo in Lucanum cõmentaria, in quibus & ea quæ dixiſti, & alia plura ſcripta ſunt: habemus & Statij genethliacũ carmen commentatũ, in quo deſcribit opera quæ Lucanus compoſuit, & in primo æuo, & mox in iuuenta. & ipſum Homero, Vergilio, Lucretio, & multis alijs præponit Poëtis, & Pollam laudat, & dicit fuiſſe doctam & ingenio decoram, forma, ſimplicitate, comitate, cenſu, ſanguine, gratia, decore. Itaq; ſi quid aliud habes, nobis bene audientibus refer. Vultisńe materiã belli ciuilis inter Pompeium & Cæſarem exponam? Accipite ergo ſummatim. Anno ſeptingenteſimo fere ab Vrbe condita, Romana reſpub. in trium nobilium uirorum poteſtatem peruenit, Craſſi ſcilicet, Pompeij & Cæſaris. Craſſus genere, diuitbs, dignitate florebat: Cæſar eloquentia & ſpiritu, etiam conſulatu alleuabatur: Pompeius tamen ſuper utrunq; eminebat. Itaque Cæſar Galliam inuaſit: Craſſus Aſiam: Pompeius Hiſpaniam. Sed Craſſus apud Parthos cum filio & 11. legionibus interfectus fuit. Iulia Cæſaris filia, quæ nupta Pompeio, generi ſocerię; concordiam matrimonij fœdere tenebat, è partu mortua eſt. quibus de rebus ſtatim æmulatio erupit. Iam Pompeio ſuſpectæ Cæſaris opes, & Cæſari Pompeiana dignitas grauis: nec is ferebat parem, nec ille ſuperiorem. Quare de ſucceſſione Cæſaris in Senatu actum eſt: & Domitius ſucceſſor eſt deſignatus. nec Cæſar abnuebat, ſi ratio eius cõſulatus proximis comitijs haberetur, qui à tribubus decem ei fuerat decretus, & nunc diſſimulante Pompeio negabatur. Sed cum Cæſar non ſe remiſſurum exercitum diceret, niſi decreta ſeruarentur, tunc in eum ut in hoſtem decernitur: ipſe uero ut ſublatam tribunorum interceſſionem, & illos Vrbe ceſſiſſe intellexit, ad Rubiconem fluuium, qui prouinciæ eius finis erat cum exercitu peruenit.

quo

*quo traiecto, Ariminũ cepit, Picenum, Vmbriam, Hetruriamq́; occupauit, Domitio, Thermo, & Libone inde pulſis. Cumq́; Pompeius & Conſules & pleraq; nobilitas Brunduſium confugiſſent, Cæſar ſecutus eos penè in portu cepit. Inde poſtea Romam iter cõuertit: & ſe Conſulem fecit, & ærarium iuſſu eius effractum ſpoliauit. qbus ita geſtis ualidiſſimas Pompeij copias, quæ ſub Petreio, Aphranio & Varrone legatis in Hiſpania erant, inuadere decreuit. quod cũ faceret, illa uerba inter ſuos iactaſſe dicitur: Se ire ad exercitum ſine duce, & reuerſurum inde ad ducem ſine exercitu. In eo itinere Maſſilia Galliæ urbs ei portas clauſit, quam Brutus cui bellũ hoc demandatum fuit, breui terra mariq́; perdomuit: ipſe in Hiſpaniã profectus ancipiti & cruento bello agitatus, tãdem Petreiũ & Aphranium ſiti obſeſſos in deditionem accepit, & paulopoſt Varronem ultro cedentem, qui in ulteriore Hiſpania relictus erat. Inde Vrbem repetijt, & ordinatis à tergo omnibus in Macedoniam tranſgreſſus Pompeium maximis quibuſdã muris obſedit, & in Pompeianorum eruptione. Cæſus poſtea Pharſalico prælio Pompeium fudit. In quo quidem prælio quædam Cæſaris uoces auditæ ſunt, una cruenta, Miles faciem feri: altera ad iactationem cõpoſita, Parce ciuibus, cum ipſe ſequeretur. Pompeius ergo profligatus in Alexandriam profugit, & Ptolemæi iuſſu occiſus eſt. Cæſar eum ſecutus, oblato Pompeij capite & annulo in quo erat enſifer leo ingemuit, & ſepulturæ mandari præcepit. Nec iſta nobis placent Codre amantiſſime, quoniam nihil quod tuum ſit dixiſti: ſed modo Florum, modo Suetonium, modo hunc, modo alium ſcriptorem ſecutus hanc narrandi ſeriem contexuiſti: nos autem ea iam audiuimus, & maiore ambitu ac eloquentia, & non tantum ea quæ à Lucano ſcripta ſunt: uerum etiam quæ ſcripta non fuerunt, ut quæ facta ſunt à Cæſare in Alexandria contra Ptolemæum: in Libya contra Iubam, Scipionem & Catonem: in Hiſpania apud Mundam contra Pompeij filios. ubi in tanta anguſtia dicitur Cæſar fuiſſe, ut de nece cogitauerit. Expectamus*

*mus à te aliquid, quod ex tua uideatur officina exiſſe, poſtquam hæc uobis non placent. Tranſibo ad Rhetoricen, & exponā quid ſit Rhetorice, unde dicta, quis inuentor eius fuerit: an ars, an utilis ſit: quæ materia, qui finis: quæ cauſæ ſyſtatæ, quæ aſyſtatæ: qui ductus, qui colores: quid theſis, quid hypotheſis: eodem Codre reuolueris. omnia enim hæc ſcimus & habemus à Quintiliano & à Cōmentatoribus noſtris relata: ita ut non ſolum trita ſint, ſed protrita & retrita. Certe aut uolūtatem noſtram non intelligis aut diſſimulas. Audiuiſtíne ſuperioribus annis eam declamationē, quæ facta fuit ab eo quem Cōmentatorem Bononienſem ſolēs appellare? de Philoſopho, Oratore ac Medico: quis eorum eſſet ciuitati utiliſſimus. Tale quiddam ex te cupimus audire: ubi ingenij tui acumen, ubi argumenta callida intelligamus. exempli cauſa: ſunt qui negāt Lucanum eſſe Poëtam, quia ſcripſerit hiſtoriam unde illud extat Martialis diſtichon: Sunt quidam qui me dicunt non eſſe Poëtam. Sed qui.m.u.b.p. in quorum numero arbitramur fuiſſe Seruium. Vellemus Declamationem unam audire, qua oſtenderes Lucanum Poëtam eſſe, & non hiſtoricum: ſiue alteram qua Hiſtoricum eſſe colligeres, & non Poëtam. Item tertiam, qua & poëtam iudicares eſſe & Hiſtoricum: & quartam etiam, qua nec Poëtam nec Hiſtoricum cenſeres appellandum. Teneo nunc animorū ueſtrorum intentionem. Verum hæc magna ſunt quæ cupitis, & ubi opus ſit ingenio, inuentione, ſpacio temporis multo, & præcipuè mihi iam ſeneſcenti. Præterea me ad infames etiam materia uocare uidemini. Quidni? ubi labor ingens, ubi gloria non tenuis. Zoilum, qui Homeromaſtix dictus eſt, odio habemus, quod ſua ſcripta contra Iliadem & Odyſſeam compoſita Regi Ptolemæo recitauit: tamen ſcripta illius deſideramus, non ut aliquid de Homerica maieſtate diminuere uelimus, ſed ut uiri ingenium adnotamus. Idem de eo qui Cicerommaſtix, & de eo qui Vergiliomaſtix cognominatus eſt, ſentire nos profitemur. quare tu quoque aliquid profer, ut anno feciſti ſuperiore, ubi de ueritate multa dixi-*

ta dixiſti, & alijs etiam annis ſuperioribus alia non diſſimilia. Id certe agebam, & feciſſem uero: niſi me magnis diſtrictum rebus, legendi tempus præueniſſet. quare uos oratos uelim uiri Clariſſimi, ut mihi deprecanti hanc ueniam hoc anno detis, meq́; miſſum faciatis, aliquando & breui uobis ſatisfacturum: Cauſando noſtros in longum ducis amores Codre. Per magnanimi noſtri Archidiaconi in Hieroſolyma diſceſſum, per littora, per portus, per freta, per urbes: per inſulas, quæ illum ſuſceperunt, ac admiratæ ſunt: per alapas & pugnos & labores, quos eius peregrini comites paſſi ſunt: per loca illa ſancta, quæ ille magno cum animi feruore uiſitauit: per eius reditum tam felicem, tam populo Bononienſi gratum, oramus te, ut in tanta omnium noſtrum lætitia aliquid dignum te & facetijs tuis nobis cum ſilentio magno audientibus & expectantibus exponas. Atqui facetiæ meam ætatem non amplius decent, & à cauillantibus tanquam ridiculus conuellor. Præterea non hic dies eſt Martino feſtus & dictus, quo ſermone uti licentiore phas eſt. Imò & te facetiæ decent, & præter te fortaſſe neminem ex his qui dicunt: & hoc tempus, omnem animi hilaritatem permittit & expoſcit. Cauillantibus uero neſcis Perſianum reſpondere? Hoc ridere meũ tam nil nulla tibi uendo Iliade. Agite ergo cum æquanimitate & ſilentio audiatis, poſtquam ex Latinis lectionibus nihil quod uobis cordi ſit, elicere poſſumus, ad Græcas animum intendamus. Decimumoctauum Homeri librum lecturus ſum hoc anno, ubi Patrocli ab Hectore interfecti mortem mirabilem in modum deflet Achilles, & mater Thetis cum Nymphis ad eum conſolandum mari egreditur, & audita fletus cauſa non inultum fore amicũ pollicetur, & arma à Vulcano fabricata ſe prolaturã promittit. Vulcanus aũt arma in gratiã Nymphæ molitur, & præcipuè in clypeo formãdo, ſuã operã exercet atq; cõſumit. Videamus ergo quare Achilles ita miſere Patrocli mortẽ deflebat, quoniã & quare ſcilicet ab eo uehemẽter amabatur, amabaturq́; q̃a pulcherrimus erat.

*A pulchritudine igitur hic fletus tam acerbus originem ducebat. ergo non omnino propoſito noſtro coniunctũ: ſed nec omnino ſeparatum erit, ſi de pulchritudine hic uerba faciamus. nã & Achilles pulcher erat, & Nymphæ pulchræ, & clypeus ille Vulcani pulcherrimus: utpote in quo terra, cœlum, mare, infatigabilis ſol, creſcens luna, ſtellæ omnes, plurimaq́; alia & uiſu ſpecioſa & ingenio elaborata uiſebantur. Præterea in pulchra ſumus urbe, pulchras domos habemus, pulchra prætoria, pulchras plateas, pulchras ueſtes, pulchros libros, pulchrum auditoriũ, pulchros & pulchras principes, pulchros pueros, puellas nolui dicere, pulchras fœminas, pulchros uiros, pulchros etiam ſenes. Omnia deniq; Bononiæ pulchra. Certe hæc oratio omnibus placitura. atqui dicet ille luſcus ſeu claudus, mihi ſane non placebit, quoniam in formoſorũ ordine numerari non poſſum: ſed & tu fortaſſe animo formoſus es, quando pulchritudo tam animi quam corporis eſſe dicitur: ad hæc mirum erit, cum in hac ſis urbe rebus pulcherrimis affluente, quin tu pulchrã rem aliquam diligas. Itaq; & de pulchritudine ſermo tibi placeat neceſſe eſt. de pulchritudine igitur maxime corporis locuturi duo proponemus. Primum illius dignitatem, deinde quonam modo aliquandiu pulchritudo ſeruari poſsit, cum bonũ fragile admodũ ſit, niſi cui cuſtodiatur. Dignitatẽ pulchritudinis ex pluribus locis extollere poſſemus: ſed nunc tantum à tribus laudibus, à generalitate, à fauore, & à uiribus. Generalitatem pulchritudinis uoco: eius tam latiſſimè patentem naturam, ut in omnibus fere rebus tam animatis quam inanimatis, tam corporeis quam incorporeis eſſe poſſit. nam ſolem pulchrum, lunam pulchram, ſidera pulchra appellamus. idem de fluminibus, montibus, uallibus, agris, arboribus, ſegetibus, fructibus dicimus. & mundum ipſum ab ornatu nomen accepiſſe ſcimus: quemadmodum & Græce κόσμος ab nomine ornamenti appellatus eſt. Necnon hominem pulchrum, equum pulchrũ, mulam pulchram, canem, accipitrem, & alias aues bene à natura dotatas formoſas eſſe prædica-*

prædicamus. Quin etiam animalium partes ſuam ſeruare poſſunt ſpeciem. nam & capillos pulchros, pulchros oculos pulchra ſupercilia, pulchrum pectus, pulchras manus, pulchros pedes laudamus & amamus. Quid ſit autem hæc pulchritudo, ſi quis quærat, dicimus eſſe quandam abſolutam elegantiam, qua omne animal capiatur: hoc eſt ut proportione & ſymmetria conuenienti compoſitum ſit corpus, & longitudo latitudini & latitudo altitudini correſpondeant. Nam de alijs animalibus taceam, cum caput hominis thoraci & thorax cruribus cõuenit, illud corpus pulchrum eſſe dicimus. Poſtea accedente colore & ſucco pulchrius atq; uenuſtius & fortius. unde pulchrum pro forti legimus à Poëta dictum: Satus Hercule pulchro   Pulcher Auentinus. Si quis autem ſcire cupiat hominis bene formati cõmenſus & proportiones, quibus antiqui pictores & ſtatuarij nobiles uſi magnas laudes ſunt aſſecuti, inuiſat Vitruuij Pollionis librum tertium, ubi uoti compos proculdubio fiet. Nunc fauorabilem eſſe pulchritudinem oſtendamus, ut illud Vergilianum approbemus: Gratior & . p. u. i. c. a. in qua quidem parte non multũ eſſet immorandum, quandoquidẽ non uiri tãtum periti, ſed etiam pueri rerum ignari certantibus ſeu ludentibus multis ſemper pulchrioribus fauere conſueuerũt. Exemplum Pelei & Thetidis nuptiæ uobis quærentibus præſtabunt. In quibus cum diſcordia proieciſſet malum aureum cum hac inſcriptione, ἡ καλὴ λαβέτω, id eſt, pulchra capiat: orta eſt inter Iunonem Palladem & Venerem de pulchritudine diſſentio. Eas ad Paridem Priami filium, tunc in Ida paſtorẽ Iuppiter miſit: Paris cum deas nudas contemplatus eſſet, pro Venere, quæ ei pulcherrimam promiſit uxorem Helenam ſcilicet pronunciauit. in quo quidem iudicio quatuor aduertenda ſunt. Primum quod pulchritudo antepoſita fuit ſapiẽtiæ & fortitudini, quoniam in malo titulus erat pulchra capiat. Alterum, quod ad formoſum iudicem miſſæ deæ fuerunt. formoſum enim Parim ſemper eſſe dicit Homerus. Tertium, quod formoſiſsima dea malum impetrauit. Quartum,

*quod ſpecioſiſsimam iudici fœminam Ledæ formoſæ filiam ſpõ-ſpondit. fauorabilis ergo eſt pulchritudo. Sed illud nõnne admiratione dignum: quod ab Homero in tertiam Rapſodiam Iliados relatum eſt? Vbi inducit ſeniores Troianos unà cum Priamo conſidere in turri quadam, unde omnem Troianorũ & Græcorum pugnam conſpicere poterant. qui cum Helenam illuc aſcendentẽ cõſpicati eſſent alter alteri inſuſurrabat, οὐ νέμεσις τρῶας καὶ ἐυκνήμιδας ἀχαιοὺς τοιῇ δ᾽ ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν αἰνῶς ἀθανάτοισι θεοῖς εἰς ὦπα ἔοικεν, id eſt, non indignum eſt Troianos & bene armatos Græcos pro tali fœmina tot mala, tanto temporis ſpacio ſuſtinere: & quare? quoniam Aeternis facies nimis eſt æquanda deabus. O pulchritudinem fauorabilem, ô rebus omnibus præponendam. Cuius hæc ſunt uerba? non Paridis qui eam rapuit, non alicuius iuuenis aut è plebe: ſed ſenum & prudentiſſimorum, & Priamo aſſidentium. Et quod maius eſt, Priamus qui eam odio habere debuiſſet, cum tot filios decennali bello propter eam amiſiſset, audit hæc & iuxta ſe uocans illã excuſat, negatq́; eam cauſam eſſe malorũ. Et Phrynen meretricem iudices Athenienſes abſoluerunt, non oratione Hyperidis quanquam admirabili perſuaſi: ſed uiſo illius pectore, quod ſpecioſiſsimum diducta ueſte nudauerat. O fauorabilem pulchritudinem. Huic meæ ſententiæ Cicero prudentiſſimus & eloquentiſſimus orator aſtipulatur, cuius uerba hæc ſunt: Adſunt Athenienſes, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atq; in omnes terras diſtributæ putantur. de quorũ urbis poſſeſsione, propter pulchritudinẽ etiam inter deos certamen fuiſſe proditũ eſt. Propter pulchritudinẽ Athenarũ certaſſe inter ſe Neptunũ & Palladẽ Cicero teſtatur. O fauorabilẽ pulchritudinẽ. Itaq; Homerus poëta reſonãtiſſimus Deos & Deas pulchritudine ut plurimũ ornauit, & Iunonẽ λευκώλενον, id eſt, ulnas albas habentem: & Palladẽ γλαυκώπιδα, id eſt, glaucis oculis quãuis ab alijs aliter dicatur: & Venerẽ χρυσῆν, id eſt, auream: & Apollinẽ ἀκερσεκόμην*

*ϖεκόμην, id eſt, intonſum & cæſariatũ appellauit. & Maro Reges & Reginas induxit formoſas: & Antiquitas ipſa ſumma imperia pulchritudini ſæpe deferebat: unde extat ille uerſus, πρῶτον μὲν εἶδος. α.τ. Atqui pulchritudo multis nocuit, & fuit multorũ malorum & cædiũ cauſa. Cõmune id malum eſt. moriũtur enim tam turpes quam pulchri, tam magni quam parui, tam diuites quam pauperet, & plures alijs de cauſis quam pulchritudine. omnia mors æquat. Sed hoc ego ad uires pulchritudinis extollendas argumentũ duco: quod propter pulchritudinẽ, multi ipſam mortẽ grãdi animo petũt. quare bene poëta Mãtuanus dixit, Pulchrũq; m. ſ. i. a. &, pulchramq; petunt. p. u. m. Hippodamia Oenomai in Arcadia Regis filia ſpecioſiſsima fuit, quam cum multi proci uxorẽ peterent, pater hanc illis impoſuit legem, ut aut eam curruli certamine ſuperarent, aut ſuperati capite priuarentur: & tamen nullus hanc Oenomai crudelitatẽ expaueſcens mortẽ fugiebat. Magnas etiã uires habet pulchritudo, quæ poteſt homines in ſaxa mutare. quod Meduſa Heſperidũ pulcherrima fecit: ita enim attonitos ita ſtupidos aſpectu ſuo omnes intuentes faciebat, ut ſaxa dici poſſe uiderentur. quæ aũt ſit hominis ætas pulchrior, alias diſputabo: nec Homerũ ſequar, qui ſæpenumero exclamat χαρίεστάτη ἥβη. Iam quomodo ſeruetur aliquandiu forma breuiter diſſeramus. ſeruatur forma natura, ut ſi quis natus ſit ſanus ſano patre, & matre nõ morboſa, ut de Alcibiade legimus: ſeruatur loco ut ſcilicet loca uitẽtur peſtilẽtia. unde Caunij, propter malũ patriæ aërem ualetudinarij erãt & luridi: ſeruatur etiam cura & mũdicijs, comendo, lauãdo, abſtergẽdo corpus. Hoc tẽpore nõ loquor de pulchritudine fucata, quæ fit œſopis & alijs medicamẽtis, q̃bus deformes fœminæ fiũt formoſæ: quãuis Ouidius dixerit, Multaq; cũ fiũt turpia facta placet. de naturali loquor pulchritudine, q̃ ſeruatur etiã uitatis his, q̃ eã corrũpunt. Corrũpunt aũt formã, crapula, ebrietas, libido nimia, et ægritudines. Cuſtodiũt ergo formã, abſtinẽtia, caſtitas, ſanitas: et medicina cõſeruatrix eſt ſanitatis. medicina*

ergo pulchritudini confert. Ad rem noſtram redeamus. Cibi quoq; nonnulli formā conſeruant, ut de leporinà carne uulgo perſuaſum eſt. quam qui comederint, ſeptem diebus pulchri eſſe dicuntur. quod Martialis epigrāma in Gelliam confirmat: & ab Lampridio in Alexandri uita relatū eſt: & in ſumma cibi omnes mediocrem ſomnum inducentes, formam conſeruant, quoniam ſomno forma nutritur: nam qui non dormiunt, macilenti fiunt, pallidi & deformes. Concludamus igitur hunc de forma ſermonem, & Auguſtini dictū quodam ad propoſitum noſtrum cōuertamus. Diuus Auguſtinus ſic in quarto de Ciuitate Dei dixit: Ingenioſum quippe naſci felicitatis eſt: nos uero ſic dicamus formoſum naſci felicitatis eſt. & certe qui pulcher eſt non omnino infelix eſt, & quodam diuino munere ornatus uidetur. quare bene Homerus Paridem inducit Hectori, qui fratris pulchritudinem reprehenderat ſic reſpondentem, οὔτοι ἀποβλητέ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα ὅσσά κεν αὐτοὶ δίδωσιν, ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο non ſunt contemnenda Deorum glorioſa dona, quæ tamen ab ipſis tribui ſueta multis uolentibus non obtinagunt. Quare in hoc plurimum ſe poteſt nobiliſſima Vrbs Bononienſis gloriari, cui inter alias Europæ ciuitates, natura formoſiſsimas, ut plurimum genuit creaturas. O felix iuuenis, ô fortunate coniunx, qui pulcher pulchrā ſortitus es uxorem. quæ tibi illud Vergilianum, precor, ſeruare poſſit, Omnes ut tecum meritis pro talibus annos Exigat & pulchra faciat te prole parentem. De forma Pelopis, de forma Ganymedis uide Homer. v. Iliad. qui dicit: κάλλεος εἵνεκα οἷο. quod fuit raptus cauſa ſuæ pulchritudinis, qui Deorū ambroſia & nectare dignati ſunt: de forma hiacynthi, Narciſſi, Nirei, & aliorum adoleſcentium: de forma antiquarum fœminarum in præſentia taceo: multaq; alia pulchritudine ſciens prætereo, alias dicenda. Nunc operæprecium eſt ad lectiones noſtras animum intendere, & ſermonem noſtrum breui epilogo concludere. Nullus Poëta, ſiue heroicus, ſiue lyricus, ſiue ſatyricus: nullus orator: nullus hiſtoricus

laudatio

*laudationibus noſtris indiget.omnes digni,omnes utiles,omnes io-
cundi.quod niſi eſſent,non excriberentur,non legerētur,non à tan-
ta uirorum frequentia audirētur, non interpretes eorum tantis ſa-
larijs afficerentur. Inter cæteros tamen Lucanus non contemnen-
dus eſt.nam multæ plenus eſt utilitatis & uoluptatis. Trahit enim
ſecum maiorem Cōmentariorum Cæſaris partem: trahit uitam Pom-
peij,uitam Cæſaris,uitam Marcelli,uitam Catonis, uitam Ciceronis,
uitam Curionis,uitam Cleopatræ:& Ptolemæi,& quorundam alio-
rum præcellentiū uirorū:ita ut hæc lectio ſemper aliquid quod pro-
ſit & delectet, habere uideatur. De laudibus Cæſaris & Pompeij
quid nunc attinet dicere, cum incredibilia penè de eis à Plinio reci-
tentur: & uos ſcitis nomen Cæſaris adeò fauorabile fuiſſe,ut Impe
ratores noſtri æui eo nomine conſecrentur. Scitis etiam Pompeium à
Regibus magnis geſtis,Magnum fuiſſe cognominatū, & de tribus
mundi partibus Aſia, ſcilicet Aphrica & Europa triumphaſſe:quas
quidem partes ipſe cum filijs, corporibus poſtea ſuis occupauerūt:
ex quo illud pulcherrimum Martialis extat epigrāma, Pompeios iu
uenes Aſia atq; Europa: ſed ipſum Terra tegit Libyes, ſi tamen ul
la tegit. Quid mirum,toto ſi ſpargitur orbe? latere Vno non po
terat tanta ruina loco. Præterea non uos latet, Catonem ea integri-
tate uitæ ac frugalitate fuiſſe, ut ſemper ueſtibus pullis uſus fue-
rit,caſtus,& ab omni libidine immunis ad eam uſq; ætatem qua uxo
rem duxit: magno noſtrorum iuuenū opprobrio,qui uix dum pube-
res hirqui, tallire incipiunt ac ſcortari. de alijs uiris, ne longū faci
am,tacebo. O pulchram hiſtoriam, ô pulchram materiam. Ariſtote
les nec nimis antiquam hiſtoriam,quia dubia & incerta eſt: nec ni-
mis nouam:quia ab omnibus uiſa fuit: ſed mediam delectare dicit.
utpote quæ ab illis longè ſit extremis. Eius generis Lucani hiſtoria
cenſenda eſt. De Rhetorica arte poſtquam uobis audire quæ propo
ſueram non placet,ſilebo: ſed ſi mihi per uos licuiſſet, oſtendiſſem
uerißimis argumentis ſolum illum eſſe ſapientem, qui Rhetoricæ*

*det operam: cæteros omnes eſſe ſtultos, qui alijs artibus ſeu ſcientijs indulgeant. quod bene intellexit ille Demoſthenes Athenienſis, qui cum Calliſtratum orantem audiuiſſet & magno populi applauſu & fauore affectum, iudicauit bene dicendi ſcientiã eſſe pulcherrimam. quamobrem relicto Platone, cuius auditor erat, ſe ad eloquentiæ ſtudium totum contulit: quod ut facerent hi Dialectici ſeu philoſophi, ut relicto Alexandro, Achillino, Gallcotto, Beccadello, & Federico, Gambalonga philoſophis acutiſſimi ad Codrum audiendum deuolarent: quod ut credo non facient, quoniam Codri Rhetorica non eſt cum Achillini philoſophia cõparanda: tamen ſi facerent, non alienum à ſua facerent profeſsione. ſiquidem Ariſtoteles, quem ipſi ducem ſequuntur motus æmulatione Iſocratis Rhetoricam docentis, & clarorum uirorum auditorium plenum habentis uerſum illum proclamauit αἰσχρὸν σιωπᾶν, καὶ ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν, id eſt, turpe eſt tacere, & Iſocratem loqui ſinere. & ſubinde luculentam & eruditionis plenam ſcripſit Rhetoricam. Præterea Rhetorica paruo diſcrimine diſtat à Dialectica. quare bene Zeno de hac rogatus differentia dixit, Dialecticã ſimilem eſſe manui clauſæ, id eſt, pugno: Rhetoricam uero manui apertæ. quod ſcilicet illa breuibus & quodammodo contractis uteretur argumentationibus: hæc uero latioribus & amplioribus. Et ipſe Ariſtoteles in principio libri Rhetorici idem teſtatus eſt, cum ſcripſit, ῥητορικὴ ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ, id eſt, Rhetorica quaſi ex altera parte reſpondens eſt dialecticæ: ut Cicero in eo libro qui Orator inſcribitur interpretatus eſt: alij tamen aſſecutiuã: alij reciprocam uertere maluerũt. Verũ ne quenquã offendamus, hanc partẽ libenter ſilentio preteribimus. Illud tantũ prouerbiũ Græcũ me exponere ſinetis: κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν, id eſt, mali corui malũ ouũ, quod multiplicẽ habet intellectũ. unũ è Rhetorica ſumptũ alios à rebus naturalibus. κόραξ igitur Syracuſanus uir acuti ingenij, & linguæ promptioris cognoſcẽs nihil aliud eſſe, quod magis animos hominũ excita-*

*ret, ſiue*

ret,ſiue excitatos ſedaret quam uerba:totã mentẽ ſuam in hoc inten dit,ut dicendi artem aliquã excogitaret,qua populum arbitratu ſuo poſſet gubernare. Itaq; primo quædã delinimẽta ſeu adulationes ad inuenit,quibus populi beneuolentiã & attentionẽ cũ docilitate cap tare poſſet:quæ appellauit procemia.deinde narrationes ſeu expoſi tiones quaſdam rerũ,quas populo perſuadere uolebat:& eas modo cõfirmando modo cõtraria cõfutando argumẽtis & rationibus ual lauit:& has uocauit ἀγῶνας, id eſt, certamina.tertio quaſdam bre ues rerum dictarum collectiones:quas uocauit epilogos. quibus re= bus ſic exercitatus,populares animos in quamcunq; partem uolebat impellebat:& ex eo multos cœpit habere in hac arte diſcipulos. In ter cæteros fuit & Tiſias,qui & ipſe hanc artem uolens diſcere & uidẽs Coracem multas à diſcipulis exigere mercedes adiuit illum,di xitq; O Corax ego quoq; uellem Rhetoricam diſcere: ſed nunc mer= cedem non habeo.ſi me eam docueris,duplicem reddam mercedem. Corax eum humanè ſuſcepit & docuit. Tiſias ergo cum didiciſſet, ingratitudine præceptorem tentauit munerari: rogauitq; eum, dic præceptor quid eſt rhetorica? & ille reſpondit: ῥητορικὴ ἐστι πει θοῦς δημιουργὸς,id eſt,Rhetorica eſt perſuaſionis effectrix.quem finem capiens Tiſias,in præceptorẽ ſophiſma tale contorſit.Quod cunque igitur de mercede dixero,ſi tibi me nihil debere perſuaſe= ro,nihil debeo.quia non debere perſuaſi: ſi non perſuaſero,non debeo etiam. quoniam me ſcire perſuadere non docuiſti. Tunc Corax ſophiſma illud ſic in diſcipulum retorſit, Quodcunque e= go quoque de mercede dixero, ſi me accepturum perſuaſero,ac= cipere debeo. quoniam perſuaſi: ſi non, debeo etiam accipere. quoniam tantum diſcipulum erudiui, qui præceptorem ſupera= ret. Quam contentionem, cum audiuiſſent aſsiſtentes,conclama= uerunt, κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν, id eſt, mali corui malum ouum. κόραξ enim Græce coruus dicitur: quaſi mali præcepto= ris peior diſcipulus. Hoc prouerbium alij ſic exponunt, quod ne=

*que ouum neque caro corui cibis apta ſit alij: quod coruus ſenex quando non poteſt cibum pullis ſuis ſuppeditare, ſeipſum cibum præbet: illi autem patrem diſcerpunt & deuorant.* Hoc apud *Aelianum in libro de Animalibus 12. legere licet: celebratior tamen eſt de rethoribus ſumpta ſententia. ad has igitur epulas non dico corui, ſed eloquētiæ, uos inuito & hortor iuuenes prudentiſſimi, ut ſequenti anno Quintilianum audire à me poſſitis, & Ariſtotelis Rhetoricam Græcam: ſine qua pleraque apud Quintilianum dicta non facile poſſunt intelligi.* De *literis græcis non ſum hodie plura dicturus, in proximum diem feſtum hanc partē relinquo. ubi (ut reor) animis ueſtris pro uirili ſatisfaciam.*

## ANTONII CODRI VRCEI SERmo Tertius in laudē Homeri habitus.

IN *noſtra ſuperioris anni oratione Præſtantiſſimi uiri unum ex duobus propoſitis abunde (ut reor) uobis demonſtratum fuit: hoc eſt niſi literæ Græcæ eſſent, Latini nihil eruditionis haberent. Alterum quod reliquum erat ſcilicet de Homeri doctrina loqueremur, in aliud tempus propter longam recitationem reiectum fuit. En uenit tempus, in quo debitum perſoluendū eſt, & ea de cauſa in hunc publicum locum cōſcendi quidem. Verum timeo, ne non ſim ſoluendo: tam graue enim æs alienum rationibus meis eſt aſcriptū, ut omnia mea bona uel oppignerata uel diſtracta ſolutioni non ſufficiant. Conabor tamen Herodoto & Plutarcho alijsq́; diuitibus & opulentis fideiuſſoribus uobis ſatisfacere. Sed antequam hoc faciam, uolo mihi reconciliare ſiue placare quoſdam medicos omni laude dignos. quos perſenſi mihi eſſe ſubiratos, quod anno ſuperiore eos ignorantiæ reprehendiſſem, qui minyo pro cinabari uterentur: cum minyum, autore Plinio, malum uenenum eſſet. Primum à uobis pe-*

*bis peto Præſtantiſſimi auditores, ut quicquid à me in ea oratione dictum eſt, non maleuolentia, non odio, non reprehēdendi uoluptate aut cauſa: ſed ueritatis oſtendendæ gratia dictum eſſe exiſtimetis. quoniam nullum uitium eſt, à quo magis alienum ſit ingenium meum quam maleuolentia ac maledicentia. Præterea, ut ſcribit Ariſtoteles: quem Philoſophum ueritatis Plato ſolebat appellare, pro defenſione ueritatis,* καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν δεῖ, *id eſt, etiam propria iugulare & refellere oportet. Ego me arbitror ueriſſima dixiſſe: ſi uero contraria quis mihi demonſtauerit herbam dabo, & errati ueniam retractando, quæ dixi deprecor. Cæterum ne artium & medicinæ doctores iniquè ferant, me hoc genus literarum Græcarũ, quod in me per exiguum eſſe ſentio, ſolis poëtis impartire ac diſſeminare: decreui hoc quidem anno Dialecticum tyronem Græcè inſtituere: ſequentibus aũt annis & philoſophum & medicum. Elegi igitur libellum Porphyrij philoſophi acutiſſimi, de quinq; uocibus, hoc eſt, genere, ſpecie, differentia, proprio, & accidenti: opus ſane (ut ipſe dicit) neceſſarium ad ea quæ ab Ariſtotele inſcripta ſunt,* δέκα στοιχεῖα, *id eſt, decem elementa, ſiue* κατηγορίας, *id eſt, prædicamenta, & alia multa dialecticis conuenientia: poſtea libros Ariſtotelis, tum dialecticos, tum phyſicos guſtabimus. Poſtremo Hippocratis aphoriſmos & alios medicinales libros, immortali Deo noſtros auſus bene iuuante, aggrediemur. Ne uero Grãmatici ſiue Poëtæ ſe deſertos à me omnino arbitrentur, Homericam lectionem ipſi quoq; habebũt. Sed agendum incipiamus oſtendere ſapientiſſimum poëtam Homerum diuino carmine omnia quæ in Encyclopædia dicuntur, uel monſtraſſe, uel intellexiſſe, uel attigiſſe. Primum uideamus mirificam illius operum cõpoſitionem: dein multijugam ac pene ineffabilem illorum doctrinam ſigillatim cõtemplabimur. Poëmata Homeri præcipua & admiranda duo ſunt, Ilias & Odyſſea. nam epigrammata, hymnos, uatrachomyomachiam & alia illius opera hoc tẽpore ſepoſita eſſe uolo. Ilias quidem Græcorum & Barbarorum res geſtas*

apud Ilium propter Helenæ raptum, & maxime Achillis in eo bello præclara facta cõtinet. Odyſſea uero Vlixis reditũ ex Troiano bello in patriam, & quæ errans in reditu tollerauit, quomodo reuerſus inſidiantes domui ſuæ ultus fuerit, oſtendit. Ex quibus manifeſtũ eſt ſapientiſſimum poëtam, perfectam hominis naturam exprimere uoluiſſe. nam cũ homo ex animo conſtet & corpore: in Iliade quidem fortitudinem corporis: in Odyſſea uero animi generoſitatem executus eſt. Hanc fœcundiſsimi & acutiſsimi ingenij figuram admiratus Vergilius Maro nõ fur ſed trifur abripuit, & in primis ſex Aeneidos libris Odyſſeam, id eſt, animi uirtutes: in ſex poſtremis Iliada id eſt. corporis fortitudinem mirificè æmulatus eſt. Cum uero poëta hominem pinxiſſet ſeu expreſsiſſet, cognouit eum immortalium Deorum curæ eſſe ſubiectum. idcirco deos finxit uti hominum conſuetudine & colloquijs, non ſolum ψυχαγωγίας καὶ ἐκπλήξεως χάριν, id eſt, delectationis & ſtuporis gratia: ſed ut in hoc oſtenderet Deos curare & non negligere mortales: quod & Stoici philoſophi ſecuti ſunt: & nos proculdubio credimus. Quare diuinarum & humanarũ rerum imaginem dicere poſſumus eſſe Homeri poëmata. Incipiamus ergo dẽ Homero uerſum illum Latinum dicere: Omnia monſtrauit diuino carmine uates. Contemplemur nunc poëtæ polyphonian, ut dicit Plutarchus, & poſtea ipſius Polymatheam. Omnis Homeri poëſis ordine quodã dictionũ ſimul poſitarũ rythmo & mẽſura aſſumitur: & ita ſuauis eſt & caſta, ut delectare ſimul & prodeſſe poſsit. Verſus aũt ipſius menſurã habent perfectiſsimã, hoc eſt hexametri ſunt & heroici uocantur. hexametri quidẽ, quia ſex ſunt pedes. Scimus aũt ſenarium numerum primum eſſe numerum perfectumq́; & ſuis partibus eſt æqualis. ideo græce τέλειος cognominatur. Heroici uero quoniam per eos præclara herou facinora exponũtur. hos nõnulli Homericos appellãt à nomine poëtæ q̃ eos maximè illuſtrauit. unde Horatius Venuſinus in poëtria dixit: Res geſtæ

regnumq́;

regnumq́; ducumq́; ac triſtia bella. Quo ſcribi poſſent numero, mõſtrauit Homerus. Sermone autem tam uario & tam muliplici uſus eſt, ut ex omni Græcorũ dialecto characteres miſcuerit. Sunt enim Græcorum ſeu linguæ quinq;: Aeolica, Ionica, Dorica, Attica, & cõmunis: Omnes hæ linguæ apud Homerum reperiũtur. omnem namq; Græciam peruagatus poëta & omnem gentem, uarijs ſermonibus opera ſua referſit. Aeolicæ linguæ, qua plurimũ uſus eſt Heſiodus, mos eſt, uti breuitate uerborum. Hanc in Homero ſæpe reperies, qui δῶ dixit pro eo quod eſt δῶμα, ut ἡμέτερον δῶ. & ὃ pro ὅτι. & ἂψ pro ὀπίσω. & ὄτριχας pro ὁμότριχας. & ὀπάτριον pro ὁμοπάτριον. & τρεῖν pro τρέμειν. & alia multa id genus. Ionicæ linguæ propriũ eſt uti aphæreſi. hoc ſeruauit Homerus in multis. unde βῆ pro ἔβη dixit. & δῶκεν pro ἔδωκεν remouendo ſcilicet præteritis temporibus augmentũ, & genitiuos plurales diſſoluendo Ionicos imitatus eſt, ut μουσάων pro μουσῶν. & participia quoq; periſpomena eodem modo dicendo, ut φρονέων καὶ νοέων. Diplaſiaſmo etiam Doricorum uſus eſt: ut ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ ὁππότερος τάδε ἔργα geminando ſcilicet cõſonantem ſicut nos Relligione patrum: &, Relliquias Danaum in metro dicimus. Præcipue uſus eſt Homerus Attica dialecto, ſicut cum λέως pro λάος. & πηνέλεως μενέλεως, & alia huiuſmodi dixit. & ex duabus ſyllabis unam fecit. ut τοὖπος, pro τὸ ἔπος. & τοὔνομα pro τὸ ὄνομα, & alia pene infinita, propter quæ à multis ſcriptoribus Homerus putatur fuiſſe Athenienſis. Communes autem ſermones ita purè, ita caſtè ſeruauit, ut quæ in Homero non reperiantur dictiones minus Græcæ eſſe credantur. quare uerſum intercalarem in Homeri laudẽ repetere poſſumus, Omnia monſtrauit diuino carmine uates. Præterea quemadmodũ gemmæ floribus intertextæ conſpicabilorẽ faciunt coronam: ita figuræ (ſeu metaplaſmi ſint ſiue tropi ſiue proprie ſchemata) poëmati inſertæ ſplendidius illud

*& magis poëticum efficiunt.quamobrem Quintilianus uarijs figu
ris & uerbis felicisſime audacem eſſe dixit Horatium, & fortaſſe
ob id fere ſolum legi dignum. At in Homero plures tropi, plura
ſchemata quam in omnibus alijs poëtis reperiuntur.In Homero fre
quentisſima eſt illa omnium figurarum pulcherrima, quam Græci
μεταφοράν, noſtri translationem appellant.In Homero eſt ὀνομα
τοποιΐα, id eſt,nominum fictio Græcis quidem inter maximas habi
ta uirtutes,ut ſcribit Quintilianus,nobis uero minime conceſſa.hinc
ſunt illa meritò laudata, λίγξε δὲ βιός. καὶ σίζε ὀφθαλμός:quo
rum prius uoluit Vergilius imitari,cum dixit,Teli ſtridorem.ſed do
ctarum aurium iudicio non potuit.In Homero eſt τῶν ἐπιθέτων εὐ
πορία, id eſt, adiectiuorum abundantia: necnon & Catachreſis,
Metalepſis, Synecdoche, Metonymia, Antonomaſia, Antiphraſis,
Emphaſis,Pleonaſmos,Periphraſis,Hyperbaton,Parembole,Palli
logia, Epanaphora, Epanados, Homœoteleuton, Homœoptoton,
Pariſon, Paronomaſia,Ellipſis, Aſyndeton,Aſyntacton,ſeu Allœo
ſis,id eſt, uariatio & generum & numerorum,& perſonarum,&
caſuum.quarum quidem figurarum exempla diligens lector facile
poterit annotare.Sed quoniam mutationem caſuum dixi apud Ho-
merum reperiri,uolo argutiolam quandam, quam nuper didici, uo-
biſcum cõmunicare.Vbi ſunt qui Grãmatices artem duobus menſi-
bus docere pollicentur? quam ne Priſcianus quidem, toto uitæ ſuæ
tempore diſcere potuit? Huiuſmodi nebulones cum didicerint nomi-
num genera & caſus, itemq; uerborum cõiugationes & modos, ſta
tim ſe eſſe Grãmaticos prædicant, nonnulli ſpeculationibus gaudẽ-
tes,modos ſignificandi inuenerunt meras nugas, meras ambages,
meros labirynthos.Faceſcant hinc in bonã rem,ne dicam aliter, qui
rebus ſuauibus hunc amarorem infundunt.Opus eſt multa lectione
& Græca & Latina,opus eſt longa ætate & ſtudio & iudicio, ſi
quis nomen Grãmatici ſibi iure uendicare uelit.hæc non odio mo-
tus,ſed pro ueritate locutus ſum.Audite iam argutiolam meam, &*

*ſpecu-*

ſpeculationem lotis auribus non diſpliciturum. Quemadmodum in literis quædam exiſtit cognatio, ut inter ſ & x, & z: necnon inter ν & λ. unde τὸ νίτρον λίτρον. & τὸν πνεύμονα πλεύμονα dicunt Attici. Similiter inter tenues literas & aſperatas & medias. propter quam pro ſe inuicem poſitæ inueniuntur: ita in caſibus cognatio quædam eſſe uidetur. Nam genitiuus ad datiuum & caſum Latinum, id eſt, ablatiuum cognationem habet. quare & egeo conſolationis & conſolatione, plenus uini & uino, utor huius rei & hac re, pater Antonij & Antonio, amicus illius & illi, maior illo & maior iuuenum dicimus. Nominatiuus uero & Accuſatiuus & Vocatiuus cognati ſunt. quod ex eo manifeſtum eſt, quia omnis Vocatiuus olim ſimilis erat Nominatiuo, & etiamnum exiſtit in pleriſque in nominibus neutris, ſingularibus & pluralibus tam Græcis quam Latinis ſupradicti tres caſus ſimiles ſunt: nec non in pluralibus tertiæ declinationis aliorũ generũ nominibus, ut τὸ ξύλον, τὸ ξύλον, ὦ ξύλον, hoc lignũ, hoc lignũ, ô lignũ: & ligna, hæc ligna, ô ligna: hi patres, hos patres. In Græcis uero dualibus omnibus eadẽ uox eſt nominatiui & accuſatiui, ut τὼ αἰνεία, duo Aeneæ, et duos Aeneas: τὼ αἴαντε, duo Aiaces, & duos Aiaces. & eadẽ eſt Genitiui quæ & Datiui, ut τοῖν αἰνείαιν, & τοῖν αἰάντοιν. hac ratione fortaſſe poëta ille doctiſſimus dixit, Vrbẽ quã ſtatuo ueſtra eſt: & ille Comicus, Populo ut placerẽt, quas feciſſet fabulas: hãc συγγένειαν primus nouit Homerus & quã bene & elegãter haberet Nominatiuus ſequẽs Accuſatiuũ in utriuſq; operis principio declarauit dicens μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος ἣ μύρια ἀχαιοῖς ἄλγε᾽ ἔθηκε. & ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη. q̃ elegantiã Homerica Simia æmulata eſt, Arma uirumq; cano, Troiæ q primus ab oris: & Horatius, Dic mihi Muſa uirũ captæ Poſt tẽpora Troiæ, Qui mores hominũ multorũ uidit & urbes. Eſt etiã apud Homerum pulchra uarietas modorũ, temporum, ſignificationũ, numerorum, perſonarum, præpoſitionũ, aduerbiorum, coniunctionũ. Sunt

N &

*& ſententiarum pulcherrimæ figuræ, Proanaphoneſis, Epiphoneſis, Proſopopœia, Diatypoſis, Ironia, Sarcaſmos, Allegoria, Hyperbole. Sunt & characteres ſermonum, qui Græce πλάσματα uocantur ſcilicet, ἁδρὸς, ἰσχνὸς, μέσος, id eſt, grãdis ſeu robuſtus, ſubtilis, & medius, & grandis datur Thucydidi: ſubtilis Lyſiæ: medius Demoſtheni. quorum exempla, quæ in Homero ſunt, prætereo, ne uidear hoc tempore Homerum uelle commentari: ſimulq́; ut ad philoſophica & medicinalia tranſeam, & his Præſtantiſsimis uiris maiorem afferam delectationem. Prætereo etiam Homeri plurimas & mirandas Parabolas, id eſt, Comparationes. hominum, uentorum, tempeſtatum: item ouium, caprarum, ceruorum, leporum, leonum, aprorum, pardorum, luporum, taurorum, equorum aſinorum. draconum, delphinorum, cicadarum, muſcarum, aquilarũ & aliorum animaliũ. Prætereo etiam aptas & cõcinnas illius deſcriptiones perſonarum, cauſarum, locorũ, temporum, inſtrumentorũ, actionum, paſsionum, & modorum. quæ miram ſecum ferunt & utilitatem, & uoluptatem. Si ergo tot ac tanta licet apud Homerum reperire, meritò ſane repetere poſſumus uerſum illum, Omnia monſtrauit diuino carmine uates. Hactenus ea quæ ad Grãmaticum fere ſpectant diximus, nunc loquemur de his quæ ad philoſophos, ad Aſtrologos, ad Rhetoricos Medicosq́; pertinere iudicantur. Scientia theoretica, id eſt, ſpeculatiua quæ eſt cognitio rerum diuinarum & humanarum in treis parteis à Philoſophis diuiſa eſt: in phyſicã, id eſt, naturalem: ethicam, id eſt, moralem: & dialecticam, id eſt, diſputatricem. in omnibus his ſemina & principia dediſſe Homerum ſi demonſtrabimus, nónne ante omnis ſcriptores admiratione dignus uidebitur? per ænigmata uero & fabulas ſi quid dictum apparebit, non erit præter rationem exiſtimandum. Hoc enim poëticum eſt & antiquorum conſuetudo. Incipiamus igitur ab uniuerſi principio, hoc eſt, à mundi generatione. Thales Mileſius unus è ſeptem, cui ſex reliquos conſenſiſſe primas ferunt (ut ſcribit Cicero) Aquam dixit eſſe*

rerum pr'ncipium.hoc primus Homerus ſuſpicatus fuerat,cum dixit, ὠκεανοῦ θ' ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται, id eſt, Oceaniq́; qui quidē generatio omnibus factus eſt. Quod æmulatus Maro carmini ſuo inſeruit,Oceanumq́; patrem rerum. Poſt Thaletem uero Xenophanes Colophonius conſtituens principia prima eſſe, Aquam & terram, uidetur ex Homerico illo uerſu occaſionem hanc traxiſſe ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε, hoc eſt, ſed quidem omnes aqua & terra fiatis. ſignificat enim reſolutionem in elementa uniuerſitatis generatiua: quanquam Macrobius alio ferè modo exponere uideatur. Maxime autem uera opinio quatuor elementa conſtituit, Ignem, aërem, aquam, terram. hæc autem cognouiſſe Homerum apparet cum memoriam horum cuiuslibet multis in locis fecerit: & ordinem etiam ipſorum, quomodo haberet oſtenderit. uidelicet quemadmodum Terra infima eſſet & ſtabilis cæteris elementis mobilibus & cœlo omnia cōtinente. Præterea cum dicit Iunonem ſororem ſimul habitare cum Ioue, allegoricè intelligit aërem ſubſtantiam humidam ſubiectam eſſe igni ſubſtantiæ calidæ. Fratres autem dicuntur Iuppiter & Iuno, propter ſimilitudinem. ambo enim leues & mobiles: ſimul autem habitare, quoniam ex ipſis ſimul euntibus omnia generantur. Vbi autem Homerus dicit, quod Iuppiter ſuſpendit Iunonem, & pedibus duos appoſuit incudes, mare & terram, aëri ſuppoſitam intelligit: manibus uero maſſam auream, ignem dicit. Maximè uero in illis quatuor tetigit elemēta, ubi Neptunus ait, Tres ſumus è Saturno & Rhea nati fratres, Iuppiter & ego, & Pluto tertius. & tripliciter omnia inter nos diuiſa ſunt. Nam Iuppiter ſortitus eſt ignis naturam, Neptunus aquæ, Pluto aëris: terra uero manſit communis. quoniam trium ſuperiorum elementorum natura ſemper mouetur: ſola autem terra immobilis exiſtit. Præterea dixit Empedocles amicitiā quidem cauſam eſſe concordiæ & unitatis elementorum: contentionem uero contrarietatis. ante hunc Homerus hanc amicitiam & cōtentionem

*obſcurè dixit, ubi Iunonem hæc loqui facit,* εἶμι γὰρ ὀψομένη πολυφόρβου πείρατα γαίης ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα τηθύν. *& infrà* τοὺς εἶμ' ὀψομένη καὶ σφ' ἄκριτα νείκεα λύσω. *Id eſt, uado enim uiſura fines terræ multos paſcentis* Oceanumq́; *generationẽ* Deorũ *& matrem* Thetym. *& paulopoſt,* Quos *uado uiſura, & eorum magnas contentiones ſoluam.* Fabula *etiam quam de* Venere *&* Marte *coniunctis ſcripſit* Homerus, *amicitiam* Empedoclis *ſignificat: quando uero diſſoluuntur contentionem. accuſat aũt eos ſol, ligat* Vulcanus, *ſoluit* Neptunus. *hoc eſt, quod calidæ & ſiccæ ſubſtantiæ contraria eſt frigida & humida: & quod aliquando coniunguntur, aliquando diſiunguntur. unde ex* Veneris *&* Martis *coitu fingitur nata harmonia: quam imperiti literarum* Græcarum *appellant* Hermionem, *de qua ſæpius apud* Statium *in* Thebaide *lectum eſt. hoc eſt, quod ex contrarijs ſonis grauibus ſcilicet & acutis ſimul proportione mixtis naſcitur cõſonantia.* Plurima *alia philoſophica* Homerus *operibus ſuis inſeruit, quæ niſi ſtrictim tetigero, nunquam hodie potero explicare.* Cognouit *enim* Homerus *quod unus eſt mundus & finitus, quod ſol circularem habet poteſtatem eundi ſupra nos, & infra terram. unde &* Hyperion *dictus eſt, quod eſt ſplendidus, quod omnia uidet, & omnia audit: quod animatus, quod non eſt ignis, ſed alia melior ſubſtantia, ut etiam* Ariſtoteles *ſuſpicatus eſt.* Cognouit *etiam alios planetas & eorum domos, ut* Aſtrologi *loquuntur, quas domos ab* Vulcano *poëtice fabricatas dicit.* Cognouit Pleiadas, Hyadas, Orionem *& urſam circa polum* Boreum *ſe uertentem & horizontem non tangentem & pigritiam* Bootæ. Cognouit *etiam terræ motuum cauſas, cognouit & eclipſium ſolis & lunæ rationes.* Cognouit *uentorum naturam, & diligenter expreſſit, queadmodum* Eurus *ab oriente ſpirat,* Zephyrus *ab occidente,* Nothus *à meridie,* Boreas *à ſeptentrione.* Cognouit *etiam quod* Boreus *polus eſt nobis eleuatus & ſublimis, qui in hoc climate habitamus.* Nothus *aũt profundus & quo*

dammodo

dammodo ſub pedibus noſtris. Præterea omnes qui recte ſapiunt, Deos eſſe exiſtimant, & primus Homerus. ſemper enim deorum honorificè mentionem facit, cum dicit, μάκαρες θεοὶ ῥεῖα ζώοντες, id eſt, beati Dei, & facile uiuentes, hoc eſt immortales & qui eti Itē οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσιν οὐ πίνουσιν αἴθοπα οἶνον τούνεκ᾽ ἀναίμονές εἰσι καὶ ἀθάνατοι καλέονται. Et quod unus eſt princeps & dux deorū putant optimi philoſophorū: hoc Homerus quoq; apud quem dicitur Iuppiter πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. καὶ ὦ πάτερ ἡμέτερε κρονίδη ὕπατε κρειόντων, id eſt, pater hominumq; deumq;: & ô Pater Saturnie ſumme imperantiū. Et quod conſideret & gubernet uniuerſa κατὰ πρόνοιαν, quam Cicero Prouidentiam appellauit. Et quod colentibus eum ſucurrit & auxiliatur. unde Palladem interdū quidē Achilli, ſemper aūt Vlyxi facit adeſſe: & Mercurium Priamo, & rurſus etiam Vlyxi. Cognouit etiam Homerus Fatum, & in eius poteſtate nō omnia eſſe, ſed aliquid etiam in hominibus eſſe uoluntarium: ſicut exiſtimauerunt prudentiſsimi philoſophorum Plato, Ariſtoteles, & Theophraſtus. Quæ cum ita ſint, repetamus uerſum intercalarem, & dicamus: Omnia monſtrauit diuino carmine uates. Ab his generoſiſsima ſententia Pythagoræ & Platonis fuit, Animā eſſe immortalem, cui etiam pœnas cum ſermone cōiunxit Plato. Qui igitur primus hoc enunciauit? Nempe Homerus multis in locis. In Iliade ubi inducit animam Patrocli ſupraſtantem Achilli dormienti, ἦλθε δ᾽ ἐπὶ ψυχὴ πατροκλῆος δειλοῖο. & ubi etiam illi addidit uerba in Odyſſea, quid aliud agit in necyia, niſi animas poſt mortem permanere & loqui ſimul & ſanguinem bibere, ut ex hoc oſtendat ſanguinem eſſe cibum ſpiritus. ſpiritus autem eſt ipſa anima uel uehiculum animæ. Demonſtrauit etiam Homerus hominem nihil aliud eſſe, niſi animam. quod & Plato aſſumpſit cum dixit: Non eſt homo quod uidetur: corpus uero quodammodo eſſe animæ carcerem uel ſepulchrum. quod Plato in Gorgia ſurripuit, καὶ τὸ μὲν σῶμά ἐστι ἡμῖν σῆμα,

& hoc quidem corpus eſt nobis ſepulchrum. Et ab utroq; Maro mutuatus eſt, Clauſæ tenebris & carcere cæco. Sequitur hoc aliud Pythagoricum dogma, Tranſire animas morientium in alia corpora. hoc etiam non fugit Homerum: Is enim inducens Hectorem equos ſuos alloquentem & Antilochum, & ipſum Achillem idem facere, & canem Vlyxis ante homines & domeſticos, cognouiſſe dominum. quid aliud quàm cõmunionem rationis, & cognationem animæ hominum & aliorum animalium nobis inſinuat? hoc idem facit mutatio ſociorum Vlyxis in belluas, & alia huiuſmodi multa quæ prætereo. Ariſtotelis acutiſsimi & doctiſsimi philoſophi dogma eſt, Vnũ eſſe mouens omnia & ipſum immobile. hoc Ariſtoteles ab Homero didicit, q Iouem ita fortè ſe prædicare inducit: Vt ſi catena aurea è cœlo pendente ligatus eſſet, ab omnibus Dijs Deabusq; è cœlo trahi nõ poſſet: cõtrà ipſe Deos Deasq; omneis eadẽ catena ligatos facile in terras ac maria detraheret. Quod æmulatus eſt philoſophus Latinus, Stabilisq; manens das cuncta moueri. Ad hæc Plato, ut Ariſtoteles duce Homero animam incorpoream eſſe putauerunt, circa corpus autem ſemper eſſe & eo tanquam uehiculo indigere. Pyrrho Elienſis philoſophus, à quo Pyrrhonij denominati ſunt, qui etiam ſceptici, id eſt, conſiderantes, nihil decernebat, nihil certum cõſtituebat. huius ſectæ princeps fuit Homerus quod in ſuis ſcriptis & operibus aliter atq; aliter de eiſdem rebus loquatur. τοῖος γὰρ νόος ἐςὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. quos uerſus ita M. Cicero tranſtulit, ut in libris de Ciuitate Dei auctor eſt Auguſtinus. Tales ſunt hominũ mentes, qualis pater ipſe Iuppiter auctiferas cum luſtrat lumine terras. In hoc genere ſententiæ uerſati ſunt & hi qui ſeptẽ σοφοὶ, id eſt, ſapientes dicti ſunt, & Archilochus & Euripides poetæ, Xenophanes & Zeno Eleates & Democritus philoſophi. Plato item quid ſit uerum neſcit: ſcire aũt dijs deorumq; filijs pmittit. O miſeros mortales, ô anxios philoſophãtes: q tanto tempore philoſophati ſunt, nec

dum

*dum ſciũt, an uiuãt, an mortui ſint. Quare bene & ſcitè Euripides* τίς οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μὲν ἐστὶ κατθανεῖν, τὸ δὲ ζῆν, *id eſt, quis nouit ſi uiuere quidẽ eſt mori, mori uero eſt uiuere. Adde huic anxietati & miſeriæ humanæ fragilitatẽ corporis. quam ipſe Homerus illis uerſibus optime demõſtrauit,* οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἐπιπνεῖ τε καὶ ἕρπει, *id eſt, nihil imbecillius terra nutrit homine omniũ quæcũq; in terra ſpirãt, & ſerpunt. & ideo homines muſcis & folijs comparat. Sed triſtia omittamus & dicamus meliora. Ariſtoteles & alij philoſophi duce Homero miſericordiã & nemeſim urbanas paſſiones exiſtimauerũt. Item de uirtute & uitio eodẽ duce locuti ſunt: qui quidem ſummam uirtutẽ diuinitatẽ arbitratus eſt, & ſummũ uitium feritatem: ſicut poſtea Ariſtoteles putauit. Peripatetici duce Homero impaſsibilitatẽ ab homine ſeparauerũt:* μετριοπάθειαν, *id eſt mediocritatẽ paſsionũ inducentes. Stoici duce Homero ſolam uirtutem ſufficere ad felicitatem dixerunt: qui uero ex deambulatione nomen habent, id eſt, Ariſtotelici eodem duce animæ bona principalia eſſe autumant, ſicut magnanimitatem, prudẽtiam, temperantiam, iuſtitiam. Poſt hæc corporis bona ponũt ſanitatẽ, uires, pulchritudinẽ, celeritatẽ. Tertia uero bona quæ ſunt extrà, ſicut generoſitatẽ, bonã famã, diuitias. Stoici etiã Homero duce bonos uiros amicos Deorũ crediderunt. Itẽ docibilẽ eſſe uirtutẽ inter dogmata philoſophorũ habetur, & ab Homero ſumptũ. Democritus ille Abderita duce Homero, ſimulachra ſua cõfinxit. q̃ Catius Epicureus ſpectra uoluit appellari,* αὐτὰρ ὁ εἴδωλον τεῦξ' ἀργυρότοξος ἀπόλλων. *Vbi aũt Homerus inducit, Vlyxẽ conuiuiũ Alcinoi laudantẽ, utpote in quo cõuiuãtes audiãt cantores, & mẽſæ plenæ ſint pane, carnibus. et ſuaui uino.* τοῦτό τί μοι κάλλιστον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι, *anſam Epicuro philoſopho Atheniẽſi præbuit, ut ille ſummũ bonũ in uoluptate terminaret. Vbi uero eundẽ Vlyxẽ facit aliquãdo mollibus et pretioſis ueſtibus indui, mõ laceris et pera uti, interdũ cũ Calypſone queſcere, interdũ cũ Iro*

certare, occaſionem præbuit Homerus Ariſtippo, ut tali uita uteretur, modo labores & paupertatem fortiter toleraret, modo uoluptatibus inceſſanter frueretur. hinc ars paraſitica originem duxit, quare bene Horatius noſter: Omnis Ariſtippũ decuit color & ſtatus & res. Ex dictis igitur apparet Homerũ & in phyſicis & in Ethicis fuiſſe philoſophatum, ergo, Omnia mõſtrauit diuino carmine uates. Præterea inter ſpeculatiuas ſciẽtias Arithmetica & Muſica numerantur, quas Pythagoras philoſophus magno honore proſecutus eſt. harum plurimus eſt apud Homerum ſermo. Pauca igitur è multis apponere non erit inutile. Pythagoras ille, qui in tanta apud diſcipulos ſuos fuit ueneratione, ut cum quid affirmaret, dicerent, αὐτὸς ἔφη: numeros magnam poteſtatem habere exiſtimauit, & omnia in numeros redegit, & aſtrorũ ſcilicet circuitus & animalium generationes. Sumpſit autem duo ſuprema principia: finitam monada, & infinitã dualitatem appellans: & monadem bonorum, dualitatem malorum eſſe principium dixit. Illam quidem dare cœlo temperiem, animis uirtutẽ, corpori ſanitatẽ, urbibus & domibus pacem & concordiam: hanc autem præbere contraria, aẽri tempeſtatem, animis uitia, corpori infirmitates, urbibus & domibus diſcordias & inimicitias. omne enim bonum concordiæ domeſticum & proprium eſt: malum uero diſcordiæ. Dixit etiam numerorũ alium eſſe parem, alium imparem. & parem quidem deficiẽtem & imperfectum appellauit: imparem uero plenum & perfectum. quoniam additus pari, ſemper ſeipſum conſeruabat, hoc eſt impar erat. Sibi aũt ipſi compoſitum parem numerum generabat, & diuiſionem non ſuſcipit, ſemper monade in eo ſuperabundante: par uero ſibi ipſi iunctus non imparem generat, neq; eſt indiuiſibilis. Et Homerus ipſe unius naturam in ſorte boni & dualitatis in ſorte mali pones ſæpius unitatem, bonum dicit & concordiam talem affectum: dualitatẽ autem uicioſitatem. unde in Iliade οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω, id eſt, non bonum eſt multorum dominatio, unus ſit domi-

ſit dominus. quam ſententiam & Plato & Ariſtoteles probant, & βασιλείαν, id eſt bonum principatū omnibus politijs anteponunt. Et neq; in bellis dupliciter ire dixit Homerus, neq; in conſilio ἀλλ᾽ ἕνα ἔχοντες νόον καὶ ἐπίφρονα βουλὴν, ſed unam habentes mentem & prudens conſilium. Semper aūt ſuperabundanti numero, hoc eſt, impari utitur tanquam meliori. Et enim uniuerſum mundum quinq; partes habentē facit, & idcirco Ariſtoteles quinq; eſſe elementa exiſtimauit: quatuor illa omnibus nota, terram, aquam, aerem, ignem: & quintum uacans nomine, ut ſcribit Cicero. Necnon Homerus ſemper imparia inducit ſuperis ſacrificari, ut facit Neſtor Neptuno, & ut iubet Vlyxi Tireſias. Achilles aūt iugulat Patroclo omnia paria: quatuor quidem equos, 12. uero Troianorū filios. & in multis ternario, quinario & maxime nouenario utitur numero. quæ omnia referre & quare, & quibus in locis nimis eſſet prolixum. Muſicam uero à Pythagoricis etiam ſummopere laudatam multis in locis exercet Homerus, ut in cantu Sirenum, quæ ad ſe Vlyxem allicere uolebant. Aliquādo in conuiuijs citharam aſſumit, ut in conuiuio Alcinoi: & procorum citharœdos inducit citharizantes, & in nuptijs tibias adhibet. Idem & in luctu, & in bello tibiarum & fiſtularū clamorem dicit audiri. Melodia duplex eſt, una in uoce, altera in organis. in organis dupliciter, aut inſpiratis, ut in tibijs & tuba: aut intimis, ut lyra & cithara. Vocum item alia grauis, alia acuta. harum omniū melodiarū differētias Homerus cognouit. qui quidem fœminas, pueros & ſenes acutæ uocis facit propter ſpiritus ſubtilitatē: uiros aūt grauiter clamare. Sicut in cithara chordæ quæ minutæ & ſubtiles ſunt, facile ſcindunt aëra, & acutè ſonant: craſſæ uero tardum habent motum & grauiter ſonant. & ideo Homerus ſcuticam ſtridulam cognominauit. quæ quoniam ſubtilis eſt, acutum reddit ſonum. Quantæ uero poteſtatis & uirtutis eſſet muſica, cognouit Homerus cum Agamennonem dixit ad bellum Troianum diſcedentem, reliquiſſe Clytemnæſtræ uxori muſicum cantorem, & illius mo

*deſtiæ cuſtodem. quam quidem uxorem uolentem nunquam Aegy-
ſthus uolens potuit uiolare, niſi prius muſico in quandam deſertam
inſulã amandato. Præterea poſtquam de Pythagoricis placitis loqui-
mur, laudabat* Pythagoras *eam quæ à* Græcis ἐχεμυθία, *id eſt, taci-
turnitas uel ſilentium dicitur, iubebatq́; eos diſcipulos, quos doctri-
næ ſuæ aptos per naturæ indicia explorauerat, certum tempus ſile-
re: alium tamen aliud tempus ſecundum ſolertiæ captũ: atq; eo tem-
pore ſilentij* ἀκουστικοί, *id eſt, auditores appellabantur, de qua re
plura* Gellius *ſcripſit.* Videamus *an* Homerus *hanc habuerit ſenten-
tiam? Certe habuit, ubi dixit in* Bacchantibus καί τι ἔπος προέηκεν
ὅπερ τ᾽ ἄρρητον ἄμεινον, *id eſt, atqui uerbum præmiſit, quod utiq;
non dictũ melius. & cũ* Vlyxes Therſitem *uerberauit,* θερσίτε ἀκρι-
τόμυθε λιγύσπερ ἐὼν ἀγορητὴς ἴσχεω, *id eſt, ô* Therſita *loquax
ſuauis quamuis exiſtens concionator, continẽ te, id eſt, tace. necnon
quando idem* Vlyxes *admonẽs* Telemachum *filium ſic ait,* σίγα καὶ
κατὰ σὸν νόον ἴσχανε μηδ᾽ ἐρέεινε, *id eſt, tace, & in mente tua
cõtine, né ue loquere. Inducit etiam* Homerus Troianos *clãgore &
ſtreptiu ire in bellum:* Græcos *uero ſilentio robur ſpirantes.* Quare
*bene* Plutarchus *cõcluſit,* βαρβαρικὸν γὰρ ἡ κραυγὴ ἑλληνικὸν
δὲ ἡ σιωπή, Barbarica *res eſt clamor,* Græcanicũ *uero eſt ſilentiũ.*
Hoc *loco reprehendendi eſſent garruli ac loquaces, qui arreptos ſe-
mel homines ineptijs ſuis obtundũt & necãt. & merito quidẽ repre-
hẽdendi, quoniã nil turpius, nil moleſtius importuna loquacitate. Cõ-
trà nihil laudabilius opportuno ſilentio.* Quare *non defuerũt phi-
loſophi, qui ſummũ bonum in ſilentio poſuerint. quod* Mantuanus
*poeta tetigiſſe uidetur, cũ dixit,* Vmbræq; *ſilentes.* Quæ *cũ ita ſint,
cõcludamus hanc partẽ, & uerſum intercalarem repetamus,* Omnia
*mõſtrauit diuino carmine uates. Reſtant ſẽtẽtiæ* Homeri *morales,
reſtãt prouerbia dicẽda, reſtat ars rhetorices. q̃ ſi in ullo unquã fuit
ſcriptore, in* Homero *maxime eſſe cenſetur. omnes colores, omnes fi-
guræ, omnes ſtyli dicẽdi, procœmia, inſinuationes, dulciſſimæ captа-
tiones beneuolẽtiæ, narrationes artificioſiſſimæ & quæ nũquam ſa-*

ſtudio afficiãt, in Homero habẽtur, legũtur, memoriæ mandãtur, in teſtimoniũ adducũtur. Reſtãt ciuilitatis iuſtæ ſpecies tres, βασιλεία, ἀριστοκρατία, καὶ δημοκρατία. & rurſus tres iniuſtæ. τυραννὶς, ὀλιγαρχία, & ὀχλοκρατία. quæ omnia ſi in Homero eſſe, ut ſunt oſtẽdere uoluero, nimis lõgus certe uidebor, & uos iam audiẽdo feſſi eſtis, & ego dicẽdo labare incipio. Conabor tamen uocẽ inſtaurare & intẽdere, & de Homeri medicina pauca ſubtexere, ut præſtãtes Archiatri aliquã ex hac oratione portiunculã etiã ipſi ſecũ ferãt. ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, id eſt, Medicus enim uir multis cõferendis alijs, ut eſt autor Homerus. & idẽ alibi ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων ἀνθρώπων, id eſt, Medicus aũt q̃libet ſciẽs ſupra omnes homines. Medicina igitur ſciẽtia bifariam diuiditur. alia enim eſt theoretica, id eſt, ſpeculatiua: alia practica, id eſt, actiua. & ſpeculatiuæ partes duæ, una σημειωτική, id eſt, ſignificatiua: altera αἰτιολογική, id eſt, cauſatiua. Actiua uero quæ per operationes procedit, tres habet partes, διαιτητικὴν, χειρουργικὴν, καὶ φαρμακευτικὴν, id eſt, quæ uictu, q̃ manu, & quæ medicamentis medetur. Quomodo has omnes nouerit parteis Homerus uideamus. Et ſi omnia exponere nõ poſſumus, q̃ eſſent neceſſaria, aliqua ſaltem exẽpli cauſa declaremus. Vbi in Odyſſea dixit, τοῖα διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα, id eſt, talia Iouis filia habebat medicamẽta cõſilij plena. μητιόεντα intellexit ſecundũ artẽ theoreticã præparata. Significatiuã uero partẽ palàm oſtẽdit p Achillẽ. Ille enim diſcipulus Chironis Cẽtauri primus cauſam Græcorũ peſtilẽtiæ cognouit intelligẽs epidemias, id eſt, populares ægritudines ex Apolline eſſe, id eſt, ſole, q horas anni inducit. q̃ cũ diſtẽperatæ ſint infirmitatis cauſa exiſtũt. Et enim omnino ſalutẽ quidẽ & peſtẽ hominũ Apollini, fœminarũ uero Dianæ, id eſt, lunæ reponit, ipſos ſagittãtes faciens propter radiorũ iactũ. Similiter & uirũ calidiorẽ fœmina determinat, & Apollinem filios, Niobes Dianã filias interficere deſcribit, τοὺς μὲν ἀπόλλων πέφνεν ἀπ᾽. ἀργυρέοιο βιοῖο χωόμενος νιο

ἔκτας δ' ἄρτεμις ἰοχέαιρα. necnon quãdo caniculæ ortũ exponit ſignũ, & cauſam æſtus & ægritudinẽ dicit. λαμπρότατος μὲν ὅγ' ἐστί, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται, καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι. hoc eſt, ſplendidiſsimus aũt hic eſt, malũ aũt ſignũ factũ eſt, & fert multã febrem miſeris mortalibus. Actiuã uero partem medicinæ ualde diligenter exequitur, & primũ diæteticã. ubi cognouit ægritudines chronicas, id eſt, lõgas & acutas etiam. unde mortem interdum appellauit νηλεγέα, id eſt, magnam prætendentem curã, & νόσον δολιχὴν, id eſt, longã ægritudinem & Dianam ſagittis ſuis interficere, id eſt, uelocem mortem. Cognouit etiam frugi diætam, id eſt, uictũ ſanitatẽ conſeruare. Fecit enim heroas aſſis carnibus, utpote ſalubrioribus utentes, habens circa cibos ſedulitatem & curioſitatem. Cognouit & uini uſus differẽtias. quod plurimum quidem potum nocens eſt: modeſte uero, utile. οἶνός τοι μελιηδὴς ἔστε καὶ ἄλλους βλάπτει ὅς ἄν μιν χανδὸν ἕλῃ μηδ' αἴσιμα πίνῃ, id eſt, uinum certe dulce, quod etiam alijs nocet, ſi quis illud abundanter ceperit, neq; decenter biberit. Item ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μεγάοινος ἀέξει, id eſt, uiro aũt feſſo robur magnum uinum auget. Cognouit etiam quod uinum & cibus dant uires & fiduciam, σίτου καὶ οἴνοιο τό γὰρ μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή. Seruat etiam hoc Homerus, quod amicis & beneuolis uinum dulce dari facit, ὡς φάτω ποντίνοος δὲ μελίφρονα οἶνον ἐκίρνα, ſic fatus Pontinous autem mellifluum uinum miſcuit. Cyclopi uero miſceri facit uinum uehemens & capitale apud Vlyxem: quod pramneum dicebatur. Cognouit Homerus panem eſſe naturalem hominis cibum. quare ſæpe dicit, καὶ ἄλφιτα μυελὸν ἀνδρῶν, id eſt, farinas medullam hominum. Duo ſunt liquores corporibus humanis gratiſsimi (dicit Plinius) intus uini, foris olei. hæc ab Homero Plinius didicerãt. De uino quidem ſuprà mentionem fecimus. Oleo aũt Homerus ſæpe inducit homines lotos inungi τοὺς δὲ ἐπεὶ οὖν δμωαὶ λοῦσαν καὶ χρίσαν ἐλαίῳ, id eſt, hos aũt poſtquam

famulæ

*famulæ lauerunt & unxerunt oleo . dicitur enim oleum membris*
*uigorem afferre.unde palæſtritæ nudi eo ungebantur:& Hann.ba*
*lem Pœnorum ducem legimus pugnaturum contra Romanos non*
*longè à Flacentia unctum habuiſſe exercitum.Præcipit etiam Home*
*rus uti exercitijs, & labores eſſe dicit cauſas ſanitatis.Si uero labo*
*ribus nimis grauatum fuerit corpus,remed ũ dicit eſſe ſomnũ. unde*
*Vlyxi ex mari feſſo inducit ueniſſe ſomnum. Natura enim expoſcit,*
*ut feſſum corpus quieſcat. Cognouit etiam omne præter menſuram*
*eſſe inutile.quare aliquando dixit,* ἀνίη ϗ πολὺς ὕπνος, *id eſt,*
*triſtitia etiam multus ſomnus . Cognouit aëris temperiem ſanitatis*
*eſſe præparatricem.quod uidere licet, ubi Fortunatas inſulas deſcri*
*bit, flante ſcilicet zephyro ſemper,& ubi multa hyems non eſt nec*
*multus imber.Docuit etiam Homerus è flumine ſemper antelucanas*
*auras inſalubres eſſe.Cognouit etiam Homerus profluuium ſangui-*
*nis carmine ſiſti poſſe,quod in Odyſſea lectitari poteſt.Cognouit eti*
*am paſsionũ medelas ut exempli cauſa lipothymias,id eſt,defectus*
*animi remedũ eſſe refrigerationẽ. Cognouit & balneas & unctio-*
*nes,de quibus ſæpe in poëmatis ſuis meminit.In chirurgia quoq; Ma*
*chaonẽ inducit Menelao primũ educentẽ telũ, poſtea conſiderantẽ*
*altitudinẽ uulneris, & exprimentẽ ſanguinẽ & ſicca pharmaca ex-*
*primentẽ. Similiter Eurypylo in femore uulnerato Patroclus primũ*
*ſagittã deſecat gladio,& educit,poſtea aqua tepida abluit,& ut ſi*
*ne dolore uulnus eſſet,radicem quandam amarã imponit.Cognouit*
*etiam Homerus,quod medicinaliũ pharmacorum,alia quidem erant*
*epiplaſta & epipaſta,alia uero potabilia:ut illud Nepẽthes,quod He*
*lena in cratere Telemachi miſcuit.Cognouit etiã eſſe mala uenena,q̃*
*Græci* δηλητήρια *uocant.q̃bus uenenãtur ſagittæ.unde & Latinus*
*poëta dixit, Ferrumq́; amare ueneno.Item quæ potabilia ſunt:ut quæ*
*ſocios Vlyxis in porcos mutauerunt.Præterea cum in corpore huma*
*no alia ſint membra homœomera,id eſt,ſimiliũ partiũ per quæ cor-*
*pus conſtat:ut uenæ,arteriæ, nerui,oſſa, & his ſimilia.Alia orga-*

nica, id eſt, quæ ex his ſunt cõpoſita, ut eſt manus, pes, cutis & alia id genus. Nullum membrũ eſt ſiue id homœomerũ ſit ſiue organicũ, cuius mentio non fiat ab Homero: ita ut anatomiã, id eſt, membrorũ ſectionem pleniſſime uideatur uidiſſe & oſtendiſſe. Cognouit etiam agriculturã non ſolũ utilem eſſe, ſed pulchrã & honeſtã: quod niſi eſſet, nũquam in clypeo Achillis cælari ab Vulcano feciſſet pinguem & putrẽ agrũ ter aratũ, multos aratores, multos meſſores, & quendam illis uinum miniſtrantem, & uxores cœnam operarijs parantes. Ergo ut uerſum intercalarem repetamus, Omnia mõſtrauit diuino carmine uates. Non ſolum aũt medicina Homeri iuuantur homines, ſed & eius diuinatione & augurijs. Inducit enim poëta ipſe, & uates & ſacerdotes & cõiectores futura prædicere, & ſternutamentũ apud eum bonum ſignũ exiſtimabatur. hæc omnia prætereo: prætereo etiã, quẽadmodũ ab Homero tragœdia & comœdia initium acceperũt ab Iliade, comœdia ab Odyſſea. quod & Donatus noſter in Terentiũ autumauit. Prætereo etiam, quemadmodũ Homerus cognouit leges & iuſtitiã. unde in paulo ante dicto Achillis clypeo, κεῖτο δ' ἐν μέσσοισι δύω χρυσοῖο τάλαντα τῷ δόμενος μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴποι, id eſt, iacebãt aũt in medijs duo aurea talenta, ut darentur illi qui inter eos ſententiã iuſtiſsimã dixſet. quapropter non mirũ eſt, ſi Homerus à prudentiſsimis Iureconſultis ſæpenumero in rebus dubijs pro certiſsimo teſte adducitur: ut à Vulpiano, Digeſtis de Contrahenda emptione: à Claudio, Digeſtis de Pœnis: à Martiano Digeſtis de Donationibus cauſa mortis: à Martiano, Digeſtis de Legatis tertio: et ab alijs quoq;, à'ijs in titulis. Inueniuntur etiam in Homero non ſolum grauia & caſta facta uerum et ã riſum mouẽtia, ut in Iliade, cũ Vulcanus claudicãs inducitur iratis Deis uinum miniſtrare ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν, id eſt, inextinguibilis certè riſus motus eſt beatis Dijs. necnon Therſites turpiſsimus corpore & peſsimus animo, uerberatus ab Vlyxe riſum Græcis omnibus excitauit. οἱ δὲ ὡς ἀχνύμενοι περ ἐπ' αὐτῷ ἡδὺ γέλασσαν, id eſt, illi aũt quãuis triſtes in ip-

ſo ſuauiter riſerũt. Miſcuit & amatoria carmini ſuo Homerus, ut in Odyſſea legere licet, quãdo Demodocus apud Phæacas furtũ Veneris & Martis cantat, & eos in Vulcani retia dicit incidiſſe, & turpiter ligatos iacuiſſe. Scribit et in Iliade Iouẽ ipſum ſummoperè Iunonis amore eſſe captũ, honeſte tamen. & ſenẽ etiam Priamũ uiſa Helena dixiſſe, οὐ νέμεσις τρῶας καὶ ἐϋκνήμιδας ἀχαιοὺς τοιῇδ᾽ ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν, & alia quæ ſequũtur. hoc eſt, Non indignũ eſt Troianosq́; & bene ocreatos Achiuos pro tali fœmina multo tempore dolores pati. hoc aũt dixit quoniã Helena pulcherrima erat, & deabus æquanda. Sed tempus eſt, ut ſermoni noſtro finẽ imponã. Volo aũt hic præterire, quemadmodũ ſtatuarũ epigrãmata et mortuorũ epitaphia originẽ ab Homero cœperũt. Item quemadmodũ Homerus picturæ magiſter optimus fuit: & ſi qs diceret poëſim eius eſſe picturã, nihil peccaret. Nam poëſis nihil aliud eſt, q̃ pictura loquens: pictura uero, poëſis tacens. Homerus itaq; in operibus ſuis multas & uarias res pinxit, præcipuè clypeũ Achillis. in quo erat cœlũ, mare, terra: ex auro factũ fuiſſe à Vulcano. Præterea omittere uolo, quẽadmodũ ars militaris ab Homero illuſtrata eſt & ornata & amplificata. de qua qdem arte alias integram orationem ex Homericis præceptis ſum facturus. Omitto etiam, quemadmodũ multi uerſibus Homeri tanquam oraculis utuntur ad diuinandũ. unde & Homericæ ſortes appellantur ab Homero, ſicut à Vergilio Vergilianæ. quarũ meminit in Hadriani uita Spartianus. Præterea etiam quædam parua qdem, ſed tamen cõcine ab Homero deſcripta. quala ſunt quæ de arte piſcandi, de arte augurandi, nauigandi, ſacrificãdi, et de alijs huiuſmodi literis mãdauit. Illud eſt mirandũ, quod ſilẽtio trãſire nõ poſſum. Nũdus ſiue cœlũ ipſum ſtellas ſeptẽtrionales Indis uiſibiles facere nõ põt. At Priami dolores & Andromachi, et Hecubæ luctus et Achillis et Hectoris uirtutes Indis cognitas unius hominis uirtus effecit: nã Indi uerſus Homericos lingua ſua trãslatos quotidie decãtare dicũtur. Omnes Philoſophi,

omnes

*omnes poëtæ tam Græci quam Latini Homerum imitati ſunt, Home-
rum ſpoliauerunt. mira res profecto: ſed illa magis mira, quod ad-
huc in Homero eſt, quod imitari, quod ſpoliare, quod furari poſsi-
mus. O miram ingenij fœcunditatem, quem poëtam, quem philoſo-
phum, quem alium ſcriptorem Homero inueniemus cõparandum?
Quare & aliquando orationem noſtram concludamus bene & ue
re de hoc diuino poëta. M. Cicero ſic quinta Tuſculana locutus eſt,
Traditum eſt etiam Homerum cæcum fuiſſe: at eius picturam non
poëſim uidemus, quæ regio? quæ ora? qui locus Græciæ? quæ ſpecies
formæ? quæ pugna? quæ acies? quod remigium? qui motus hominum?
qui ferarum non expictus eſt, ut quæ ipſe non uiderit, nobis ut uide-
remus effecerit. Ergo nónne recte colligere poſſumus & dicere,
Omnia monſtrauit diuino carmine uates. Non mirum igitur, ſi ſep-
tem urbes de eius origine cõtenderunt. Smyrma, ſcilicet, Rhodos, Co
lophon, Salamin, Ios, Argos, & ipſæ bonarum artium inuentrices
Athenæ. Ad hunc itaq; tam multiſcium, tam excellentem poëtam au-
diendum atq; ediſcendum uos uoco, uos inuito iuuenes indigenæ ad-
uenæ, conuenæ. Quantæ utilitatis ac uoluptatis ſint literæ Græce La-
tinis mixtæ audiuiſtis alias à me copioſe, & per uos intelligitis: Si
Homerum auditis & ediſcitis, omneis artes, omneis ſcientias, om-
nia ſtudia auditis & ediſcitis, & in perenni fonte ſitim aridam ſe
datis: ſin minus, nihil ſcitis, nihil ediſcitis, & in medijs undis à Tan
talo non differentes ſititis.*

## ANTONII CODRI VRCEI SER-
## mo Quartus, utrum ducenda ſit uxor.

P*Lutarchus Chæronenſis omniũ fere diſciplinarum pe
ritiſsimus, multa quidem & præclara ingenij & do-
ctrinæ ſuæ monumẽta nobis reliquit uiri excellentiſsi
mi, & auditores ornatiſsimi, ſed inter cætera opuſcu
lum illud: quod Græce* περι παιδῶν ἀγωγῆς *inſcribitur, & à
noſtris*

*noſtris de Liberorum educatione dici poteſt,miro lepore ac elegantia compoſuit.hoc ipſum uobis hoc anno bene audientibus expoſiturus ſum.Quamobrem non alienum à propoſito noſtro facere uidebor,ſi ego quoq; de liberis educandis aliqua uel à Plutarcho omiſſa, uel quæ ad pleniorem illius ſcriptorum declarationẽ ſpectant, hoc in principio diſſeruero.Et quoniam ex matrimonio liberi procreantur,& ſunt qui matrimonium ſummopere cõmendent, & non deſunt qui aliter cenſeant: idcirco non incõgruum factu erit, ſi prius illam quæſtionem generalem expediero. Vtrum ducenda ſit uxor: ſiue quoniam nimis generalis eſt,& à pluribus cõiugium quam cœlibatus laudatur,illam potius hypotheſim, hoc eſt, ſuppoſitionem tetigero. Vtrum Catoni, id eſt, ſapienti ducenda ſit.hæc propoſitio anceps eſt ac per difficilis propter uarias & multiplces diſcordantium ſententias,adeò ut ſi ad unguem & ad plenũ quæ dicenda ſunt cõplecti uelim,opus ſit omnes de re uxoria libros excutere ac in medium eorum argumẽta & ratiocinationes proferre.Verum ut uideo in nimis altum pelagus ingredior,unde pedem referre cum uoluero non licebit,quare me propoſiti mei ſubpœnitet. Tentabo tamen,ne puſillanimis uidear,ſi non omnia quæ dicenda ſuper hac materia forent,ſaltem rerum ipſarum capita & argumentationes ualidiores explicare: & ſi potero,ac fas erit iudicium meum illis adnectere: & ſi coniugium uobis placuerit,qua ætate uir uxorem ducere, & qua puella nubere debeat:& ſi fertilis erit uxor,quomodo nutriendi ſiue educandi ſint liberi, & quædam alia ad id ſpectantia non minus utiliter quam ſuauiter exponam. Primum igitur illud diſputandũ eſt,an uiro ſapienti ducenda ſit uxor.Qui negant,his potiſsimum argumentationibus propoſitum ſuum cõfirmare conantur.Omnes enim inquiunt homines natura libertati ſtudent, & cõditionem ſeruitutis oderunt. quoniam nihil dulcius,nihil præcioſius, nihil maius libertate.quod uidere manifeſto licet.Cum enim omnia facienda & ſoluẽda ſunt,ut in pace uiuamus:tamen excipere libertatem*

*debemus,& nullus pro emēda pace uendere debet libertatē. Quare probè Lucanus cecinit, Si bene libertas unquā pro pace daretur. Et Homerus melius, qui dixit, Seruos dimidio uirtutis à Ioue fuiſſe priuatos. Iureconſulti quoq; libertatem rem eſſe inæſtimabilem dicunt: & propter hoc antiquos Romanos ſeruis ſuis libertatem ante uigeſimum ætatis annum dare non potuiſſe. Non mirum itaq;, ſi nobiliſsimi ac potentiſsimi optimates Venetiani, ſi ſapientiſsimi & fortiſsimi Bononiēſes & alij quoq; populi pro libertate tuenda ſemper oculos in ſtatione habent uigilantes. Coniugium uero genus quoddam ſeruitutis eſt. nam & uxor uiro & uir uxori obſtrictus, obligatus & ita adnexus eſt, ut ne homo quidem ſummæ dignitatis ac autoritatis niſi ſonticis obuenientibus cauſis, ſeparare poſſit. Obligationem hanc & ſeruitutē declarat ille quoq; mos antiquus, quo nuptiæ per coēmptionē fiebant, ut uir uxorem & uxor uirum quaſi emere uideretur. Quod Vergilius antiquitatum peritiſsimus tetigit cum dixit: Teq; ſibi generum Thetys emat. & alio in loco, Ac dominum Aeneam in regna recepit. Et hoc eſſe aiunt, quod queritur Iuuenalis de Vrſidio, qui Stulta maritali iam porrigat ora capiſtro. & quod libertas magna dote ematur: & certe ita eſt. Viri enim tales ex nuptijs fiunt, quales ij qui ab Amazonibus uicti olim γυναικοκρατούμενοι dicebantur. Ergo cum ſolus ſapiens liber ſit, ut dicunt Stoici ducenda uxore, ne libertatem amittat, abſtinebit. Hanc uxoriam ſeruitutem illa prægrauant, moleſtia ſcilicet fœminarum, loquacitas, importunitas, inſaturabilitas. Recte Libanius Sophiſta Græcus acutiſsimus quendam inducit uirum ſe iudicibus accuſantem, & oſtendentē ſe, quod uxorē duxerit, iure morte mulctādum, propter ſcilicet plurima & ingentia mala, quæ in coniugio paſſus eſt. Vir ſapiens poſt curam reipub. poſt amicorum tractata negotia, poſt res domeſticas bene diſpoſitas domum feſſus repetit, ut ceſſet ac reficiatur. Excipitur ab uxore garrula, moroſa, irata. Vadit cubitum ut*

*quie-*

quieſcat, illa conſequitur ſtimulās illum & expungens. Semper habet lites, alternaq; iurgia lectus, in quo nupta iacet, minimum dormitur in illo. Audiuiſtiſne unquam uerſiculos illos rhythmicos in fœminarum moleſtiam compoſitos. Diſcite, recedite, ne mulieri credite, & quare? quia in Venere non deficit, & nunquam dicit, ſufficit, ad iterandum allicit. Noſtræ fœminæ ſimiles ſunt ſacerdotibus: Sacerdotes enim noſtri ſemper illas in ore preces habẽt, Da quæſumus, præſta quæſumus, concede quæſumus, ſic & noſtræ fœminæ, maritis orantibus, Dimitte nobis debita noſtra: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Inſtant & inclamant, Da debitum, præſta debitum, redde debitum, quod debitum redde decies, redde centies, redde millies: nihil reddidiſti, nihil egiſti, ad initium ſemper redeundum eſt. Vah quæ Charybdis tam uorax, quod barathrum tam præceps cum fœminæ improbitate poteſt comparari? Hic omittimus grauiſſimos ſumptus, qui à matronis aliquanto dotatioribus fiunt, & magnas opes abſumunt, & domos ditiſſimas in ſummam redigunt paupertatem in emendis zonis, ſemizonis, catellis, dextrocherijs, ſegmentis, uiriolis, ueſtibus, innumeris lapillis, annulis, uaſis, unguentis, odoribus, ſeruis, ancillis, equis, carpentis, & alijs infinitis penè inſtrumentis ac rebus, quæ dici aut cogitari poſſunt, quibus fœmina mundior fiat & inſtructior. Quæ niſi emantur, ô quot indignationes, quantæ iræ. illa pauper & mendica uicina, ueſtibus ſericeis & bombycinis utitur: ego diues non. illa plebeia, diuitem & nobilem habet maritum: ego nobilis plebeio ſuppoſita ſum: pereant q̃ me ſic maritauerũt, qui me ſic enecuerũt. Sed qd ſi maritus, eloquar an ſileam? ſi maritus male mẽtulatus ſit? quantæ querimoniæ, quãtæ lachrimæ apud matrẽ, apud ſorores? hinc rixæ, hinc fugæ, hinc ueneficia, hinc homicidia et domorũ ruinæ ſæpenumero exoriũtur & emanãt. Hæc itaq; et alia his ſimilia uirũ Solomone ſapientiorem, facerent melitide inſaniorem. ergo à

*ducenda uxore uir ſapiens abſtinebit.* Præterea nonne infamiam, ignomiam, dedecus. non ſapiens tantum: uerumetiam qui minus ſapit euitare pro uiribus debet? Sanè debet, & non infamiam tantum: ſed etiam infamiæ ſuſpicionem. quod Iulius Cæſar fecit cum Pompeiam uxorem repudiauit: quamuis nihil, teſtis citatus, ſe comperiſſe dixiſſet. Ex coniugio autem quanta Dij immortales infamia ſequitur uel ſequi poteſt. Nam hinc uxorum adulteria illinc filiorum & filiarum ſtupra: quæ etiamſi non ſequantur, tamen maritus pulchræ uxoris & formoſæ prolis pater ſemper timet, ſemper anxius eſt. Quotiens ſermonem de ceruis, de capris, de cornibus fieri intelligit, totiens de ſe aliquid moleſti dici timet. quotiens uerſum illum pronunciari audit, Cornua mutantur, ſed cornu non uariatur: totiens animus illius mutatur & uariatur. ſcit enim litem magnam pudicitiæ eſſe cum forma, ſcit omnia matrimoniorum alienorum plena eſſe ſubſeſſoribus. Auguſtus ille Cæſar, qui etiam uiuus in numerum Deorum relatus fuit, non potuit hanc euitare infamiam. habuit enim filiam & neptem adulteras, & Agrippam nepotem ingenij ſordidi & amentis, ad quorum mentionem ingemiſcēs. uerſum illum Homericum proclamare ſolebat, αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τε τ' ἔμμεναι ἄγανός τ' ἀπολέσθαι, id eſt, Vtinam debuiſſem eſſe celebs, & ſine prole perire. Nec aliter (ut recitat Tranquillus) eos appellabat, quam treis uomicas, & tria carcinomata ſua. O miſerum patrem, ô miſerum auum, qui abſtinuit diu cōgreſſu hominum præ pudore, & de necanda filia etiā deliberauit. Atqui uir ſapiens, ſapienter uxorem ſeruabit, & cuſtodes illi dabit. ſane ſcilicet: ſed quis cuſtodiet ipſos cuſtodes? cauta eſt, & ab illis incipit uxor, ut ſcripſit Iuuenalis. Et item alius poëta, Trux licet Alcides, trux Hector, fortis Achilles Imperium teneant, intus adulter erit. Hanc licet includas uallo ſeu mœnibus altis. In pluuiā capient peruia tecta Iouem. Filios autem alienos more corucæ nutrire miſerū eſt & graue. Solent legitimi iuuenes irridere & aſpernari ſpurios, & incerto patre natos.

Et quo-

*Et quomodo ipſi ſe eſſe legitimos nouerunt? Homerus poëtarũ antiquiſsimus & prudentiſsimus Palladem in forma mentæ inducit rogare Telemachum, an ſit Vlyxis filius, max mècum illi ſimilis ſit: & Telemachum reſpondere, Matrem quidem Penelopen id dicere, ſed ſe neſcire.* μητὴρ μέν τε μὲ φησι τοῦ ἔμμεναι αὐτὰρ ἔγωγε οὐκ οἶδα οὐ γὰρ πώτις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω. *Bene ergo Iuuenalis cecinit. Antiquũ & uetus eſt alienũ Poſthume lectum Concutere. & quæ ſequuntur. Atqui licet impudicam uxorem repudiare. licet quidem: ſed poſt culpam uel culpæ ſuſpicionem. Et interdum non licet ſine fratrum & propinquorum odio & periculo uitæ. Sanum igitur illud Biantis uiri Sapientis reſponſum: qui cum rogatus eſſet à quodam, Deberét ne uxorẽ ducere, dixit: Aut pulchram duces aut deformem. ſi pulchram, habebis cõmunem: ſi turpem, habebis pœnam. neutrum autem bonum, non eſt ergo uiro ſapienti ducenda uxor. Præterea non ignoratis auditores Excellentiſsimi ſapientis uiri officium eſſe reipub. aut priuatæ cõſulere: & diuina & humana contemplari. quæ quidem ſine ingenio, ſine memoria, ſine longa uita integrè fieri non poſſunt: inter autem naturæ præclara dona ſunt illa, quæ nuper dicebam ingenium ſcilicet acutum, memoria tenax, & longa uita: quæ libidine ſeu frequenti coitu maxime minuuntur, cõſumuntur & pereunt. nihil certe tam celeriter ſeneſcere cogit homines, quam crebra geniture profuſio. quod non in hominibus tantum: ſed & in alijs quoq; animalibus uidere licet & plantis. Nam quæ ſunt ſalacia & libidinoſa nimis animalia, citò deficiunt, & moriũtur: ut paſſeres, ut perdices. Lactucæ quoq;, & aliæ herbæ cum primum in ſemen abierunt, arent & emarceſcunt. Hominem uero coniugatum temperare à Venere perdifficile eſt, & uolenti per uxorem non licet. ideo bene Q. Cicero M. Ciceronis frater dicere ſolebat, Libero lectulo nihil iocundius. Quod dictũ quiſque ſapientiſsimus in fronte ſeu fulcro lecti ſui habere inſcriptũ deberet. Vxorem ergo uir ſapiens, ne ab officio ſuo deficiat, non*

 *ducet*

*ducet. Poſtremo ſi uir ſapiens diuinitatis cuiuſdam particeps eſt: quanto magis diuinitati ſimilis eſt, tanto ſapientior eſt.* Deum uero *immortalem, & diuinos ſpiritus credimus, & ſcimus eſſe puros, caſtos, integros & ab omni libidine penitus ſemotos. quamobrem & talem uirum ſapientem eſſe decet. unde cœlibem quidam dictum putant, quaſi cœleſtem uitam ducentem. Sane uiros caſtos, uirgines. qui nunquam Venereis rebus operam dederunt, uidemus eſſe formoſos, uirides, odorem quendam ſauem: qualis in pueris eſſe ſolet, antequam ſint hirquitalli, ſpirantes. Contrà uiros libidinoſos, deformes cito fieri & ſenes, & odore hircino: qualem quondam lemnij uiri dicuntur habuiſſe fœtentes. Quare recte illa de innocentibus pueris cantata ſunt, Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. uirgines enim ſunt, & quæ ſequuntur. Quare allegorizantes merito Chimæram finxerunt. quoniam libidinoſus iuuenis, tanquam leo furens non parcit matri, non parcit ſororibus: & tanquam capra humorem quendam ſœtidum ſudat, & poſt factam à conſcientia ſceleris tanquam à draconis cauda uerberatur.* De Chi*meræ figura* Heſiodus & Homerus *ſic,* πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων μέσση δὲ χίμαιρα δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο. *Lucretius ſic:* Prima leo, poſtrema draco, media *ipſa Chimæra* Ore ferens acrem flaret de corpore flammam. *Atqui rariſſimis hæc uita contingere poteſt, quoniam ut uer iſſimè cecinit* Poëta, *Omne adeò genus in terris hominumq; ferarumq;,* Et *genus æquoreum pecudes pictæq; uolucres* In *furias ignemq; ruunt.* *Si ita eſt, quid ſtimulatus uir ſapiens faciet? nónne melius erit ducere uxorem quam uri? quantum poterit reſiſtet: ſi non poterit, meretricem aliquam diobolarem acciri iubebit. quæ ſi lenta aut ſera ueniet, illud quod de* Diogene *Cynico legimus, imitabitur.* Nam *cum* Diogenes *tentigine ſtimularetur, & meretricula accita cunctaretur, præputium ductare cœpit: & cum meretricula poſtea illa ut nimis ſera retro miſit dicens, manū ſuā cecinisse* Hymenæum

Ex quo

*Ex quo percipitur ſapientes uiros nõ libidinis delectatione id facti tare: ſed humoris ſupuacanei expellendi neceſsitate, ſine ullo famæ aut honeſtatis diſpẽdio. Verũ ſi diæta & ſobria & cõtinenti quiſpiã utetur facillime ut reor caſtitatem, ſeu ut nunc dicimus uirginitatem ſeruare poterit illæſam: cũ libido non niſi ex ſuperanti humore procreari intelligatur. unde & Ariſtoteles meritò quæſiuit, Quare ſiti entes ſeu eſurientes nõ puderet aut potum, aut cibũ poſcere: rem uero Venereã appetẽtes poſcere puderet. Ea ſcilicet ratione quã nuper dicebam. quoniã cæteræ res naturæ neceſſariæ ſunt. luxuria uero incõtinentiæ ſignũ eſſe uidetur. Hæ fere ab his dici ſolent, qui Sapientem in cœlibatu honeſtius uiuere poſſe cõfirmant. Nunc etiam alterã partem audiamus, ut rectum iudicium proferre poſſimus. Ita enim ſuperioribus reſpondentes argumentantur. Supponimus auditores Ornatiſsimi, nihil in rerum natura eſſe tam bonũ, tam utile, tam perfectum, tamq́; expetendũ, ut non aliquid mali damni imperfectioniſq́; & aliqua in parte fugiendi in ſe habeat. Et ſi uultis, hoc exemplo uobis oſtendã. Cõſideremus primum ſuperiora, deinde inferiora. ſuperiora dico ſolem, lunam, & ſtellas: inferiora uero quæ ſub luna ſunt. Sol, ut Lucanus cecinit, & Plinius prædicauit lucem rebus miniſtrat auferitq́; tenebras, reliqua ſidera occultat, uicesq́ue temporum, annumq́ue ſemper renaſcentem ex uſu naturæ temperat, cœli triſtitiam diſcutit, atque etiam nubila humani animi ſerenat. & ut dicit Homerus, πάντ᾽ ἐφόρα καὶ πάντ᾽ ἐπακούει, id eſt, omnia uidet & omnia audit. Et tamen ſol interdum peſtilentiam gignit, ut apud Homerũ in In Iliados primo libro legere licet. unde & apud ueteres Apollo cum arcu & ſagittis pingebatur: luna uero ut dicit Lucanus, ſuis uicibus Tethym terrenaq́; miſcet. Luna uentos, imbres, ſerenitatẽ prædicit. Luna tamẽ ut uno in ſitu ſatis, arboribus, frugibus, hominibus prodeſt: ita alio aſpectu plurimũ nocet. quod & de reliquis ſtellis, quæ modo fortunatæ, modo infortunatæ ab Aſtrologis dicuntur, iudicare poſſumus. Conſideremus nunc elementum ignis. Vtilitas ignis certe maxima eſt: ſine quo uita mitior uiui*

*non poteſt, non in cibis tantum coquendis & frigoribus arcendis ſed in alijs quoq; ad uſum humanum ſpectãtibus. Igne enim lapides in calcem reſoluuntur: igne lateres coquuntur, quibus habitacula ædificantur: igne ferrum gignitur, ac domatur. & ut ſcribit Plinius nius, Empedocle & Hippocrate autoribus, peſtilentiæ, quæ ſolis obſcuratione contrahitur, ignis ſuffitus auxiliatur. Igne ſteriles agri iuuantur. quædam infirmitates ſiue uulnerã, quæ nec pharmacis, nec ferro ſanari poſſunt, igne ſanantur: & quæ ignis non ſanat, incurabilia ſunt. ut uériſsimè ſcripſit Hippocrates ἀνίατα, id eſt, immedicabilia. In his tamen plurimis utilitatibus, ignis illud mali habet, quod interdum & tecta & homines unà cum omnibus bonis incendium rapit, Licet ignis edax ſumma ad faſtidia uento Voluitur, exuperant flammæ, furit æſtus ad auras. Necnon aër ipſe ſine quo ſpirare uiuere ſeu nõ poſſumus, ſæpenumero peſtilens eſt, & nocet. Etiã terra ſalutiferas herbas eademq́; nocẽtes nutrit, ut ſcripſit Ouidius. Aqua uero, cuius utilitas, ignis utilitatem ſuperat. quoniam multa ſunt animalia, quæ ſine uſu ignis uiuunt: ſine uero aquæ uſu nullum animal uitam ducit, nec plantæ ipſæ, nec herbæ ſine aqua florẽt aut fructificant. quare bene Pindarus dixit, ἄριστον μὲν ὕδωρ, id eſt, optima quidem aqua. Aqua igitur ſæpenumero & homines & tecta & urbes ſubuertit & ſubmergit: Aut rapidus montano gurgite torrẽs Sternit agros, ſternit ſata læta boumq́; labores Præcipitesq́; trahit ſiluas. ut cecinit Maro: & ſuperioribus diebus fieri in agro noſtro audiuimus. Ad hæc ferri, auri & pecuniarum maximus eſt uſus & uitæ humanæ neceſſarius. idcirco Heſiodus χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι: Pecunia tamen multi, ferro, multi auro interficiuntur: ſed plures nimia congeſta pecunia cura ſtrangulat, uictoria ſcientia. Virtutes deniq; omnes dulciſsimæ ſunt & precioſiſsimæ: ſudores tamen, uulnera, uigilia, æſtus, frigora, famem, ſitimq́; ſecum ferunt. Homines quoque ipſi & cætera animalia hominibus utiliſsimi ſunt: & tamen interdũ*

*homo*

*homo hominē opprimit, uiolat, necat. Apes mel dulciſsimum pariūt & tamen in cauda gerunt aculeum. Ita conceſſa ac ſtabili hac propoſitione, facile erit, quæ contra connubiū dicta ſunt, diſſoluere ac eneruare: & optimis ac iuſtis oſtendere rationibus in cōnubio plus boni ac utilitatis eſſe quam mali atq; detrimenti. Nam quod illi dicūt coniugium quoddam genus eſſe ſeruitutis, hoc iugum ne inficiemur, leue eſt, & toleratu facile, cum in alijs quoq; rebus ſeruire homines uideamus: filius patri ſeruit, diſcipulus præceptori: qui cœlo & dijs immortalibus addictus eſt caſtitati & paupertati & ſupplicationibus: Prætores iuri dicundo: Imperatores militiæ: Doctores ſtudijs & literis, & alia id genus exercitia quandam præ ſe ferunt ſeruitutem. nullum certe bonum ſine auctoramēto. Sed quid ego ſeruitutem in nuptijs eſſe affirmaui? cum potius in illis ſit concordia & beneuolentia, quæ dulci quodam ſaporem condit libertatem. Nam ſi homo animal politicū eſt, id eſt, ciuile, ut Philoſophis placet, & nos uidemus. quæ pulchrior ciuilitas, quæ pulchrior coniunctio: quæ ea, ex qua duo ſunt in carne una? quid dulcius, quid ſuauius quam habere uxorem: cum qua omnia loqui audias ut tecum? quæ te curis & laboribus fatigatum releuet: quæ lætum lætiorem aſpectu ſuo facit. Sed inculcant aduerſarij loquacitatem, moroſitatem, impudicitiam fœminarum: & quod non uitanda eſt infamia tantum: ſed infamiæ ſuſpicio. hæc certe malarum fœminarum uitia ſunt, nónne diximus, nihil eſſe tam bonum quod in ſe aliquid mali non habeat ſi ſuſpicio malorum uitanda eſt, nullus ergo ſeminet, quoniam grando fructus auferre poteſt: nullus nauiget, quoniam nauigans tempeſtati ſubiacet: nullus uiuat, quia moriendū eſt. Huic loco faciunt illa Metelli Numidici uerba, quæ in Cenſura dixit ad populum de ducendis uxoribus, ſi ſine uxore poſſemus Quirites eſſe, omnes ea moleſtia careremus: ſed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis ſatis commode, nec ſine illis ullo modo uiui poſſit, ſaluti perpetuæ potius quam breui uoluptati conſulendum. Fœminæ quidem ut plurimum*

Metelli numidici sententia

Q mum

*mum male audiunt, & ad malum perpetrandum promptæ dicũtur. & hoc potius maritorum quorundam culpa fit & iniuſticia, quam illarum naturæ uitio: ſed tamen bonis parentibus genitæ beneq́; & liberaliter educatæ pudicæ ſunt & modeſtæ, nullam maritis moleſtiam, ut Metellus dixit afferentes: quales uere ſapientũ uxores eſſe cenſentur. Et ſi Medēa, Progne, Clytemnæſtra,, Meſallina, & aliæ quæ huiuſmodi mulieres genus fœmineum infamant: tamen plures Lucretiæ, plures Portiæ, plures Hypſicrateæ genus ſuũ cohoneſtauerũt, & pudicarũ mulierũ dicta prudenter ac facta fortiter pro patria, pro libertate, pro pace reperiuntur & leguntur. Inuenies mihi trecentas uxores codē tēpore & loco impudicas. Quot pudicæ & honeſtæ fuerunt Teutonicorum uxores, quæ cum amiſsis maritis impetrare à Mario non potuiſſent, ut ab eo uirginibus Veſtalibus dono mitterentur, affirmantes ſe concubitus uiriles expertes futuras, proxima nocte laqueis ſibi uitam eripuerunt. Et ſi quando uxor aliqua iuuenis marito ſeni & imbelli nupta, mœchum cautè tamen peteret, quid tum? leue id crimen eſt. Et ſi par pari referendum eſt, meritum certe eſt. nam & mariti quoq; mœchas aliquando petunt: & ſemper eiuſdem carnis uſus faſtidium mouet. At filios alienos nutrire graue eſt: graue quidem: ſed quid ſi uxores & liberi eſſent communes, ut Plato cenſuit, & apud Garamātes & Britannos iam factitatũ eſt. nonne æquanimiter & cōcorditer ferremus? Contemnenda eſt ergo hæc leuiuſcula iniuria & danda opera, ut quod poſsimus, uxoribus noſtris uiuēdi libertatē cōcedamus: ita enim fiēt minus peccabiles, & ab illis magnopere diligemur, ac amabimur. Quid quod uxor moroſa & iurgioſa ſapientē uirũ perficit, & qui aliorũ iniurias & petulantiā facile ferre poſſit. quod de Xantippe uxore ſibi fieri, dicere Alcibiadi ſolebat Socrates, omniũ, oraculo Apollinis, iudicatus ſapientiſsimus. Sed libido ingeniũ memoriā, uitamq́; minuit atq; ſubneruat? quis neſcit hoc laſciuis & incōtinentibus accidere ſolere hominibus, ſapiētibus uero minime? tũ ſapiēs ſemper ſecũ illud habeat, Ne quid nimis. Virginitatē uero ſeu puritatē, quam illi*

*probãt & extollũt, ego qdem nõ uitupero: ſed Philoſophi damnãt: & natura. Nam ſi uirtus eſt mediũ uitiorũ utrinq; redactũ. ut libera litas inter auaritiã & prodigalitatẽ, fortitudo inter audaciã & timi ditatem: ita inter uirginitatẽ & laſciuiã ſiue luxuriã erit modeſtia quædã coeũdi. Et ſane huiuſmodi homines, qui nulla Veneris uolupta te tangũtur, ἀναίσθητοι quodãmodo ſunt, hoc eſt ſenſu carentes. Et quemadmodũ nõ ignoratis libidinẽ immoderatã corporibus noce re: ita uos latere non decet magnã eſſe temperatæ Veneris utilitatẽ. nam ea recitat Plinius athletæ torpẽtes reſtituũtur. Venere uox re-uocatur, cum ea candida declinat in fuſcã, medetur & lumborũ do-lori, oculorũ hebetationi, mente captis ac melancholicis. quinimò ni mia cõtinentia certis corporibus plurimũ nocet: quare Diogenes cõ cubitu quamuis ſapiens indulgebat, ut quod ab aduerſarijs noſtris de eo dictũ eſt, pro nobis facere uideatur. Natura etiam, quæ homi-nem gigere non potuit immortalẽ, ſpeciẽ illius quantũ in eo eſt, niti-tur facere immortalẽ. Itaq; maſculo & fœminæ ingenuit quendam coniunctionis appetitum procreandi cauſa, & curam quandam eo-rum quæ procreata eſſent. Quare uirginitas, hoc eſt ſterilitas non minus cõtra naturam eſt, quã corruptio, quã mors. ideo ſteriles fœ minæ apud Hebræos male audiebãt, & à templo Dei arcebãtur. Be-ne Phocylides poëta monuit, δός τι φύσει κ' αὐτὸς τέκε δ' ἔμ-παλιν ὡς ἐλοχεύθης, id eſt, da aliquid tu quoq; naturæ: gigne aũt ui-ciſsim, ſicut genitus es. quod quiſq; probatiſsimus uir (ſi mõ poteſt) efficere debet, ne omnino infructuoſus, & fruſtra genitus eſſe uide atur. Cõfutatis igitur ac proſtratis aduerſantiũ ratio ibus, facile eſt, matrimoniũ uiro ſapiẽti cõprobare. Primũ quoniã cũ uir ſapiens di uinitatis plenus ſit, & coniugiũ diuino præcepto inſtitutũ ſit. nequa quam ab illo debet eſſe alienus. Quod ſi quis duræ ceruicis philoſo-phus hoc tanquam minus diuinum contemnat, quaſi quod natura ip-ſa conſtitutum ſit, ut homines gignantur & multiplicentur: uel hoc Cecropi Athenienſium Regi acceptum ferre uelit, non debet ab*

*humanis legibus ſaltē,q̄ ſuper ea re latæ ſunt aberrare:cū præcipuè ὁ νόμ⊛ ἦ, lex ſit,ᾧ πάντας πείθεσθαι προσήκει,dicit Demoſthenes contra Ariſtogitonem: & à Martiano in Digeſtis de Legibus allegatur,id eſt,cui omnes obedire decet, διὰ πολλὰ καὶ μάλιςα ὅτι πᾶς ἐςὶ νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δὲ φρονίμων ἀνθρώπων, & reliqua, id eſt, propter multa & maxime.quia omnis lex eſt inuentū quidem & donum Deorum:dogma autem ſapientum uirorum,ut anno ſuperiore uobis expoſui. Et enim ſine dubio,ut Cicero ſcripſit, Domus Iureconſulti totius eſt oraculū ciuitatis. In legibus igitur Cenſorijs hæc uerba ſcripta ſunt Cœlibes eſſe prohibento.Poſtea leges de maritandis ordinibus latæ ſunt,quibus abſurdiſsimum eſſet,ſi uir ſapiens, qui eas tulit,non pareret.Ergo iure Camillus & Poſthumius Cenſores eos qui ad ſenectutem cœlibes peruenerant ærarios fecerunt,ut nodoſam exoluerent ſtipem numeroſæ poſteritati utilem: ut à Valerio memoriæ mandatum eſt.Tria ſunt auditores Excellentiſsimi, quæ maximè in hac uita ſolent homines appetere & uenari: utilitas ſcilicet uoluptas & honor.In coniugio hæc tria ſi eſſe abundè oſtendero,quis ſapiens ab uxore ducanda alienus erit?Vtilitatem primum ex cōniugio capit natura humana,quæ ſine eo temporis longinquitate occideret,& ſubinde reſpublicæ,quæ & in pace conſeruatores, & in bello multos habent propugnatores ac defenſores. deinde œconomia cum ea quæ uir fortis & ſub dio laborans comparauit, & ſub tectum recondidit,uxor cuſtodit, & cætera conficit opera, quæ domi debent adminiſtrari: ut cibaria & lanificia, & reliqua utenſilia:quibus aūt aliter homo, aut etiam excolitur. Præterea ex hac ſocietate uiro ægrotanti magna adiutoria præparantur. Vxor enim ea officia marito præſtat infirmo,quæ nec pater nec mater nec cognatus aliquis fortaſſe præſtare dignaretur.Rectè igitur Heſiodus in familiari dixit hæc tria eſſe neceſſaria, οἶκον μὲν πρώτιςα γυναῖκα τε βοῦν τ' ἀροτῆρα, id eſt, domum quidem primum fœminamq́; &*

*& bouem aratorem. & fœminam dicit emptã non uxorem: quanto magis utilis erit uxor? O miſerum Codrum, quia iam quinquagenarius eſt, & nondum domum quæ ſua ſit, nec fœminam, nec bouem habet aratorem. Voluptas duplex eſt animi & corporis. utraq; harum ex cõiugio copioſe percipitur. nam per Deum immortalem, quanta uoluptate putamus affiici ſapientem uirum cum primum è foro, è rebus publicis ſeu priuatis feſſus ſe domũ recipit, & ab uxore pulchra & hilari oſculo aliquo aut complexu excipitur, & dulci illius ſermone prandens ſeu cœnans recreatur. deinde cum in thorum genialem quieturus ingreditur: ubi illum uxor & oſculãdo, & coxam coxæ inſerendo ad opus Venereum ita excitauit, ut carmen illud Vergilianum dicere poſſumus, Placidumq; petiuit Coniugis infuſus gremio per membra ſoporem. Et quamuis uir ſapiens multis alijs uoluptatibus ingenij ſcilicet doctrinæ ac conſcientiæ ſuæ affici poſsit: non debet tamen hac naturali & ſuauiſsima ſe priuare: propter quam tanta gaudia, tam ſolennia feſta tanti apparatus, tanta conuiuia fiunt ac celebrãtur &: propter quam omnes agnati, omnes cognati, omnes affines ex omnibus locis conuocantur, conueniunt & congratulantur. Rerum aũt omnium ſuauiſsima libido eſt: cuius rei cauſam quæſiuit Ariſtoteles & optime in Problematis ſuis explicauit. Et Codrus cum iuuenis eſſet, quoſdam uerſiculos de rebus dulcibus compoſuit, ubi multis dulcibus enumeratis, libidinem omnes uoluptates ſuperare concluſit. Troiani ſenes, & Priamo aſſidentes cum uident Helenam turrim aſcendentem admirati eius ſpeciem, nónne inter ſe ſuſurrant apud Homerum uerba illa, οὐ νέμεσις τρῶας τε καὶ ἐυκνήμιδας ἀχαιοὺς τοίῃ δ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν αἰνῶς ἀθανατῇσι θεῇς εἰς ὦπα ἔοικεν: & Priamus qui eam odiſſe debuerat tanquam cauſam bellorum, nónne ad ſe eam uocat, & iuxta ſe ſedere facit, excuſans illam non eſſe malorum cauſam: nempe ut ex eo intelligatis nullum animal, nullum ſpectaculum pulchrius eſſe puella formoſa,*

& præſertim nuda: quales fuiſſe creduntur Iuno, Pallas & Venus, cũ in iudiciũ Paridis cõuenerunt: quales itẽ quinq; illæ uirgines fuerũt, quas Zeuſis delegit, cum imaginẽ Helenæ Crotoniatis pingere ſuſcepiſſet. Prætcrea qui nihil in hac uita diligit, nihil amat, fatuus eſt & inſenſibilis. Amor rebus omnibus ante it, amor omnes cibos condit, amor fel quod amarũ eſt, mel facit, amor hominẽ ex triſti lætũ concinnat. omnia deniq; ſuffert amor. Sapiens ergo quid amabit? pueros ne? at ſtratioticis fortaſſe cõcedetur & poëtis: ſed uiro ſapienti turpe & infame. Amabit ne equos, mulas, domos, prædia & huiuſmodi bruta & uilia? minime. Quid ergo? uxorem ſuam, conſortem ſuam, uitæ & fortunæ ſociam: quæ pro marito mori parata ſit, ut de Alceſtide legimus, ut de uxoribus Indicis intelligimus. quæ cum plures uni marito eſſent illo mortuo in certamen & iudiciũ ueniebant, quam maximẽ ex hijs maritus dilexiſſet, & uictrix gaudio exultans, rogo mariti ſe ſuperiacebat, ut cum eo feliciſsime cremaretur. At uoluptates has præſtare poterit concubina. uerum: ſed ad uxoris amorem & uoluptatẽ illa meretricia minime ſunt cõparanda. Meretrix non uirum, ſed pecunias diligit: uxor uero uitam & honorem tuum amat & cuſtodit. Honorificum præterea eſt uxorem habere, cum inde multa uiris effugiatur infamia. & qui uxores habent, multis in rebus priores potioresq; habeantur ac præponantur: ut in lege Iulia rectiſsime ſancitum eſt. Amplius & qui plures habent filios, aut eos in bello amiſerint, non habentibus præponuntur multarumq; rerum uacationem conſequuntur. Hi enim qui pro Repub. ceciderunt: ut dicit Imperator in perpetuũ per gloriam uiuere intelliguntur. Apud Laconas lex erat: eum qui tres filios genuiſſet, ἄφρουρον eſſe, id eſt, à cuſtodia urbis uacantem: & qui quatuor, ab omnibus immunẽ. Et apud Romanos nõ patres ſed & matres, quibus tres erãt liberi uacationẽ: q̃bus plures, libertatẽ quoq; cõſequebantur. Sed poſtquã de liberorũ mentionẽ fecimus, nónne filius q̃ matrimonij fructus eſt, illa tria iam à nobis propoſita patri præſtare poteſt: utilitatem

tem ſcilicet uoluptatē & honorē? Hæc certe uobis clariora ſunt, quā ut demōſtratione indigeāt. Sed filij ſæpenumero mali ſunt & patri rebelles. Vah ſæpe eodē reuolueris, nónne diximus nihil eſſe tam bonum in hac uita, ut aliquid mali in ſe mixtū nō habeat? Omittamus male educatos, male caſtigatos: de bene & libere nutritis loquamur. Filius ſapiens, oculus eſt patris, lætitia patris, anima patris: filius fortis, baculus eſt paternæ ſenectutis. Aegrotās pater ſiue auus & prope uitæ finē cōſtitutus filios & nepotes ſuos circūſtantes & conſolantes cernēs, ſibi mori nō uidetur. Videt enim quodāmodo per prolem ſuam ſe immortalē. Et ſi moritur, ut debet, animo æquo moritur à filijs, à nepotibus uocatus, ploratus, ad ſepulchrū comitatus & honoratus. Vultis'ne paternū amorē in filiū amorē cognoſcere? ſi quando accidit, ut filius ante patrē moriatur, cōſiderate & animaduertite, quibus ſuſpirijs, qua modeſtia, quibus lachrymis eum pater proſequatur. Dauid Rex filium fratricidā & rebellē mortuū accipiēs, nō potuit ſibi tēperare, quin alta uoce clamaret fili mi Abſalon, Abſolon fili mi: quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? Abſolon fili mi, fili mi Abſolon. Hector Priami filius filiū habuit nomine Scamandrū, quem Troiani ob ſingularē in Hectorē beneuolentiā Aſtyanacta uocauerunt: quaſi Regē Vrbis. hūc in excidio Troiæ mater Andromache celauerat, ut poſſet diſcedentibus Græcis ſupereſſe: ſed minis Vlyxis coacta fuit filij latebras reuelare: & euocās filiū hortatur illū, ut ſupplicet Vlyxi, & nō recordetur ſe eſſe filiū Hectoris, nō nepotē Priami. quoniā ita fortuna impotēs ferebat. Eam ergo ſic loquentē Seneca inducit, Huc è latebris procede tuis flebile matris furtū miſeræ, Hic puer, hic eſt terror Vlyxe mille carinis, ſummitte manus, dominiq; pedes ſupplice dextra ſtratus adora. nec turpe puta, qcquid miſeros Fortuna iubet. pone ex aīo Reges atauos, magniq; ſenis iura, per oēs inclyta terras. excitat Hector, gere captiuū: poſitoq; genu, ſi tua nōdū funera ſentis, matris fletus imitare tuæ. hic ſane maternus dolor incredibilē quendā erga filiū amorē declarat. Sed omittamus lugubria.

n ſi

*niſi uiri ſapientes uxores duxiſſent, nõ fuiſſent, ac non eſſent in terrarum orbe, tot excellentes Reges ac Principes, tot ſtrenuiſsimi milites, tot Imperatores, tot prudentiſsimi Medici, tot acutiſsimi Iureconſulti, tot experientiſsimi Medici, tot acutiſsimi Philoſophi ac Oratores, tot ingenioſi Poetæ. Et ut aliquid priuatim de noſtris dicamus: niſi uiri ſapientes uxores duxiſſent, non haberemus Antonium Chronicum oratorem Venetianum nos audientem, Qui mores. h.u. & .u. Niſi uiri ſapientes uxores duxiſſent, non haberemus Ioannem Bentiuolum ſecũdum Principem noſtrum iuſtiſsimum, non reliquos ſexdecim uiros & Decuriones & Senatores prudentiſsimos Bononienſes. Et niſi ipſe Princeps Bentiuolus uxorem duxiſſet, non haberemus Hannibalẽ filiũ eius & literis & armis inſtructiſsimũ. de quo illũ Homericũ uerſum, qui eſt de Agamẽnone ſcriptus, recte poſſumus proferre, ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής. Quem uerſum ſolebat Alexãder Magnus omnibus Homericis uerſibus præferre, quaſi ea duo in ipſo eſſent. q̃ quidẽ duo etiã Salluſtius in laudem Catilinæ deriuauit, cum dixit, Strenui militis & boni Imperatoris officia ſimul exequebatur. Non haberemus præterea Antonium Galeatium Archidiaconum Bononiẽſem honoratum, cuius ingenium, memoriam, inuentionẽ, pronunciationem nemo eruditus uir ſatis poteſt admirari: qui quicquid ualet, quicquid poteſt, amicis ualet, amicis poteſt: nihil ſibi habet, nihil ſibi ſeruat, omnia liberaliter amicorũ eſſe dicit, imitatus Hannibalem auum ſuum popularem uirum, & in ciues ſuos liberaliſsimum. Non haberemus item Alexandrum & Hermetem iuuenes pulcherrimos patris iam ueſtigia ſequentes, non tot nepotes Bentiuolos, nec tot neptes: quæ ſi opus eſſet, unam poſſent implere coloniam. hos ergo connubio debemus, & debere libentiſsimè fatemur. Debemus & illa uera legum lumina Iureconſultos, dico prudẽtiſsimos & ſanctiſsimos, quos Bononia literarum conſeruatrix habet, & habere lætatur. Debemus etiam connubio & Iuriſſapientibus multos Medicos, multos*

*Philoſo*

*Philoſophos, multos Poëtas & Oratores & Grãmaticos: qui nobis Hippocratem, Ariſtotelem, Homerum Ciceronem, Vergilium, Priſcianum referunt. Niſi forte ex ſtultis patribus naſci ſapientes filios; & ex ſapientibus ſtultos credimus: quemadmodum quidam philoſophus ſuis inſeruit problematis. quod nos hoc tempore nullo modo approbamus. Quantam ergo uoluptatem, quantum honorem, quantam utilitatem ex coniugio ceperint, ac capiant uiri ſapientes audiſtis: bene ergo Homerus.* ἀνδρὸς μὲν στέφανος παῖδες, πυργοὶ δὲ πόληος ἵπποι δ᾽ ἐν πεδίῳ κόσμος, νῆες δὲ θαλάσσης, *& reliqua. hoc eſt, Viri corona filij: turres aũt ciuitatis: equi autem campi ornamentum: naues uero maris. Quantam ſuauitatem, quantam lætitiam percipere putamus Bentiuolum Principem noſtrum cum ſe uxore caſta tot filijs, tot filiabus, tot nepotibus ac neptibus uidet coronatum? Certe de eo illud propheticum carmen dicere poſſumus, Vxor tua ſicut uitis abundans in lateribus domus tuæ, Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur Ioannes, qui timet dominum, Benedicat tibi Dominus ex Syon, uideas bona Bononiæ omnibus diebus uitæ tuæ: & uideas filios filiorum tuorum, pax ſuper Bononiẽſem. Pluribus alijs argumẽtationibus propoſitum noſtrum poſſemus approbare. Verum ne longum faciamus, duabus duorum maximorũ poëtarum autoritatibus huic rei finẽ imponemus. Ouidius Naſo Myrrham induxit amare patrem, & in illa uerba prorupere, O dixi felicem coniuge matrem. Felicem appellauit matrem Myrrha, quod talem haberet coniugem, qualem ipſa concupiſcebat. Et Vergilius, Didonẽ Reginam deſperantem, propter Aeneæ diſceſſum lamentantem facit illa ingemiſcere, Non licuit thalami expertem ſine crimine uitam Degere more feræ? Vitam ferinam indicauit Regina, uiuere ſine matrimonio. O Codrũ infelicẽ, qui ſine uxore uitam degit ferinam. Ego uiri Ornatiſsimi, ut de me aliquid in hoc mei ſermonis fine dicam, eram ſatis egregiæ naturæ & fortunæ bonis dotatus. Viguit*

*& adhuc uiget ingenium, uiget memoria, oculi acuti, inteſtina ſana, ſine uitio ſunt, ſine morbo, artus mei ualidi: non egeo amicis, non libris, nõ pecuniolis, ad quinquageſimũ annum perueni, ad quem multi cõtemperanei mei non puenere. felix eſſem niſi liberi nõ deeſſent. O ſi quis mihi paruulus aula luderet Aeneas. Qui me tantum ore referret Cui ciſtam, & Græcos poſſem legare libellos, Non omnino mihi deſertus inopsq; uiderer. Sed quid mihi filios deeſſe queror? cum plurimos in multis Italiæ ciuitatibus diſcipulos habuerim, & hic nunc habeã, qui me parentis loco amant, colũt & obſeruant: qui me mortuum efferrent, dolerent ac plorarent, non aliter quam Achilles Chironem Centaurũ altorem ſuũ ac præceptorẽ. Hæc fere ſunt quæ pro cõiugio dicta accepi. Inſurgunt adhuc aduerſantes, ut quæ dicta ſunt, refellant. Sed quoniã longum adeò eſſet, eorũ iurgia & cõtentiones referre, uideamus ſi quod iudiciũ ſuper his ſtatuere poſſimus. Et quamuis difficile ſit recte iudicare, tamen ſic pronũciabimus, Virũ ſapientẽ, ſi ſenior, ſi ualetudinarius, ſi pauper ſit, ducẽda uxore abſtinere debere. At ſi ualidus ſit iuuenis & diues, quin ille uxorem ducat, nulla mihi cauſa eſſe uidetur. Ceterũ ſi ducenda ſit uxor, qua ætate tempeſtiua ſit, & qua uir, nunc definiamus. Heſiodus poëta ſapientiſſimus cum tempeſtiuũ eſſe uirum dicit, qui paulo intra trigeſimũ ſit annũ, uel non multũ ſuperet: Fœminã uero quæ quintumdecimũ nata ſit annũ παρθενικὴν δὲ γαμεῖν ὡς ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς. Suadet etiam ut uirginem ducas, ut mores honeſtos doceas. Ariſtoteles uero in Politicis libris ſcribit puellã cõnubio aptam, cũ octo & decẽ annos impleuerit: uirũ aũt cũ ſeptem & triginta uel circiter. tunc enim utriuſq; perfecta ſunt corpora, & ad filiorum perfectam procreationẽ cõuenientia. Puerorum aũt & ſeniorum coitus φαῦλος, id eſt, prauus πρὸς τὴν τεκνοποιίαν, id eſt, ad filiorũ procreationẽ eſt: & parui naſcũtur filij: & multæ puellæ dolore pereunt & lædentur, etiam ſponſi iuuenes coëuntes in corporis augumento, dicit idem Ariſtoteles. Tempus uero anni fœturæ aptum, bene multi, eodẽ autore, hyemem determinauerunt. quo tem*

Judicium aut. circa matrimonium

*pore ego conceptus fui. Nam poſtridie Iduum Auguſti natus ſum. Quare fit ut cum auguſtalis ſim, auguſtales quodammodo diligere allicear ac cogar. Romani etiam quoſdam dies infelices nuptis obſeruabant. Menſe malum Maio nubere uulgus ait. ut ſcripſit Ouidius. Quoniam quæ nupſit, non diurturna fuit: ſubiũgit deinde Ariſtoteles, oportere prægnantes curare corpora. hoc eſt, ut non deſides ſint. non utantur tenui cibo: ſed quotidie aliquid iter faciant, & quædã alia huic rei cõferentia. Verum illud non placet, quod dicit,* περὶ δὲ ἀποθέσεως καὶ τροφῆς τῶν γινομένων ἔσω νόμος μηδὲν πεπηρωμένον τρέφειν, *id eſt, quod hæc ſit lex de educatione genitorum nullum mutilatum ſeu mancum eſſe nutriendum. hoc eſt, qui cæcus natus ſit uel claudus, uel alio modo blæſus, non nutriatur. Et quod ſequitur peius eſt. dicit enim, ſi nimis fœcunda ſit uxor, cum prægnans eſt, antequam ſentiat & uiuat fœtus, facienda eſſe* τὴν ἀμβλώσιν, *id eſt, abortionem. Inhumanum certe hoc eſt, & à religione noſtra deteſtatum. Natus uero puer lacte matris, ſi fieri poteſt, nutriendus eſt, quod & Philoſophi & Medici præcipiunt: ſed uiuendum ne coloſtrum ſit, & infantes faciat coloſtratos. Sin minus, nutrici bonæ habitudinis & bene moratæ tradendus eſt. ſæpe enim lactis alimentum mores ſecum uehit & imprimit: ſed illud cuſtodiendum, ne nutrix coëat. coitu enim menſes excitantur, & illa concipit: & ſanguinis bonitas in fœtu conſumitur, lacq́; corrumpitur: quod puero lactenti maximum affert nocumentum. Aſſuefaciendus eſt preterea, dum tener eſt, frigoribus: & hoc utile erit & ad ſanitatem, ut ſcribit Philoſophus, & ad res bellicas obeundas. quod ſolebant antiqui Auſones facere, ut ſciuit Maro, Natos ad flumina primũ, Deferimus ſæuoq́; gelu duramus & undis. Circa uero quintũ ætatis annũ tradẽdus eſt diſciplinis. Erant autem quatuor quæ ſolebant antiqui pueri diſcere, literæ, lucta, muſica, & protractiua ſiue ars pingendi. Grammaticam & protractiuam diſcebant, tanquam ualde utiles & uitæ humanæ ualde*

*bonas: luctatiuam, tanquam cõferentem ad fortitudinem: muſica uero, dubium an propter uoluptatem, ut nunc multi, an ne turpiter in ocio manerent. De tempore uero fricandi pueros, & quomodo fricandi ſunt, & ubi fricandi, non dico in præſentia: quoniam hic mos noſtra tempeſtate, ut credo, exoleuit. Si quis tamen ſciendi cupidus aliquid ſuper hac re noſſe quæritat, Galeni libros inuiſitat, qui de regimine ſanitatis ſunt inſcripti. Itẽ & Corneliũ Celſum: qui de frictione ſcribens ex autoritate Hippocratis dicit: frictione ſi uehemens ſit, durari corpus: ſi lenis, molliri: ſi multa, minui: ſi modica, impleri. quod & à Plino in. 18. libro fuit repetitum. Sed & hæc & alia id genus multa omitto, quæ à Plutarcho iam audictis: & ea ſi ſeruaueritis, filios habebitis honeſtiſsimos & fauorabiles. Et ne de connubio queri eo nomine, quod malos produxerit filios, poteritis. Verum quoniam hæc præcepta, neſcio quo pacto, in deſuetudinem abierunt, non mirum putandum eſt, ſi nec nos nec pueri noſtri ſimiles illis ſunt, quos priſca ætas habuit & inſtruxit. Nam Perſæ, ut ſcribit Xenophon in Pædia Cyri, filios ſuos non ſolum iuſtitiam & temperantiam, & maiorum obedientiam, & uenationem docebant: ſed in alijs rebus diæta tam caſtigata utebantur, ut turpe fuerit etiam tũc Perſis τὸ ἀποπτύειν, id eſt, expuere καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι, id eſt, emungere naſum καὶ τὸ φύσης μεστοὺς φαίνεσθαι, id eſt, uentoſitatis plenum uideri αἰσχρὸν δὲ ἔτι καὶ τὸ ἰόντα που φανερὸν γενέσθαι ἢ τοῦ οὐρῆσαι ἕνεκα ἢ καὶ ἄλλου τινὸς τοιούτου, id eſt, turpe etiam hoc, aliquem cerni ſecedere uel urinæ uel alterius huiuſmodi rei cauſa. Noſtri uero pueri & ſpuunt, palam eructãt, & perdunt, & publicè mingunt. ſine ulla maiorum reuerentia. Germani, ut Cæſar in Cõmentarijs memoriæ mandauit, annum. 20. fœminæ noticiam habuiſſe in turpiſsimimis habebant rebus: noſtri pueri non dico intra. 20. annum, ſed intra decimum ſciunt turpia, dicũt turpia, faciunt turpia. Apud ueteres Romanos ſenectus in magno honore habebatur. Putabãt enim illi priſci ciues illum morte dignũ,*

qui

*qui ſeniorem non honoraſſet.ut Satyricus poëta ſcribit, Credebant hoc grande nephas & morte piandũ Si iuuenis uetulo nõ aſſurrexerat: & ſi Barbaro cuicunq; puer. At ille iuuenis diues eſt, iſte ſenior pauper. quid tunc? audi Iuuenalẽ, Licet ille uideret Plura domi farra atq; ingẽtes glandis aceruos: Tã uenerabile erat præcedere quatuor annis, Primaq; par adcò ſacræ lanugo ſenectæ. Noſtrorum adoleſcentium plærīq;, nec patres, nec maiores obſeruant, imò & inuenti ſunt, qui audent uerberare præceptores. O turpe factum, ô magnum nephas. Vnde hoc fiat an præceptorum, an parentum culpa, non habeo dicere. Omnino illud Iuuenalis uerum eſt, Plurima ſunt Fuſcine & fama digna ſiniſtra Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus: Quæ monſtrant ipſi pueris traduntq; parẽtes. Tu ergo pater ſi uis eſſe bonus pater, & boni filí pater, ſequere Plinij ad Corneliam Hiſpulam ſuper filio conſilium. Proinde fauentibus Dijs, dicit Plinius, trade eum præceptori, à quo mores primũ, mox eloquẽtiam diſcat, quæ male ſine moribus diſcitur. Vos ergo adoleſcentes egregij, qui uerba mea ſumma attentione auditis, hortor & moneo, ut reiecta ſocordia, reiectis, detis operam literarum ſtudijs, & præcipuè literas Græcas amplectamini. De quarũ utilitate & uoluptate, tot ac tanta ſunt à me ſuperioribus annis expoſita, ut ea nunc repetere ſuperuacaneũ ſit. Præterea uos manifeſto uidetis, nec Leges, nec Medicinã, nec Philoſophiam, nec Aſtrologiam, nec ullum Poëtam, nec ullum Oratorem, nec Grãmaticum, non denique ullam liberalem artem ſine literis Græcis recte percipi poſſe: nec ullum uere doctum, uere eruditum dici poſſe, qui literas Græcas non hauſerit, & non ſimpliciter, ſed uſq; ad extremam ſatietatem hauſerit. Et ego quidem in huius mei ſermonis fine, quoſdam Vergilianos uerſus, qui ſunt in agricolæ doctrinam traditi recitabo, Vos autem in ueſtram adhorationem allegoricè dictos eſſe cogitatote, Quod niſi & aſſiduis terram inſectabere raſtris: Et ſonitu terræ bis aues & ruris opaci Falce premes umbrã uotiſq; uocaueris imbrẽ*

*Heu magnum alterius fruſtra ſpectabis aceruũ Concuſſaq́; fa- mem in ſiluis ſolabere quercu.*

## ANTONII CODRI VRCEI SERmo Quintus, habitus in laudẽ Ariſtotelis.

*De pulchriore materia & excelleniore ſcriptore, qui in rerum natura fuerint, ſint, ac futuri ſint, locuturus ſum hodie Præſtanitiſsimi uiri, ſi mihi mediocris ingenij Grammatico per æquanimitatem atque ſilentium ueſtrum licuerit. Nam cum decem Ariſtotelis Elementa hoc anno interpretaturus ſim, & Ariſtoteles ipſe non Philoſophus tantum, ſed Philoſophorum princeps ſit & habeatur: & ipſe & ipſius exercitium ſuis laudibus à me fraudari non debent. Si enim ſuperioribus annis cum Priſcianum exponere decreuiſſem, Grammaticam: cum Theocritum, uitam paſtoriciam: cum Heſiodum, agriculationem: cum Homerum, poëticam artem cum autoribus ſuis commendaui: nunc Ariſtotelis lectionẽ profeſſurus, & ipſum & eius artem merito debeo commendare. Et quamuis nec natura nec ſtudio tanta tantóue ingenio præditus ſim, ut ſumptæ prouinciæ reſpondere ualeam: tamen ſpero ſermonem meum uobis non iniocundum fore: quoniam nihil ficti, nihil falſi, ſed omnia uera, omnia pura ac ſimplicia uobis ſum expoſiturus. Mendacium etenim eloquentia dictisq́; phaleratis indiget, ſi ſe mẽtibus hominũ uelit inſinuare. Veritas aũt nõ quærit fucũ, non pigmenta, nõ cincinos: ſed ut ſcribit Euripides in Phœniſsis, ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ, id eſt, ſimplex ſermo ueritatis exiſtit: & Aeſchylus in Prometheo, νόσημα γὰρ αἴχιστον εἶναι φημὶ συνθετοὺς λόγους, id eſt, malũ enim turpiſsimũ eſſe dico compoſitos ſermones. Quare ergo cũ Mario Saluſtiano dicere poſſum: nõ ſunt cõpoſita uerba mea, parũ id curo, dũmodo uos uiri Præſtan-*

tiſsimi

tiſsimi me lubẽti animo audiatis. ille quẽ interpretaturus ſum pro me
aureũ eloquẽtiæ flumen uobis effundet. Iam diſtinguamus lectionẽ
noſtrã, ut facilius ea quæ dicturi ſumus intelligãtur. De Philoſophia
& Ariſtotele, ut paulo ante præfati ſumus, ſermo nobis habendus
eſt. Loquemur ergo primũ, σοφία & unde dicta, & quot modis a-
pud antiquos ſumebatur σοφὸς, id eſt, ſapiẽs, & quo tẽpore ſiue à
quo philoſophi cœpti ſunt nominari. Itẽ quid ſit, quæ poſtea dicta
eſt philoſophia, & q̃ eius partes, & quãtæ ſit excellẽtiæ. Deinde uitã
Ariſtotelis & doctrinæ illius præſtantiam ſummatim colligemus, ut
his auditis q ſolerti ingenio pollẽt, abiectis nugis ſapere incipiãt, &
illũ amplecti quẽ natura & induſtria fecit ſapientiſsimũ. σοφία igi
tur eſt ſciẽtia & intellectus rerum natura pretioſiſsimarũ. unde &
Anaxagorã & Talẽ σοφοὺς, id eſt, ſapiẽtes fuiſſe dixit Antiquitas.
Simpliciter tamẽ ſophia eſt ſaphia quædã, id eſt, claritas cuncta ma
nifeſtãs. σαφὴς enim Græce manifeſtus dicitur: uel dicta eſt σοφία,
ἀπὸ τοῦ σέβειν, id eſt, à colẽdo, litera media in craſſam Macedonum
more, mutata, quaſi ueneratione digna. Sapiens aũt quinq; modis a-
pud priſcos dicebatur, quos ut intelligatis, ſcire oportet, homines
aliquãdo peſtilẽtia deficere, aliquãdo alijs morbis, nonnunquã cæde
aliorũ hominũ, maxime uero diluuio: quale fuiſſe Deucalonis tẽpori
bus etiã Aſtrologi cõfitentur. Quo quidẽ diluuio cũ cãpi ſummerſi eſ
ſent. ſola montium capita imbribus ſuperfuerunt, ad quæ multi poſt-
quam confugiſſent, ſeruati ſunt, & deficientibus cibarijs, cœpe-
runt excogitare, frumenta ad ſerendum, molas ad molendum & a-
lia uitæ neceſſaria. hæc ſapientia dicta eſt ex neceſsitate ſumpta.
Altera eſt ſapientia in artibus. unde Archilochus poëta κυβερνή-
την σοφὸν appellat: & Homerus τέκτονα, id eſt, fabrum, qui
uel fabrilem, uel materiariam, uel aliam callet artem. Rurſus cœ-
perunt homines reſpicere ad res politicas, id eſt, ciuiles & le-
ges condiderunt, huiuſmodi conſideratio ſapientia dicta eſt: &
etiam num ſapientiſsimos appellamus Iureconſultos. poſt hæc

proceſſe-

*proceſſerunt ad ipſa corpora, & natura horum inuenerunt, exercentes naturalem ſpeculationem. Poſtremo ad diuina & ſempiterna cucurrerunt, quæ ſemper eadem ſunt, & eodem modo ſe habēt: & hanc quoq; ſapientiam nominauerunt, Sciendum tamen eſt quod ante Pythagoram hæ quinq; ſpecies ſub nomine ſophiæ comprehendebantur, ut paulo ante inſinuauimus: poſt Pythagoram uero reſtrictum nomen eſt ad eā tantum cognitionem eorum, quæ ſub quinto modo continentur: qualia præcipuè ſunt mathematica. & ſophi, id eſt, ſapientes harum rerum ſpeculatores dicebantur. Primus autem Pythagoras ſe philoſophum appellitauit, ſapientis nomen tāquam Deo conueniens, & ab alijs præterea occupatum recuſans. Nam cū ad Olympicū certamen deſcēdiſſet rogatus à Leonte Phlyaſiorum Tyranno, quo nam cognomine cenſeretur, & an eſſet σοφὸς: reſpōdit οὐκ ἐγώ εἰμι σοφὸς, ἀλλὰ φιλόσοφος. quod nomen antea inauditū & philoſophiæ & philoſophantibus nomen dedit immortale. Nunc uideamus quid ſit quæ poſtea dicta eſt Philóſopia, Philoſophiæ definitones multas eſſe comperio: ex ſubiecto duas, ex fine duas, ex præſtantia unam, & ex ethymologia unam. Pythagoras quidem ſic definiuit, φιλοσοφία ἐστὶ γνῶσις τῶν ὄντων ᾗ ὄντα ἐστί, id eſt, philoſophia eſt cognitio exiſtentium quatenus exiſtentia ſunt. Non enim Philoſophus proponit, omnes qui in orbe terrarum ſunt homines numero cognoſcere: ſed tantum quæ ſit hominis natura. Cuiuslibet ergo rei ſubſtantiam generalem conſiderare debet philoſophus non indiuiduam. Plato uero ſic, φιλοσοφία ἐστὶ γνῶσις θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. id eſt, cognitio diuinarum & humanarum rerum. qui finis quamuis diminutus uideatur, propterea quod philoſophus non tantūm humana diuináq; negocia, ſed etiam plātarum brutorumq; naturam perquirit. tamen appellatione humanorū, omnia mortalia intelligere poſſumus: ſicut appellatione diuinorum omnes res æternas comprehendimus. unde & poëta Iouem patrem hominum & Deorū uocat, hoc eſt omnium*

*rerum*

verum. Idem Plato in Phædone philoſophiam ſcribit eſſe, ὁμοίωσιν θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ, id eſt, ſimilitudinem Deo ſecundum quod fieri poteſt homini. Deus enim duas habet operationes, unam intellectiuam, quæ omnia cognoſcit ac intelligit. quare Homerus θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασιν, id eſt, Dei omnia ſciunt: alteram prouiſoriam, qua inferiora omnia quæ in mundo ſunt, gubernat & diſponit, ſicut poëtæ dicunt. θεοὶ δωτῆρες ἐάων, id eſt, Dei datores bonorũ. Has diuinas operationes etiam philoſophi uolunt imitari. nam & circa uniuerſa ſpeculantur, & in rebus publicis iudicant, & leges ſtatuunt. Idcirco Plato dicere ſolebat felices fore reſpub. ſi eas philoſophi regerent: uel qui regerent, philoſophiæ ſtudere contigiſſet. Additũ eſt aũt definitioni, Secundum quod fieri poteſt. quoniam dei & hominis ſubſtantiæ differentes ſunt. quemadmodum homo brutis perfectior eſt: ita & Deus homine perfectior & melior eſſe cognoſcitur. Alia eſt eiuſdem Platonis definitio ex fine, quæ ſic habet, φιλοσοφία ἐστὶ μελέτη θανάτου, id eſt, meditatio mortis. hoc aũt intelligendum eſt non ea modo quo Cleombrotus Ambraciota, qui cum ei nihil accidiſſet aduerſi, è muro ſe in mare abiecit, lecto Platonis de Anima libro, ut eleganter Callimachus tetraſticho deſcripſit. quod quidem tetraſtichon ne pereat, ſicut perijt autor, hic uolui inſerere, εἴπας ἥλιε χαῖρε κλεόμβροτος ἀμβρακιώτης ἥλατ᾽ ἀφ᾽ ὑψηλοῦ τείχεος εἰς ἀίδην, ἄξιον οὔτι παθὼν θανάτου κακὸν, ἀλλὰ πλάτωνος ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμματα λεξάμενος. quod Ouidius in Ibim ſtrictim ſtranſtulit cum dixit, Vel de præcipiti uenias in Tartara ſaxo. ut qui Socraticum de nece legit opus. Verum meditationem mortis intelligimus ſeparationem animæ à corporeis cupiditatibus & paſſionibus, quas docente philoſophia anima adhuc in corpore exiſtens cõtemnit, & à ſe repellit. Mori ergo dupliciter homini contingit, & cum hoc facit, quod nuper dixi: & cum anima corpus relinquit lege naturæ ſolutum. hanc mortem uetat Plato uel inferri uel accerſi:

*illam uero appetendam à ſapientibus inſinuat. Diuus tamen Hieronymus hanc definitionem ad illud Perſianum uidetur referre, Viue memor læti. ubi multa dicit, q̃ quantũ Platonicæ ſententiæ quadrẽt, uos uideritis. Eſt & alius philoſophiæ finis ex præſtantia ipſius ad alias ſcientias & artes ab Ariſtotele datus, & eſt huiuſmodi, φιλοσοφία ἐστὶ τέχνη τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν, id eſt, Philoſophia eſt ars artium & ſcientia ſcientiarum: & uere quidem. nam philoſophia uniuerſalia cõſiderans, omnibus ſciẽtijs & artibus principia tribuit atq; ſuppeditat: ut Geometriæ, Muſicæ, Aſtrologiæ, Medicinæ, Grãmaticæ, Rhetoricæ & alijs. Exẽpla breuitatis cauſa, & ut in re clara ponere ſuperſedeo. Secundum Pythagoram eſt etiam definitio philoſophiæ ex etymologia. φιλοσοφία ἐστὶ φιλία σοφίας, id eſt, ſtudium ſapientiæ, hoc eſt Dei: quem ſolum ſapientem eſſe Pythagoras ſemper dictitauit: Medici quoq; argutè potius quã uere philoſophiam ſic terminauerunt: Medicina eſt Philoſophia corporum: Philoſophia uero eſt medicina animarum. Sed quoniam hæc definitio uiciſſaria & mutua eſt, idcirco à philoſophis repudianda. Plato addidit octauam in Theæteto. dicit enim philoſophiam eſſe μεγίστην μουσικὴν, id eſt, maximam Muſicam. Muſicã autem non chordas, ſed partes animæ, hoc eſt rationem, animoſitatem, & concupiſcentiam, nec non. M. Cicero philoſophus & Orator Latinus eloquentiſſimus oratorie potius philoſophice ſic eam prima Tuſculana deſcripſit. Philoſophia uero omnium mater artium quid eſt aliud, niſi ut Plato ait, donum: ut ego, inuẽtum Deorum? hæc nos primo ad illorum cultum, deinde ad ius hominum. quod ſitum eſt in generis humani ſocietate, tum ad modeſtiam magnitudinemq; animi erudiuit, eademq; ab animo tanquam ab oculis caliginẽ diſpulit, ut omnia ſupera, infera, prima, ultima, media uideremus. Iam patere arbitror, quid ſit philoſophia: nũc uideamus eius partes. has treis aliqui fecere: Phyſicam, Ethicam, Logicam ſeu Dialecticam. Et ſub Ethica poſuerunt Monaſticam, Oeconomicam & Politicam.*

*dixeruntq;*

dixeruntq́; Ethitces ſectas eſſe decem uel à locis, uel ab earum principibus autoribus, uel ab alia re nomen habentes: Academicam à Platone, Cyrenaicam ab Ariſtippo, Elienſem à Phædone, Megaricam ab Euclide, Cynicam ab Antiſthene, Erythreicam ab Menedemo, Dialecticam à Clitomacho, Peripateticam ab Ariſtotele, Stoicam à Zenone Cittiëo, Epicureã ab Epicuro. Sed Peripatetici aliter diuiſerunt. ut ſcilicet primæ partes duæ eſſent θεωρητικὴ, id eſt, ſpeculatiua: & πρακτικὴ, id eſt, actiua. & ſub Theoretica quidem, cuius ſubiectum eſt ueritas uel mendacium, & finis ſolum uerum. poſuerunt Phyſicam, Mathematicam & Theologicam. Sub Mathematica, quæ habet mathemata congruenter demonſtrabilia & certa, poſuerunt: Arithmeticam, Muſicam, Geometriam & Aſtronomiam. Sub Practica uero, cuius ſubiectum eſt bonum uel malum & finis ſolum eſt bonum, poſuerunt Ethicã, Oeconomicam & Politicam: ſub Oeconomica & Politica ſunt aliæ partes, quas Ariſtotelicorum librorum ſtudioſi facile poterunt annotare. De excellentia philoſophiæ reſtat diſſerere. In qua quidem parte ſi uellem mihi & uobis ſatisfacere, opus eſſet euoluere & recitare decem libros, quos de philoſophia ſcripſit Ariſtoteles: item omnes Ciceronis Academicos & alios philoſophicos eius dialogos: præterea Senecæ libros Naturalium quæſtionum, illiuſq́ue omneis ad Lucilium epiſtolas, ut intelligeretis Philoſophiam eſſe illam, quæ cognitis rebus humanis, faciat uos diuina cognoſcere: naturam ſcilicet omnium terreſtrium, aquaticorum, aëriorum, cœleſtium, immortalitatem animæ, æternitatem Dei. Præterea quæ faciat nos nihil timere præter culpam, non famem, non ſitim, non paupertatem, non dolores corporis, non mortem. ἀργαλέον δὲ μετ' αὐτὰ θέωνος πάντ' ἀγορεῖν. Quod Lucretius quoque, quodammodo fieri non poſſe oſtendit eo libro: quo in laudem philoſophiæ aſſeuerat, plus hominibus profuiſſe eos qui ſapientiã inuenerint, q̃

*Cererem, quæ fruges repperit: quam Bacchum, qui uina: quam Her
culem, qui mõſtris orbem terrarum liberauit. Hoc loco poſtquam Lu
cretij mentionem feci, libet cõtemnere quæſtionem quandã, quæ in
ter eruditos uerſari ſolet, qui hominũ primi ſapientiam inuenerunt.
alij hoc ad Perſas referũt, apud quos fuerunt ſapientes, qui lingua
eorum Magi dicti ſunt: alij ad Indos, apud quos fuerunt Gymnoſo
phiſtæ: alij ad Celtas, apud quos fuerunt Dreuides, & qui Semno-
thei appellati ſunt. Non deſunt, qui hãc laudem Aegyptijs tribuant.
Lucretius hanc inuentionem non hominibus, ſed deo immortali attri
buit. Deus ille fuit Deus inclyte Memmi, Qui princeps uitæ ratio
nem inuenit eam, quæ, Nunc appelletur ſapientia, quiq́; per artem
Fluctibus è tantis uitam, tantisq́; tenebris In tam tranquillo, &
tam clara luce locauit. & prudenter quidem, nam ſi omne bonum à
Deo eſt, ut Theologi noſtri & Poëtæ cõfitentur, Philoſophiam quæ
eſt bonum ſuper alia bona, meritò ab immortali Deo duxiſſe origi-
nem credendum eſt. Et ut quod prius dicere cœperamus, paucis uer
bis cõcludamus, uno tantum Ciceronis ellogio contenti ſimus. Sic igi
tur quinta Tuſculana Cicero philoſophiam ſuauiſſimè alloquitur, O
uitæ philoſophia dux, ô uirtutum indagatrix expultrixq́; uitiorum:
quid non modo nos, ſed omnino uita hominum ſine te eſſe potuiſſet?
Tu urbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem uitæ cõuoca
ſti, tu eos inter ſe primo domicilijs deinde cõiugijs tum literarum &
uocum cõmunione iunxiſti, tu inuentrix legum, tu magiſtra morũ &
diſciplina fuiſti. ad te confugimus, à te opẽ petimus. tibi nos ut antea
magna ex parte, ſic nunc penitus, totosq́; tradimus. Eſt aũt unus die-
es bene & ex præceptis tuis actus, peccanti immortalitati antepo-
nendus. Intellexiſtiśne uiri Præſtantiſsimi, quemadmodũ Cicero di-
cit, ſe malle ſolum diem philoſophiæ uiuere quam peccare & eſſe
immortalem? ô miram philoſophiæ præſtantiã. Subiungitur deinde.
Cuius ergo alijs opibus utamur quam tuis: quæ uitæ tranquillitatem
nobis largita es, & terrorem mortis ſuſtuliſti. O maximũ philoſo-*

phiæ beneficium, quod nec diuitiæ, nec honores, nec ulla dynaſtea, nec alia uis humana præſtare poteſt, ſola philoſophia facile benigneq; largitur. Quare non mirum eſt, ſi Diogenes, ſi Democritus multiq; alij prſtæantes & opulenti uiri res domeſticas abiecerũt, & uniuerſis uoluptatibus renunciauerunt, ut trãquillitatem uitæ qua nihil ſuauius ſine timore mortis, qua nihil terribilius cõſequerentur. Et quoniam Ciceronis ætate non deerant indocti, qui philoſophiam uituperarent, quod etiam poſt ipſum accidit (unde ſæpenumero philoſophos Vrbe & Italia pulſos legimus) hos coarguendo ſubnectit Cicero: uituperare quiſquam uitæ parentem, & hoc parricidio ſe inquinare audet: & tam impie ingratus eſſe, ut eam accuſet, qua uereri deberet, etiamſi minus percipere poſſet? Sed de philoloſophia hactenus. non enim perinde ut merita eſt de hominũ uita, ſatis unquã laudare poſſemus. Reſtat pars laboris noſtri minor & leuior, ut ſcilicet de Ariſtotele loquamur. Pauca quidẽ dicemus, ſed cognitu pulcherrima, & à uobis fortaſſe nũquam audita. non enim omnia, quæ dicit de tanto ingenio, tantoq; Oratore ac Philoſopho poſſent nunc cõprehendere in animo eſt. quod ſi facere uellemus, opus eſſet, ut ab inferis Carneades in auxiliũ noſtrum ſuſcitaretur, aut ipſe fons eloquentiæ Ariſtoteles. Præterea auditorum habenda eſt ratio, ne ultra horæ ſpacium detineantur, & præcipuè tibi Codre, qui neſcio quid tecum graue cornicaris inepte. hi prudentiſsimi Iureconſulti, qui lectionem tuam cõſpectu ſuo honeſtare dignati ſunt, à cõſultoribus ſuis expectãtur: Medici ab ægrotis, Pædagogi ab alumnis. rem igitur paucis expedias. Ita faciam: attendite æquo animo. citius profecero, quam me cœpiſſe percipiatis. Ariſtoteles iſte, quem philoſophum ſummum & ſcriptorem eloquentiſsimum & doctiſsimum totus mundus extollit, ac pene adorat (fuerunt enim & alij hoc nomine docti uiri) natus fuit patre Nicomacho, artis medicinæ peritiſsimo, & Amyntæ Macedonũ Regi chariſsimo, Stagiris loco Thraciæ alioquin uili, niſi nomine Ariſtotelis illuſtratus eſſet: eo anno, q̃ fuit

*poſt recuperatā à Gallis Vrbem ſeptimus in Macedonia: prima ætate educatus adoleſcēs Athenis liberales diſciplinas doctus, & in philoſophia 20. annis Platonis diſcipulus. Fuit in eo tanta ingenij acrimonia, tanta ſtudendi ſedulitas, ut nullū doctrinæ genus reliquerit quod non tentauerit: nullum tentatum fuerit, quod non optimè didicerit, & melius inueniendo, componendo, diſputando reddiderit. præter enim Dialecticas diſciplinas & Mathematicas & Phyſicas, quibus præcipue excelluit, calluit Poëticam, Oratoriam, & Medicinam, calluit Anatomicen non tantum uirorum & fœminarum: ſed quadrupedum, piſcium, auium inſectorum & omnium animantium. Quod declarant præclara illius quinquaginta de Animalibus uolumina, quorum pauca quædam uix nunc extant. Quare Plinius Secundus illum ſummum in omni ſcientia uirum appellare non dubitauit. præceptor fuit Alexandri Philippi Regis, quem Poëtices & Phyſices doctrina reddidit cumulatum propter quod multo magis ſe illi debere Alexander profitebatur, quàm Philippo patri. Cum uero Alexander in Aſiam acum exercitu profectus eſſet Ariſtoteles Athenas redijt, & in Lyceo docere cœpit, more ſuo inambulans, unde ab eo Peripatetici, id eſt, deambulatiui philoſophi dicti ſunt. Solebat autem & mane & ueſperi ſe exercere, ut mane quidem legeret libros, quos appellabat ἀκροαματικούς, id eſt, aſcultatorios: in quibus philoſophia remotior ſublimiorquė agitabatur. Veſperi uero, quos uocabat ἐξωτερικούς, id eſt, extrarios, & hi ad Rhetorices ciuiliumquė rerum noticiam conducebant. Dogma eius de ſummo bono fuit, felicitas: Felicitatem uero conſtare dicebat ex bonis animi, corporis, & rerum externarum. Animo & rebus externis ſatis felix fuit, corpore non uſquequaque. nam exilia habuit crura, & paruos oculos. Quod nobis magno poteſt eſſe documento, in natura nihil reperiri perfectiſſimum: quocirca bene Poëtarū Poëta cātauit, ἀλλ᾽ οὔπως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισι. ſed nullo modo ſimul omnia Dei dederūt hominibus*

*bus*

*bus. Verũ in Ariſtotele minima eius doctrinæ pars omnes corporis
uel maximas deformitates obſcurare poſſet. Sed hæc prætereamus.
Philoſophi enim eſt animũ curare, nõ corpus, cum uero tredecim an=
nis Ariſtoteles Athenis docuiſſet, illic in Chalcidem Euboæ urbem di
ſceſſit, accuſatus quod male de alijs ſentiret: & illic quoq; multos ha
buit auditores præcipuè Tirtamũ cui propter diuinã eloquentiã The
ophraſti nomen impoſuit, ad quem omnis eius ſectatorũ cohors ipſo
uita functo cõceſſit. Perijt aũt ſecundũ aliquos, naturæ morbo: ſecun
dum alios, malo ueneno, annos natus ferè treis & ſexaginta. quos
Latini ſcanſiles, Græci κλιμακτῆρας appellant. ſecundũ alios, ad
ſeptuageſimũ uitæ annũ peruenit. Mirum eſt, quod alij de cauſa eius
mortis referũt, illum ſcilicet naturã Euripi ſepties in die fluxũ mutã
tis admiratum, nec cauſam cur id fieret inuenientem ex mœrore in
morbum, ex quo non conualuerit incidiſſe. Quod abſonum à uero
non uidetur, quoniam ingentes cogitationes corporibus affectis &
magnis ingenijs ſæpenumero mortem afferũt: ut de morte Homeri
memoriæ proditum eſt. De præſtantia Ariſtotelis, quamuis in hac
oratione multa paſſim dicta ſint, tamen hic ſeparatim aliqua diſſe=
renda ſunt: ut hi adoleſcentes egregij, audita tanti uiri dignitate
& excellentia, excitentur ad meliora, & tales ſi fieri poſſit eſſe ni=
tãtur. Scitis Prudẽtiſſimi uiri eã eſſe uerã laudẽ, q̃ à laudato uiro profi
ciſcitur: ſi uellẽ hoc tẽpore cõmemorare, quot & quanti ſcriptores
tã Græci quã Latini Ariſtotelẽ cũ honeſta præfatione nominauerint,
nimis noſtra excreſceret oratio: duobus aut ſummũ tribus contenti
erimus teſtimonijs. Cicero doctrinarũ Latinarũ lux prima in Oratio
ne ſic de Ariſtotele iudicauit: Sed quis omniũ doctior, quis acutior, qs
in rebus uel inueniẽdis uel iudicãdis acrior Ariſtotele fuit? Quintilia
nus eadẽ ferè alijs uerbis pronũciauit, & Ariſtotelicũ caput quinq;
præcioſiſſimis unionibus ornauit: Quid Ariſtotelẽ, inquit, quem du
bito ſcientia rerum, an ſcriptorũ copia, an eloquendi ſuauitate, an in
uentionum acumine, an uarietate operũ clariorẽ putẽ. Diuus quoq;
Hierony*

*Hieronymus ( niſi inſcriptio falſa ſit ) ad Euſtochium, quiuis pro fide Chriſtiana cõfirmanda Ariſtotelem appellet fatuorum ſapientum principem, tamen eum abſq; dubitatione prodigium grandeq́; miraculum in tota natura fuiſſe non negat, cui penè uideatur infuſum, quicquid eſt naturaliter capax humanũ genus. Sed quid opus eſt teſtibus in re clariſsima? non neſcimus omnes tantam fuiſſe Ariſtotelis doctrinæ excellentiam, ut innumerabilium penè philoſophorum ante ſe opera uel nomina obſcurauerit: et ipſum quoq; Platonẽ, quem Diuinũ omnes ſtudioſi appellant, & ita facundum, ut ſi ipſe Iuppiter de cœlo deſcenderet, nec elegantiore, nec beatiore facundia uteretur, adeò cadere & obmuteſcere fecerit, ut oppido quam pauci illius ſectatores hac tẽpeſtate reperiantur. Reſpondere, quæſo, ſi libet: Ex tot philoſophorum ſectis, quas ſuprà uobis cõmemoraui, quæ nunc uiget, quæ nunc celebratur, quæ nunc totum orbem occupauit? nempe Ariſtotelica, & uigebit, & celebrabitur In freta dum fluuij current, dum montibus umbræ Luſtrabunt cõuexa polus, dum ſidera paſcet. Audiuiſtis ſuperioribus diebus ab Philippo Beroaldo præcellẽtis ingenij & memoriæ uiro, quot, quid, & quanta, quæ cœlo, terra mariq́; cõtineantur à Plinio fuere literis mandata: ſed decies plura, & decies decies ab Ariſtotele perſcripta fuerunt, quorum nullam Plinius fecit mentionem: ita ut quadringenta uolumina, de quibus nihil dubitatur Ariſtotelis eſſe credantur. Præterea Plinium ſuæ ætatis doctiſſimum uirum Latini ſoli, quia Latinus fuit, amant ſeu in prætio habent: nec omnes quidem. Nam raros inuenias ſcriptores, qui Plinij autoritate muniãtur. Ariſtotelem uero non ſoli Græci: ſed Latini, Chaldæi, Syri, Hebræi, Arabes, & quod mirum eſt Chriſtiani theologi, & totus deniq; terrarum orbis amant, teſtantur, colunt, & ut ſuprà dixi, pene adorant. O mira ingenij fœcunditas, ô naturæ donum ſingulare, quantam lucem, quantum ſplendorẽ rebus humanis infudiſti? hanc tanti philoſophi præſtantiam Plato eius præceptor prædiuinauerat. Et eo argumento id*

*ſuſpicer*

*ſuſpicer, ſi benigne attenderitis, uobis exponam. Habebat Plato in Academia magnam philoſophantiũ cateruam, ſed inter omnes eminebat Ariſtoteles. Hunc Plato amabat, hunc cõtemplabatur, hoc gloriabatur: certo die quum in auditoriũ Plato ueniſſet, & Ariſtotelem intereſſe nõ cõſpicaretur reliquis diſcipulis audiẽtibus exclamauit ὁ νοῦς οὐκ ἦλθεν, id eſt, intellectus non uenit, quaſi omnes alij præter Ariſtotelem craßi & obtuſi eſſent ingenij, nec Platonem intelligerent. Poſt aliquot etiam dies cum idem accidiſſet, Plato dixit, ἄπεστιν ὁ φιλόσοφος τῆς ἀληθείας, id eſt, abeſt Philoſophus ueritatis. Philoſophũ ueritatis appellauit Ariſtotelem. ô magna laus, tanquam alij uerum dignoſcere uel dicere neſcirent. Tertio circunferens oculos Plato, & abeſſe Ariſtotelem cernens, ſuſpirauit dixitq́; κωφὸν τὸ ἀκροατήριον, id eſt, mutum auditorium, tanquam alij philoſophantes præ Ariſtotele muta eſſent animalia. ô magnæ & ueræ laudes. quas diuitias, quos magiſtratus, quàm corporis ſpeciem cum his laudibus cõparabis? Soleo ſæpe mecum admirari Præſtantißimi uiri, noſtrorum præceptorum ambitionem, ne dicam arrogantiam: qui niſi à magna cirratorum caterua audiantur, ſuccenſent, ſuſurrant, hunc & illum ambiunt: cum Plato tam facundus Philoſophus, uno gloriatus ſit Ariſtotele. & ut aliquid Chriſtiani exempli lectioni meæ inſeram, Chriſtus uerus Deus, & uerus homo duodecim tantum habuit diſcipulos. Non inficias eo, auditores ſtudium legentis excitare & uirtutem laudatam creſcere: uerum unus acer & ingenioſus diſcipulus maiorem gloriam, maiorem ſtimulum præceptori affert, quam mille ignaui & ignorantes. Libet hoc loco uoluptatis cauſa fabellam Aeſopicam narrare, Vulpes & leæna olim de generoſitate cõtendebant, & cum uulpes diceret leænam ſemper unum parere. leæna reſpondit, ἀλλὰ λέοντα, id eſt, ſed leonem, ut intelligatis uirtutem non numerum in nobilitate eſſe ſpectandum. Ad te ſermonem meum in calce lectionis conuerto adoleſcens, qui me hæc diſſerentem intento lumine intueris. Quando erit, ut præce*

ptor tuus Platonica illa uerba de te abſente dicere poßit, ὁ νοῦς οὐκ ἦλθεν, ἄπεστι ὁ φιλόσοφος τῆς ἀληθείας, κωφὸν τὸ ἀκροατήριον. Expergiſcere ergo & Ariſtotelē cōplectere, qui dicere ſolebat eos q̄ alias artes ſequerentur, & Philoſophiā cōtemnerent, ſimiles eſſe procis Penelopes: q̄ cum (nolo uti uerbo inhoneſto) domina frui non poſſent, ancillis miſcebātur. Atqui difficilia hæc ſunt, q̄ ſuades, τίς δὲ τῶν ἀγαθῶν εὔκολον, ut dicit beatus Baſilius, id eſt, quod aūt bonū facile? τίς καθεύδων τρόπαιον ἔστησε, quis dormiens trophæū erexit? τίς τρυφῶν καὶ καταυλούμενος τοῖς τῆς καρτερίας στεφάνοις κατεκοσμήθη, quis delicatus, & tibijs operam dans fortitudinis coronis ornatus eſt? nullus certe. οὐδεὶς μὴ δραμὼν ἀνείλετο βραβεῖον, nullus qui non cucurrit, accepit brabiū. πόνοι γεννῶσι δόξαν, labores generāt gloriam. κάματοι προξενοῦσι στεφάνους, labores cōciliant coronas. Dulciora certe ſunt ea, quæ non ſine magnis ſudoribus acquiruntur. Expergiſcere, expergiſcere ergo, & mihi bene monēti pare. quid aūt mihi? Ciceroni potius, q̄ amicos ſuos, in quibus eſt ſtudium Philoſophiæ in Græciam mittit, id eſt, ad Græcos ire iubet, ut ea à fontibus potius hauriant, quam riuulos conſectentur. Si hoc feceris ego de te Vergilianum illud breui tempore dicere potero, Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas Atque metus omnis & inexorabile fatum Subiecit pedibus ſtrepitumq; Acherontis auari.

## ANTONII CODRI VRCEI SERmo Sextus, de mendaci mortalium uita.

IAm quindecim anni præterierunt Eruditßimi uiri, & auditores beneuolentißimi, poſtquā in hanc urbem literarū & armorū ſtudijs florentē pueni, & Grāmaticorū publice legentium numero aſcriptus ſum. Vbi ſemper ſtudui in principijs lectionū mearum

rum

rū aliqua oratione,tū faceta,tum etiā erudita & prodeſſe & de-lectare.Credidiſſem uobis tāto tēpore ſatisfeciſſe, niſi uiderē in præſentia tantā multitudinē cōfluxiſſe, & tantū cōcurſum ad me audiendū hodie factū eſſe,ut hic locus etiā ampliſſimus uix cū capere poſſe uideatur.Quid aūt tanta uirorū frequētia expoſtulat ſiue expectat? niſi ut quod ſuperioribus annis facere ſolitus ſum,id etiam nūc animo promptiſſimo efficiā, & iure cōſuetudinis & debiti perſoluam. Qua in re quid agam,nō parum dubito,tantā enim expectationem fruſtra dimittere non debeo, & quo pacto ei ſatisfacere poſſim, poſt eloquentiſſimas aliorum recitationes non uideo. Conabor tamen, ſi potero aliquem ex lectionibus meis ſermonem breuem elicere, qui & loco & tempori conueniat & auditoribus profit, familiari quadam ratiocinatione uobis bene audiētibus enarrare. Sed audiatis prius: quos ſcriptores Græcos hoc anno interpretaturus ſum, ut uideamus, an ex illis elici poſſit quod cupitis, & promptiſſimus ad reddendum accedo. Philoſophum quem ſuperioribus annis intermiſeram, nunc repeto uiri excellentiſſimi, Ariſtotelem dico, doctrina eloquentia ſcriptorem eminentiſſimum, huic addo continuatam Homeri lectionem eam præcipue, quæ Patroclea cognominatur. in qua Patrocles Menœtij filius, permiſſu Achillis Græcorum ſtatum ſub extrema ſorte miſerantis Myrmidonum producit exercitum, & cum Troianos ſpecie Achillis conſternatos fefelliſſet, illos uertit in fugam, & Sarpedonem Iouis & Laodamiæ filium perimit. poſtea ipſe prius ab Euphorbo Panthi filio percuſſus, ab Hectore interficitur. De Homeri præſtantia non ſum dicturus hoc tempore, quoniam tot ac tanta de eo ſuperioribus annis à me dicta ſunt,ut illud de me prouerbium Græcum dicere fortaſſe quis non erubeſcat, ἀμεργει μάζαρ ἐδόντες. quanquam ſi decies plura de eo dixiſſem, illum nunquam ſatis laudatum eſſe exiſtimarem, cum diuinitatis cuiuſdam plenus Homerus ineffabilem & infinitam gloriam conſecutus ſit,

*ut cum in parua annorum ſerie multi Alexandri, multi Cæſares nati ſint: intra duo milia annorum, nullum unquam Homerum natura genuerit. non mirum igitur ſi diuinus, ſi reſonantiſſimus, ſi omnium inuentionum fons & origo, ſi mellifluus, ſi multiſcius, appellatur, ſi mille alijs epithetis à ſcriptoribus qui de eo mentionem faciunt ſemper inſignitur. Sed ad Ariſtotelem redeamus, ne tanti Poëtæ nominis dulcedo & ſuauitas me littora libenter ſectantem trahat in profundum, unde regreſſus facile mihi reddi non poſſit. Ariſtoteles igitur mira ingenij ſui fœcunditate plurima conſcripſit opera, ut paulo infrà, ſi dabitur tempus, dicemus. Interea hunc libellũ cuius titulus eſt, περὶ ἑρμηνείας, id eſt, de Interpretatione ſiue Enunciatione. opus ſane aureum, plenum ſucci, plenũ doctrinæ, plenum autoritatis (cuius ſingula uerba ſunt pene ſingulæ ſententiæ) difficile inprimis, & quod acutiſſimos Philoſophos fecerit exudare, dum illud intelligere aut interpretari ex uero conati ſunt. In hoc præcipue de uera & falſa enunciatione agitur, hoc eſt, quo pacto ueram propoſitionem à falſa ſeu falſam à uera liceat dignoſcere. O pulchram rem, ô cognitu dignam materiam. quid enim dignius, quid homini libero pulchrius? quam uera loqui, quam uera à falſis diſcernere. Contrà uero quid turpius, quid ſeruile magis, quam mentiri? quid ſcimus, quid intelligimus? ſi quod ſcimus aut intelligimus uerũ falſum'ne ſit dijudicare neſcimus? Veriſſime igitur Lactãtius eam protulit ſententiam. Nullus ſuauior animo cibus eſt, quam cognitio ueritatis. De ueritate igitur non abſurdum erit, nec à propoſito diſcrepans, ſi nos in hoc ſermone noſtro aliqua uerba fecerimus, ut uideamus quid ſit ueritas & cuius rei obiectum, aut quomodo acquiri poſſit, & quam difficile ſit in rebus humanis percipere ueritatem. hinc de moribus & uita Ariſtotelis quædam, ſi uacauit, ſubiungemus: quibus breuiter intellectis, ad ueram Theologiam & immortalis Dei contemplationem, qui ueritas eſt & uita peruenire poterimus. Promiſſa mea magna quidem ſunt, & quæ multis chartis, & multis*

multis chartis uix tranſigi queant: uerum ego ea ſtrictim attingam, non tanquã cuiq; rei inhabitans, ſed obiter percurrens. quoniam tantorum uirorũ concurſum non eſt fas diutius audiendo detinere, & ætas mea iam ingraueſcens longum dicendi laborem ferre non poteſt. Veritatem igitur ſeu uerum id eſſe dicimus, quod neceſſe eſt ita eſſe ſeu fore ut dicitur, ut Deum eſſe uerum eſt, & hominẽ eſſe animalia. Falſum uero quod ut ſit uel fuerit uel futurum ſit, fieri non poteſt. Eſſe uero proprie de rebus ſemper exiſtentibus, hoc eſt æternis & immortalibus dicitur. & de his proprie ueritas haberi & intelligi poteſt. In rebus uero fortuitis & non permanentibus difficile eſt, aliquid pro uero poſſe cõſtitui. Ideo dicebat Heracletus in idem flumen bis deſcendimus, & non deſcendimus. manet enim idẽ fluminis nomen à qua tranſmiſſa eſt. Conſtituitur tamen aliquo modo ueritas, quod niſi fieret, omnis doctrina & omnis diſciplina ſeu intellectiua ſit ſeu factiua, & ita omnis penè uita humana: ut emptiones, uenditiones, & alij cõtractus & teſtimonia omnia & dicta & facta uana eſſent, & incerta huc illuc fluctuarent. Diuina uero, utpote à ſpiritu ſancto profecta gratiæ plena ſunt & ueritatis, quare in his falli non poſſe uerè credentem certiſſimum eſt. In humanis aũt ſcientijs & rebus ſæpenumero errare contingit: & huius erroris cauſam puto eſſe corruptos ſenſus. quoniã nihil eſſe in intellectu dicunt Philoſophi, quin prius fuerit in ſenſu, hoc eſt res ab ſenſu primo perceptas referri, deinde ad intellectum: ut exempli cauſa, uini aut mellis ſaporem ſiue aquæ frigus aut ignis calorem, aut purpuræ, aut attramenti colores prius guſtu aut tactu aut uiſu percepi, deinde communi ſenſu percepta ſpeculatus ſum. Si quis ergo male ſenſatus ſit, falſum pro uero & uerum pro falſo ſæpenumero concipere in animo poteſt. quod in ægris, qui amara pro dulcibus, & dulcia pro amaris ſenſire ſe dicũt, uidere licet. Præterea ueritatem ſcimus animi eſſe uirtutem. Animus uero perturbationibus quatuor, quas Græci πάθη uocant, plerunq; afficitur gaudio, dolore, ſpe, &

*metu: quo affecto ueritas corrumpitur. quam ob rem bene Boëthium Philoſophia admonuit, Tu quoq; ſi uis lumine claro cernere uerum, Tramite recto, carpere callem, gaudia pelle, pelle timorē, ſpemq; fugato, Nec dolor adſit, nubila mēs eſt, uinctaq; frenis Hæc ubi regnāt. Animus item plerunque corporis morbo colliditur, quod ubi accidit falſæ rerum ſpecies ita læſis apparent, ut Aiaci maſtigophoro: qui uerberans exercitus armenta, Agamemnonem & Vlyxem uerberare credebat: ut Oreſtæ matricidæ, qui amatam facibus matrem & ſerpentibus atris uidere uidebatur: ut cuidam Argiuo nobili uiro accidiſſe refert Horatius, qui ſe credebat. m.a.t. Vt reliquis phreneticis & hydrophobis uſu uenire ſolet: Sunt autem quinque res numero, quibus animus, ut Ariſtoteles ait, uerū perſpicere poteſt. Scientia, ars, prudentia, ſapientia, intellectus. Exſtimatione enim & opinione falli contingit. Scientia autem ſi accipimus, quando aliquid ſcimus aliter ſe habere non poteſt, aut ſi quid per demōſtrationem acquiſiuimus. Verum eſt igitur, ignem eſſe calidum, & niuem frigidam, & hominem animal rationale, & alia huiuſmodi. Arte ſcimus ædificare, facere uerſum, citharizare: & arte ueram & falſam ſymmetriam, uerum & falſum uerſum, ueram & falſam uocem, & alia id genus deprendimus. Prudentia ſanum conſilium à malo diſcernimus, & non ſolum nobis priuatim quæ bona utilia cognoſcimus: ſed & generatim ad totius uitæ ſtatum bene diſponendum pertinentia. Et quemadmodum ars in faciendo eſt atque conſiſtit: ita in agendo prudentia. Qui uero in aliqua arte ſunt excellentiſſimi, hos ſapientes uocamus: & ſapientiam, uirtutē artis dicimus. ut Phidiā, ut Polycletū, Anaxagoramq; & Thalem ſapientes uocamus, quod eximia quædam & diuina & difficilia ſcientes, propria commoda contempſerūt ac ignorauerunt. Intellectus eſt primorum & extremorum terminorum cognitio, hoc eſt uniuerſalium & ſingularium, ex quibus demōſtrationes fieri manifeſtum eſt atq; perſpicuū. Ex his igitur quinq; rebus illa rerū pulcherrima*

rima

rima ueritas oritur, quæ ingeniorũ ſeu liberorum propria uirtus eſt & ornamentũ. unde & ingenue uerum fateri dicemus, ſicut ſeruorum & uilium mancipiorũ propriũ uitium & innatum dicitur eſſe, mendaciũ. Quare bene Pindarus Thebanus Poëta Lyricus alithian, hoc eſt, ueritatẽ Iouis filiã illo uerſiculo dixit, ϰ̀ θυγάτηρ ἀλήθεια Διός. O manes Pindarici, ô lyræ, ô Muſæ Thebanæ, ego uos ob hoc dictum non queo ſatis laudare ac admirari. quoniam ueritatem Iouis filiam cum dixeritis, de noſtro uero Deo & uero homine, qui dicitur & colitur Chriſtus prædixiſſe uidemini. qui ſuis diſcipulis ſanctiſſimum illud dictum pronunciauit, Ego ſum uia ueritas & uita. hanc ueritatem qui amant colunt & ſeruant, Chriſtũ amant, colunt, & ſeruant, & philalctes & Chriſtophori dicũtur. qui uero negãt, lacerant, oppugnant: Chriſtum negant, lacerant, oppugnant. Magiſtri & præceptores ueritatis hoc anno uolumus eſſe, & profitemur, & ad eam diſcendam omnes homines inuitamus atque cohortamur: ut amandemus aliquando fabulas, explodamus nugas, repellamus offucias, & aliquãdo aliquid ſcire ſtudeamus. quoniam Philoſophorum ſententia nihil ſciri, niſi quod uerum ſit poteſt. Et ſi quid certi, ſi quid ueri haberi aut intelligi poteſt in ſcientijs humanis: in Ariſtotele ueritatis Philoſopho habetur, ut intelligitur. Ariſtoteles enim omnium ante ſe Philoſophorum errores patefecit, & ueris rationibus reprobauit, omnibus amicis, omnibus præceptoribus ueritatẽ præponens, ſua etiam ſcripta ſi opus fuiſſet pro defenſione ueritatis impugnaturus. Cæterũ hic aliquis ueſtrũ mihi fortaſſe obijciet, Vide quid aſſeueres, quid profitearis Codre nam illud à Propheta dictum eſſe non neſcis, Ego dixi in ſtupore meo omnis homo mendax. Si ita eſt, uide ne tu quoque cum tuo Ariſtotele mendaces eſſe reperiamini. Dictum Prophetæ ueriſſimum quidem eſt, ſed non ab omnibus fortaſſe intellectũ, quod antequam exponamus, quomodo à ſophiſtis reprehẽdatur, uideamus. Si enim inquiũt omnis homo mẽdax: homo aũt etiã Dauid, mendax erit etiã ipſe, ſi aũt mendax, non

*dax, non credēdum ei, de quibus enunciat. Sermone autem illius non uero, nec exiſtente omni homine mendace, condemnabimus etiam prophetam mendacij crimine, qui dicat ſcilicet omnē hominem mendacem eſſe, cum non ſit. Si aūt non mentitur, credemus ei de quibus affirmat: credentes autem rurſus, in incredulitatis neceſſitatem compellimur. Quare ſi quidem uerum dicit Dauid, ſermonem ſuum ſoluit, cum ſit homo & non mentiatur: ſi autem mentitur in eo dicto illi non eſt credendum. Sed hec uerba ludentium ſunt, & inexpertis ſe oſtentantium. hoc autem aliqui periti ſic ſoluunt: omnem hominem dicentes mendacem eſſe poteſtate, ſicut omnem hominem riſibilem, quamuis nō rideat, hoc eſt natū ut ridere poſſit. quod Græci πεφυκότα dicunt. ſed hoc frigidolum eſt. Vos aūt Pſalmorū Latinos expoſitores uidebitis: ego Baſilij Magni ſententiam uobis aperiam. Homines dicuntur à Theologis ij qui ab humanis adhuc paſſionibus detinentur, quales nos ſumus, dum nihil diuini, nihil excelſi ſapimus. Qui uero iam ſublimior carnalibus (ut hoc uocabulo utar) paſſionibus factus eſt, & per mentis perfectionem in Angelorum numerū tranſiuit: hic cum de hominibus diſſerit, ſeipſum excipit, & à reliquis ſeiungit. Propheta igitur plus ab homine habens uerißime pronunciauit, Omnis homo mendax. Audiant ergo praui homines nihil cœleſtium, nihil diuinorum ſapientes, ſed carnis paßionibus dediti: Liuidi, ſuperbi, auari, iracundi, gulones, libidinoſi, male ſemper cogitantes, maledici, ſycophantæ. hi ſemper in tenebris, in mendacijs, in fraudibus uerſabūtur & errabunt: nulla fides, nulla uirtus, nullum iuſiurandum, nullus dei metus, nulla religio in illis erit, aut exercebitur. O animæ in terris curuæ, ô animæ cœleſtium inanes, ô animæ uitijs decoloratæ, poſt mortē pœnas dabitis perfidiæ ignauiæ & cunctorum ſcelerum, quæ in hac luce procax uita & pertinax erubuit confiteri. Vah Codrus ex Oratore factus eſt morum cenſor & uitiorum caſtigator. hoc non placet: nec perſonæ, nec tempori, nec loco conuenit. Rectè admonetis, ad rem redeo. Si omnis homo mendax,*

&

*& tu, & Ariſtoteles tuus mẽdaces eſtis. quid certi reſpondeam, non habeo. Videmur ſane mendaces eſſe poſſe, quoniam in his humanis ſcientijs & rebus ueritas latet: ſi quid tamen ueri aut certi percipi poteſt, ut iam antedictum eſt, ab Ariſtotele perceptum & poſteris traditum eſt atq; mandatum. Sed uertere mãtellum hoc loco libet, & cum Propheta bene ſentiente ſentire, cum uideam nullum eſſe hominem aut fuiſſe, qui ut homo non deceptus fuerit & errauerit. quod in omnibus artibus & diſciplinis apertè uidere licet, quæ omnes fere conſtant rebus dubijs & opinionibus, nulla prorſus apparente demonſtratione. Grãmatici nihil demonſtrant, ſolis nituntur autoritatibus, quæ tam uariæ atq; diſcordes interdũ ſunt, ut neceſſe ſit earum aliquas eſſe mendaces. Dialectici demonſtrare quidem conantur, ſed infinitis impedientibus ambiguis & æquiuocis id non poſſunt. altercando enim nimium inter ſe ueritatem amittunt. In phyſicis diſciplinis, quot ueritates ſententiarum, quot opiniones de rerum principijs, de cœlo & mundo, de cometis, de motu, de anima, de uentis, de uocibus & alijs id genus plurimis. In Ethicis idem uidemus, de uirtutibus, de moribus, de legibus non omnes idem ſentiunt. In legum interpretationibus, quot Dij boni, opiniones: quot certe homines, tot ſententiæ. hic abſoluit, ille condemnat, tertius ampliat. Bene ergo dicere poſſumus cum Propheta, Omnis homo mendax. Medicina uero cur totiens innouata, totiens mutata eſt? cur methodici uituperant empiricos, & empirici methodicos: niſi quia ueritas latet? hic tranſeo Poëtas mẽdaciorum parentes hic, Quicquid Græcia mendax audet in hiſtoria. Vultiſne hæc exemplis demonſtrari? Appion Grãmaticus, qui ſub C. Cæſare tota circumlatus eſt Græcia, & in nomen Homeri ab omnibus ciuitatibus adoptatus, ut autor eſt Seneca, aiebat: Homerum duas literas in primo uerſu poſuiſſe ex induſtria, librorum ſuorum numerũ continentes. nam cum μηνιν dixiſſet quadraginta octo libros, qui ex μ & ν colliguntur, ſignificare uoluerat. quaſi Homerus ipſe & non alius eam librorum diuiſio-*

V nem

*nem & numerum conſtituiſſet. O ridiculum mendacium. Didymus Grãmaticus quatuor milia librorum ſcripſit. ô quot, & quanta mendacia par eſt in illis fuiſſe. Pythagoras Samius, quem pro diuino homine uenerata eſt Antiquitas, dicebat quaternarium numerũ ad perfectionẽ animæ pertinere, & eum inter arcana uenerabatur, & per eũ iurare ſolitus erat. ναι μὰ τ̃ ἁμετέρα ψυχᾷ παράδοντα τετρακτὺν πάγαν ἄεναυ, οὖ φύσεως, id eſt, Per q noſtræ animæ numerum dedit ipſe quaternum. Nónne hoc abſurdiſsimum & mendaciſsimum eſt affirmare animam rem diuinam perfici à re inſenſata ac inanima? Pythagorici quoque aſſerebant nomina propria certam habere numerorum ſummam ex literis ex quibus conſtabant, & ſi duo in pugna collata eſſent, palmã illi fauere, quod maiorem habuiſſet ſummam. Exempli cauſa dicebant Patroclum nouem conſici literis, quarum ſumma octingentos ſexaginta unum colligebat, ideo fuiſſe ab Hectore interfectum, quod Hector quinq; literis qbus cõſtabat: MCCXXV. cõprehendebat maiorẽ Patrocli ſumma. Eadẽ ratione Hectorem ab Achille ſuperatum, quoniam Achillei numeri ſumma maior Hectoris fuiſſet, CCLXX. colligere deprehenditur. O mendacium latiſsimum. nam ſi ita fuiſſet Achilles, Parim quoq; interfeciſſet, non aũt ab illo interfectus fuiſſet, cum ſumma Paridis minor ſit Achillea. Sed utinã ſic eſſet: nam ego, cui Antonio nomen eſt, multos Hectoras & multos Achilles ſuperarẽ. meus enim numerus MCCCCXXXI. cõprehẽdit, qui uocãtur. Antonij tãtiſper hac uictoria gaudeant, ſi modo uerum gaudiũ ex mendacio poteſt exoriri. Hanc inſaniã tetigit Terentianus his uerſibus, Et nomina tradũt ita literis peracta, hæc ut numeris pluribus illa ſint minutis, quandoq; ſubibũt dubiæ pericla pugnæ, maior numerus qua ſteterit fauere palmã præſagia læti minima patere ſumma: ſic & Patroclon Hectorea manu periſſe, ſic Hectora tradunt cecidiſſe mox Achilli. Refert Plinius Pythagoræ inuentis illud quoq; aſsignari impoſitiuorum nominum*

*imparem*

*imparem uocalium numerum clauditates, oculorumúe orbitatem ac ſimiles caſus dextris afferre partibus, parem læuis. Quod quã uerum ſit, uos uideritis. Scripſit Democritus, ut Plinius notauit, Aues quaſdã eſſe certis uocabulis, ex quarum auium confuſo ſanguine gigni ſerpentẽ, quẽ ſi quis ediſſet, linguas auiũ & colloquia interpretaturũ. O mẽdacium ingens: quaſi aues colloquia inter ſe habeãt, id me crediturum credidiſti? Hippocrates ſummus medicus cum memoriæ mandauit aphoriſmũ, γυνὴ οὐ ποδαγρίᾳ ἢν μὴ τὰ καταμήνια αὐτὴν ἐκλείπῃ, id eſt, mulier nõ podagrizat, niſi mẽſtrua ei defecerint. Nunc quædam fœminæ, quibus etiam menſtrua fluunt, podagras patiuntur. O fœminarum laſciuia, ô fœminarum intẽperãtia, quæ tantum uirũ mendacium dicere coẽgit. Apud Herodotũ patrem hiſtoriæ, & apud Theopompũ, ut notauit Cicero, multæ ſunt fabulæ. Herodotus ſemen Aethiopum dixit eſſe nigrum. errorem hunc manifeſtarium correxit Ariſtoteles: omne ſemen album eſſe demonſtrãs. quare etiam à Poëtis fictum eſſe, Venerẽ natam è ſpuma quæ alba ſcilicet eſt, & cernitur. Cornelius Tacitus Chriſtianos dixit caput aſininum adorare. O turpe mendacium & maleuola lingua effutitum: ô hiſtoriam cloaca dignam, quæ uerum & uiuum Deum adorantes ſic auſa eſt infamare. Hic prætereo multorum aliorum mendacia, quæ longum nimis enarrare, ut concludamus cum Propheta: Omnis homo mendax. Atqui inſurgent Mathematici, dicentq́; artes & ſcientias ſuas eſſe certitudinis & ueritatis plenas & Geometram falſum non ſupponere. Ne quis dubitat triangulũ planum habere tres angulos æquales duobus rectis & decem, & decem iunctos numeros efficere uiginti? Ego dubito. An ſenſibus uis repugnare? Cur non? cum ab illis omnes ferè uideam decipi ac infatuari. Aſtrologi demonſtrant ſolem eſſe multis partibus terra maiorem, at mihi bipedalis uidetur. Video in aqua remum inflexũ, at tu rectum eſſe dicis. Collum columbæ uno ſitu unum oſtendit colorem, alium alio. Nónne ſuprà oſtendi, amara interdum ſentiri pro dulcibus, &*

*dulcia pro amàris? at rationibus demõſtrabo. Ne labores, ne id quod iam à me in quendam Veronenſem nouicium doctorem factitatum eſt, cogar nũc efficere. Volo hic uobis uiri Excellentiſsimi poſtquam me attentè auditis narrare quandam in me fallaciam cuiuſdam Dialectici: quam callido & uafro functus ingenio euitaui. Cum enim eſſem Forliui apud illuſtrem & magnanimũ Principem Pinum Ordelaphum Sinibaldi filij eius præceptor, eo tempore uenerat qdam Veronenſis artium liberaliũ doctor uiſendi fratris gratia, qui Principis erat cubicularius. Et cum ille apud Principem pranſiſſet unà cum alijs nobilibus uiris, & ego menſe Principali aſtarem, forte fortuna donatus fuit Principi ſcorpio quidam, uocant plebeij baliſtam, qua ſagittæ iaciuntur. habebat aũt ſcorpio ille arcum partim ferreum, partim ligneum: ſuper quo arcu orta eſt diſputatio, quare ex duplici materia factus eſſet. Et cum ille nouicius Doctor Latinè quædam diceret ex Ariſtotelis ſententia, omnes aſtantes in me oculos conuerterant tanquam in eum, qui eſſem illi reſponſurus. nam tunc non aderant Forliuienſes magiſtri & Iureconſulti, qui alias ſodales principis eſſe ſoliti erant. Et cum ille loqui deſiſſet, ego illius uerba laudaui & Ariſtotelis ſententiam: uerum dixi illum tanquam hominẽ potuiſſe errare. & illa quæ dixerat uideri potius quam eſſe. Ille Doctor audeśne inquit Ariſtotelem reprobare? Non tantum in quam Ariſtotelem, ſed & prima Philoſophiæ principia atq; axiomata. Et ille quodammodo indignatus facile inquit, tibi oſtendam. Ecce propono tibi hoc, Quodcunq; dicitur, aut eſt, aut non eſt. Ego dubito, inquam. contrà tu dubitas hanc propoſitionem: ergo aliquid dubitas. Ego dubito an dubitem, hanc propoſitionem. Contrà, tu dubitas an dubites: ergo aliquid dubitas. Ego dubito an dubitem, dubitem'ne: & ſi ille bis dubitare dicebat, ego ter repeteã, ne Codrum haberet irretitũ. Et ille uidens hoc ſibi non ſuccedere aggreſſus eſt me alia uia. Propono tibi hoc, Tu loqueris. expectabat ille ut reſponderem, Loquor. at ego dixi: neſcio. ille clamabundus, audite, inquit,*

*hic lo-*

*hic loquitur: & dicit ſe neſcire, an loquatur. Ego neſcio, inquam, ſi neſciam me loqui. Contrà, tu neſcis te neſcire loqui: ergo aliquid neſcis. Ego neſcio, an neſciam neſcire me loqui: & ille indignationis plenus dixit, Contra negantes principia non eſt diſputãdum. Et hoc eſt, dixi, quod cupio, ne mecum diſputes. quoniam ſic principia tua demonſtrare non poteris. Et ſic ſoluta controuerſia ad alios ſermones tranſiuimus lætiores. Videtis ergo uiri Ornatiſsimi, quam difficile ſit uerum reperire. Atqui negant ſenſus & dicunt ſe neſcire, an ignis calidus ſit nec ne. in ignem ponẽdi eſſent & rogandi quid ſentirent. Vah uis cogere me ui fateri, quod ratione deberes. de Philoſopho uis fieri tortor & carnifex. Fuerunt tamen Academici Philoſophi magno in pretio, qui dicebant nihil poſſe affirmari. Fuerunt Pyrrhonici, & alij multi qui ne hoc quidem affirmabant. Solebat Pyrrho dicere,* οὐ μᾶλλον οὕτως ἔχῃ τόδε ἢ ἐκείνως ἢ οὐδετέρως, *id eſt, nõ magis ſic ſe habet hoc quam illo modo aut quam neutro. Quod mihi ex uerſibus Homeri, quos ille in ore ſolebat habere uidetur ſenſiſſe,* τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων οἷον ἐπ᾽ ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. *hos uerſus ita tranſtulit Cicero. Tales ſunt hominum mentes qualis pater ipſe. Iuppiter auctiferas cum luſtrat lumine terras. Et hoc quotidie in nobis uidemus qui mane aliud ſentimus quam pridie: aliud poſt cibum, quam ante cibum. Euripides Athenienſis tantæ autoritatis Poëta, ut ſingula eius uerba ſingulas ſententias exiſtimauerit eſſe Cicero, dicere ſolebat,* τίς οἶδ᾽ εἰ τὸ ζῆν μὲν ἐστὶ κατθανεῖν τὸ κατθανεῖν δ᾽ ζῆν, *id eſt, quis nouit an uiuere quidem ſit mori, mori aũt uiuere? Siue igitur corruptione ſenſuum, ſiue inſania, ſiue ſtultia, ſiue alia quauis paſsione decipi Mathematicus poteſt: cur affirmem illum eſſe alijs ueriorem? præterea etiamſi concedamus ſcientias eſſe ueras, tamen quotidie uidemus Aſtrologum dicere mendacium. nam ſæpe cum prædixerit ſerenitatem futuram, fiunt imbres: cũ imbres præſagierit, ſerenitas ilico apparet. Euclides Megarenſis,*

*quem iſti principem habent in Geometria in definitione numeri pariter paris errauit. dicit enim in Elementorum libro 9. ὁ ἀρτιάκις ἄρτιος ἀριθμός ἐστιν ὁ ὑπὸ τοῦ ἀρτίου ἀριθμοῦ μετρούμενος κατὰ ἄρτιον ἀριθμόν, id eſt, pariter par numerus eſt, qui à pari numero menſuratus eſt per parem numerũ, ſi enim ita eſſet & pares tantum, & non pariter pares, pariter pares inuenirentur, ſicut. 24. non eſt pariter par: quia uſq; ad monada diuidi non poteſt, quod ratio exigit. Diuiditur enim primo in. 12. &. 12. deinde in ſex & ſex. Poſtremo in tria & tria: ſed ſecundum Euclidem poteſt eſſe pariter par, nam poteſt per quatuor & ſex, qui pares numeri ſunt diuidi. nam quater ſex efficiunt 24. ergo omnis homo mendax. Hic omitto Magorum mendacia, quæ totum mundum ſuperſtitionibus repleuerunt, hic Chaldæorum falſa promiſſa & Pompeio & Craſſo & Cæſari, neminem ſcilicet eorum niſi in ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate moriturum: cum tamen quiſque illorum male perierit. Verum iam omittamus ſcriptores & antiquos Philoſophos, quorum etiam mendacijs plurimum debemus. Nobis enim quantum in illis fuit, profuerunt, aut prodeſſe uoluerunt. Veniamus ad nos. Nos quoque mendaces ſumus: & ſi forte uera dicimus, non deeſt calumniator, qui ueritatem non ſinat elucere. & ut hoc quoque exemplo cognoſcatis dicam de me. Si oratione mea, ſeu uerſu laudem aliquem pimarium uirum, uel primarij filium, dicamq; illum antiqua ſtirpe natum, bene educatum, bene inſtructum, & literis & armis pollere, ingenio & memoria ualere, religione Numam, pietate Aeneam, clementia Iulium Cæſarem, liberalitate Lucullum, magnanimitate & felicitate Auguſtum, iuſticia Traianum æquiparare, & ad ſummã omnibus uirtutibus refertũ eſſe cõmemorẽ, dicet calũniator: Codrus nõ ex uero loquitur, ſed huic Principi blanditur, aut quod ab eo aliquo beneficio affectus eſt, aut quod ſe magnum quiddam ſperat impetraturũ. Ecce ueritas damnatur. Si quem uero ex his Iureconſultis, aut Medicis, aut*

*Philo-*

*Philoſophis prudentiſsimis extollam, dicamq́; hunc eſſe alterum Vl-
pianũ iure & æqui ſcientiſsimum: illum alterũ Hippocratem, qui
mortuos arte ſua poſsit ſuſcitare: alium maiorem Ariſtotelem &
omnibus Philoſophis alijs, inſurget calumniator & inſuſurrabit:
Quam noticiam legum aut medicinæ aut Philoſophiæ habet. Co-
drus, ut hos laudare poſsit: mentitur ſanè, ſed ut eos homines ſi-
bi conſiliaret, propterea laudauit. Deſcendamus ad alios. Si lau-
dem Poëtam aliquem aut Oratorem, referamq́; illum anima Home-
ri & Maronis conſtare: hunc Demoſthene & Cicerone facundio-
rem: ſtatim me carpet calumniator, dicetq́; hos à me laudatos eſſe
metu, ne ſcilicet ab illis oratione aliqua uituperer, aut ſpe ut ſcilicet
ab illis parẽ uicem conſequar. ecce ueritas opprimitur. Item ſi quem
mei nominis & ſtatus collaudẽ, utpote Pædagogũ aut triuialem ma-
giſtrum, & prædicem illum in promptu habere Donatum, Seruium,
Priſcianum & idoneum ualde liberis erudiendis, ſine uitijs, ſine ru-
bigine aliqua: clamabit calumniator & in hoc inquit, mentitur Co-
drus. Nónne hunc pædagogum nouimus uix intelligere an h lite-
ra ſit an non. hic quoque ueritas reprehenditur. Præterea ſi ado-
leſcentem aliquem formoſum carmine meo celebrem, præponamq́;
omnibus æqualibus, dicamqúe illum eſſe alterum Narciſſum: alte-
rum Hyacinthum honeſtate & moribus & ingenio ſingularem,
quamprimũ calumniator uociferabitur, habeo te Codre, ſcimus quo
pede claudicant poëtæ. Cur deformem aliquem non laudaſti: En
hic ueritas infamatur. Poſtremo ſi quem admirer pictorem, di-
camqúe illum σκιογραφία, & ea quam Græci monochromaton
uocant plurimum ualere, omnem ſymmetriam, omnia cataglypha
callere, & in ſumma uiuos illum uultus effingere, nec hoc ſinet
calumniator intactum: ſed ſtatim ſuſurrabit Codrum idcirco pi-
ctorem laudaſſe, ut ab eo qualis eſt in tabula aliquam exprimatur
ſine pretio & ſine munere. Contra ſi reprehenderẽ, uituperarem,
inſectarem aliquem ignorantem, rubiginoſum, ſceleſtũ, & omnium*

*uitiorum*

uitiorum parentem,non hic quoq; calumniator quieſceret:uerum me odio & maleuolentia in illum hæc effudiſſe diſſeminaret. Videtis ergo quam difficile ſit uera dicere: & ſi quid dixerit,quã præſto ſint mendaces quæcunq; bene dicta ſint obturbantes. Quid quod non uiri tantũ,ſed & fœminæ mendaces ſunt? omitto matronas potentes. Ancilla tua quæ ab artocopo,id eſt,piſtore ſubagitatur.nónne mendax eſt? Solent artocopi,id eſt,furnarij ante lucem exurgere,& familias ad faciendum panem excitare. Et cum ancilla ianuam aperit, ut aſſerem à furnario latum accipiat,furnarius ingreditur,& illam opprimit.materfamilias ancillam de mora percunctatur:illa reſpondet ſe nudis pedibus cucurriſſe ad ianuam,& à ſpina in pede læſam fuiſſe.ſed fuit alia ſpina. Ecce mentitur ancilla. Ruſticæ fœminæ ſunt ne mendaces:mendaces certe. Quædam ruſtici uxor uolens maritum amandare,ut ſacerdotem ruralem quem amabat intromitteret,ueniente ueſpera bouem è ſtabulo diſſoluit, & in paſcua longinqua relegauit,maritoq; ut bouem quæreret,perſuaſit: quod dum ille exequeretur,interea bonus adulter bis aut ter ruſtici uxorem ſubegit, & re patrata diſceſſit. rediens ruſticus boue reperto adhæſit uxori,& inter fœminium tetigit,reperitq; irroratum,admiratus rogauit uxorem,cur cunnus rorat? & illa reſpõdit,amiſſo de boue plorat.ruſticus ille fatuus credidit,& ſubinde cũ coiret,ueſicam ſenſit latiorem.adulter enim fuerat ſatis bene peculiatus.& rogãs uxorem dixit,largior eſt ſolito: & illa reſpondit, ridet de boue reperto.Intelligitis ergo quemadmodũ fœminæ ruſticæ mentiuntur. Atq; hoc loco ueritas non odioſa tantum,ſed damnoſa fuiſſet.Vtile igitur interdum eſt mentiri,utile forſitan præcipue apud Dynaſtas,id eſt, potentes,qui ſi uitioſi aut morboſi fuerint de ſe uera audire non tolerant.Interdum tamen potentes offendit occultata ueritas,ut Geloni Syracuſanorum Regi contingit:huic ſpiritus oris male olebat, & hoc eum multo tempore latuerat nemine audente regem reprehendere,donec quædam fœmina peregrina cum qua ipſe forte coibat,

auſa

*cauſa eſt morbum illum patefacere. Rex uxori ea de cauſa iratus eſt, illa ueniam orauit dicens ſe, quoniam nunquam alteri uiro coniuncta fuiſſet ſeu collocuta, putaſſe omnes uiros talem ſpiritum reſpirare. Hic de mendacijs ſummi Pontificis, de mendacijs Cardinalium uirorum, Epiſcoporum, Protonotariorum, Canonicorum, Abbatū, Monachorum & aliorum religioſorum dicēdum eſſet. Item de mendacijs Regum, Imperatorum, Principum, Notariorum, mercatorum & omnium opificum diſſerendum. Sed nimis longum ſermonem facerem, & iam feßi ſumus: ego dicendo, uos audiēdo. Præterea quædam pauca reſtant de Ariſtotele dicenda, ne tantum Philoſophum parte ſua fraudemus. Summam igitur ſummarum colligamus, dicamusq; ueritatem eſſe rem pulcherrimam, & omni laude dignam, & ſoli Deo & ſpiritibus eius ſanctis notam & intellectam: in hominibus uero raram eſſe & repertu difficilem, & multos uel ignorantia uel ſenſuum corruptione uel uoluptate, fortaſſe etiam utilitate mentiri. Inter aūt ſcriptores rerum humanarum Ariſtotelem extitiſſe unum maxime ueritatis amatorem & eius exhibendæ autorem promptißimū. de quo hæc ſummatim uolo uos nō ignorare, illū fuiſſe nō tantum Philoſophum, ut uulgus hodie ſemidoctum appellat, id eſt, Phyſicum uel Ethicum uirum, ſed Philoſophum cōſummatißimum, id eſt, Oratorem, Poëtam, Iuriſperitum, Medicum, & totius naturæ rerum ſcientißimum. quod oſtendunt, tam uaria, tam copioſa, tam multa illius de omni re cōpoſita uolumina: quorum pars extat, pleraq; deſiderantur. Non mirum igitur ſi Philippus Macedoniæ Rex illum filij ſui Alexandri uoluit eſſe præceptorem, ſperans illum à tanto Philoſopho educatū & eruditum, ſe & imperio ſuo fore dignum: & ſanè ſpes eum non fefellit, quoniam præceptoris doctrina tantus quantus poſtea fuit Alexander, euaſit. O fortunatum adoleſcentem, qui tantum ſortitus fuerit præceptorem: & ô fortunatum quoq; præceptorem, cui tantum contigerit habere diſcipulum. Solent enim præceptores honeſtare diſcipulos, & diſcipuli præce-*

ptores. ſemper enim dum literæ ſtabunt, dicetur Plato diſcipulus Socratis, Ariſtoteles diſcipulus Platonis, Theophraſtus Ariſtotelis diſcipulus. Non mirum præterea ſi Ariſtoteles patriã ſuam Stagiras Thraciæ oppidum alioqui uile illuſtrauit: ſi eam direptam à Macedonibus arte & ingenio ſuo reſtituit meliorem. Non mirum etiamſi à Cicerone, à Quintiliano, à Plinio, ab Hieronymo, & ab omnibus ferè poſt eum ſcriptoribus laudatur, extollitur, celebratur. Cicero eum flumen aureum eloquentiæ fundere dicit. Quintilanus quinq; gemmis eum coronat, ſcientia, copia, ſuauitate, acumine, uarietate. Plinius eum ſummũ in omni ſcientia uirũ cognominat. Hieronymus prodigium grandeq; miraculum in tota natura fuiſſe eũ non negat, cui pene uideatur infuſum, quicquid eſt naturaliter capax humanum genus. Magnum autem doctrinæ Ariſtotelicæ teſtimonium prius phibuerat Plato illis dictis, quæ ab eo perfecta paßim memorantur. Nam certo die cum in adiutoriũ Plato ueniſſet, & Ariſtotelem abeſſe uideret, magna Philoſophorum audientiũ turba aſtante dixit, ὁ νοῦς οὐκ ἦλθεν, id eſt, intellectus non uenit, quaſi nullus alius præter Ariſtotelẽ eum intelligeret. Item poſtea cũ idem accidiſſet, exclamauit Plato ἄπεστι ὁ φιλόσοφος τῆς ἀληθείας, id eſt, abeſt Philoſopus ueritatis: quaſi alij præter Ariſtotelem falſa uel diſputarent uel ſcriberent. alio quoque die circunferens oculos Plato & abeſſe Ariſtotelẽ cernens ſuſpirando dixit, κωφὸν τὸ ἀκροατήριον, id eſt, mutũ auditoriũ: tanquam alij auditores ſemper præ ignorãtia tacerent, ſolus uero Ariſtoteles ſemper aliquid cum Platone diſſereret. O magnæ & ueræ laudes cunctis honoribus, cunctis diuitijs præponendæ. Hic multa ſciens prætereo de moribus & dictis Ariſtotelis tam grauibus quam facetis. Philoſophemur igitur nos omnes hoc anno uiri egregij & græce primum, quoniam ut cecinit Terentianus artium parens & altrix Græca diligentia eſt literarum. Porro curam nulla gens attentius reperit, poliuit uſque finem ad unguis extimum: & idem alibi magiſtrã Græciã appellauit, magi-

*magiſtram uerè, quæ omnes artes liberales, omnes ſcientias, omne ſtudiorũ genus Latinos docuit. quid Latinos? immò totum orbem terrarum erudiuit. Diſcamus itaq; & nos à Græcis ſcriptoribus, exploſis mẽdacijs, uera cognoſcere & eloqui, ut doctrinam & gloriam conſequamur. quarum altera nunquam uiuentibus nobis eripi poterit: altera ne mortuis quidem. ſemper enim nominis noſtri memoria in poſterorum pectoribus fixa reuireſcet.*

## ANTONII CODRI VRCEI SERmo Septimus, in laudem Homeri habitus.

*IAm quartus menſis agitur Magnifice Rector, ac uiri præſtantiſſimi, ex quo in hunc illuſtrem & excelſum locum conſcendi, & uobis bene audientibus Grammaticorum & artis Grammaticæ laudes, ut potui enarraui. Subſecuti ſunt deinde me tres facundi & ingenioſi oratores, qui materias & lectiones ſuas, tot laudibus, tanta uerborum grauitate, tanto ſententiarum pondere ornauerunt, extulerunt, amplificauerunt: ut non ornatius, non altius, nõ copioſius eos dicere potuiſſe facile credã. præcipue Beroaldus me ita ſtupidũ, ita attonitũ ſua luculẽtiſſima & ornatiſſima oratione reddidit, ut illius imago mentẽ meam ingreſſa cõplures ꝑmanſerit dies, effeceritq; ut uix quarto uel quinto die meminerim meiipſius, & ſenſerim ubi terrarũ fuerim: quemadmodũ apud Platonis Menexenũ Socrates olim ſibi accidiſſe refert. Et certe mihi tũc in inſulis eſſe Fortunatis uidebar, cũ illũ tã ornatè, tam dulciter, tam uehemẽter orantẽ audiebã. Sed de hoc & cæteris oratoribus hactenus. Non enim ea de cauſa huc ueni, ut eos meritis laudibus celebrarẽ, cũ & ipſi laudatione mea non egeãt, nec ego ſatis ſim tantorum uirorum laudibus extollendis. Nunc uero lectionem Græcam interpretaturus prodiui. quod antequam faciam, uobis cauſas quæ me*

*ſuperioribus annis cõditionem hanc quæ rere prohibuerunt, exponam: & cõſilium quod me conditionem oblatam hoc anno accipere coëgit enarrabo. Scitis Literatiſſimi uiri quam maleuolorum ac inuidorum plena ſint omnia, nullus tempeſtate noſtra Opifex, nullus Orator, nullus Poëta quicquã tam noui tam præclari poteſt uel ædere uel profiteri, quin adſit cenſor qui eum peccare paratus ſit oſtendere. Ego cum boni uiri officium eſſe cognoſcerem, non tantum ne peccaret, quantum ne male audire caueret, à lectione Græca retrahebam, ſine dubio intelligens ſi publice profiteri ac legere auſus eſſem, Perſianum illud in me ſtatim ſine uenia iactatum iri, Ecce modo Heroas ſenſus afferre uidemus Nugari ſolitos Græce nec ponere lucum Artifices. Item & illud Iuuenalis, Omnia Græce Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latine. præſertim cum neutrã linguam ad unguem callere meipſe iudicarem. Præterea non ſum tam excors nec tã pauci ingenij (quamuis modice literatus iam aliquoties hũc locum conſcenderim) ut non intelligam opus eſſe magna doctrina ac ſingulari quadam eloquentia ijs qui in hunc locum aſcendere & ex eo deſcendere cum honore ſtatuerunt: remq; arduam ac difficilem eſſe uiris etiam doctiſſimis ac eloquentiſſimis aliquid in hoc præclaro conſeſſu, & in tã nobiliſſima ciuitate dicere aut exponere, quod audientibus gratum ſit atq; ſatisfaciat. adeo enim ſunt tempeſtate noſtra uiri literati: aut ſi non ſunt, facile tamen ſiue ingenio ſuo, ſiue librorum copia id conſequuntur, ut de literatis iudicare poſſint. Poſtremo nonnulli rerum experientes amici, mihi affirmabant, multos doctos ſane uiros ante me lectionem Græcam interpretari cœpiſſe, primo maximum auditorum examen ad audiendos conuolaſſe, ſubinde illos ab auditoribus deſtitutos rem turpiter reliquiſſe. id ne mihi accideret, etiã atq; etiã uidẽdũ eſſe conſulebãt: quoniã turpe & miſerabile eſſet, ſi me uel duo audirent uel nemo. Cauſas me à Græca lectione diſtrahẽtes iam audiuiſtis, quas hucuſq; graues eſſe putaui. Nunc conſiliũ quod eas leues eſſe oſtendet, quæſo libenter audiatis:*

*breuiter*

breuiter ſane ac populari oratione uobiſcum agam. Primum Magnifici ac Prudentiſsimi uiri, ego non is ſum qui Græce nugari ſolitus ſim, nec qui omnia Græce effutire uelim: imò ſemper Latinam linguam laudaui & celebraui, & quotidie laudo ac celebro, grauioremq; eam lingua Græca eſſe aſſeueraui, & pro ea pugnaui contra Græcos, ac pugnarē ſi opus eſſet: citra tamen Græcæ linguæ reprehenſionem quam loco parentis linguæ noſtræ ſemper ſuſcipiendam ac colendā eſſe arbitror. Verū cur mihi uitio dari debet, ſi id quamuis perexiguum quod in me eſt literarum Græcarum uolo cupientibus amicis cōmunicare? Deinde cum Poëta dixit magis turpe eſſe neſcire Latine, id quoq; uoluit ſignificare, turpe eſſe Græce neſcire. Si enim tu te aliquo doctiorem eſſe dicis, & recte cōparare uelis: illum quoq; doctum eſſe fateare neceſſe eſt. Præterea quanquam non eo ſum præditus ingenio, nec ea eloquentia, ut doctiſsimis uiris ſatisfacere poſsim: tamen in tam frequenti ſcolaſticorum conſenſu credendum eſt multos eſſe, quibus lectio mea non mediocriter prodeſſe poſsit: illis ergo cupientibus & rogantibus, æquum eſſe ac laudabile mihi uidetur aliqua in parte ſatisfacere. Quod aūt experientes rerum amici conſulunt, ut uideam ne ab auditoribus deſtituar: eſſet quidem non turpe ſed turpiſsimum, non mihi tantum, ſed huic tantæ ciuitati, in ea nō reperiri literarū Græcarū diſcipulos, in qua etiā Barbararū literarū diſcipuli reperiūtur, in qua etiā tonſores, ſaltatores, gladiatores & huiuſmodi artifices habēt ſectatores & diſcipulos. Cæterūmulti adſunt in hoc auditorio, q literarū Græcarū dulcedine & utilitate iam capti ſe mihi perpetuos diſcipulos obtulerūt. Speroq; plures alios cū literis Græcis uel ſummis labris deguſtarūt, itidē eſſe facturos. Nā cū Grāmatici, Dialectici, Rhetorici, Aſtrologi, Medici, omneq; fermè diſciplinarū genus ex lectione Græca ſe fructū cū uoluptate capere ſentiēt, uniuerſi ad me audiendum cōuolabunt: & aberit ut à me rogētur, ut ultimò ipſi me rogent. Omnes enim & utilitatis & uoluptatis amatores ſumus. Itaq; mihi pſuadeo lectionē

*ita omnibus fore gratam, ut multos mihi auditores ſit conciliatura. Præſertim unus de quo poſſum id dicere, quod Antimachus Poëta clarus dixiſſe fertur, Nam cum eum uolumen ſuum magnum quidem legentem, omnes præter Platonē reliquiſſent, Legam, inqt, nihilominus. Plato enim mihi unus inſtar eſt omniū: ita et amicus ille meus quem nominare nolo, mihi ſolus pro multis ſatis erit. Fortaſſe tamen fortunatior ero, & doctrina mea ita grata erit, ut multos mihi auditores ſit conciliatura. Ne expectetis ideo, ut in inuitos beneficium conferre uelim. liberi eſtis, & in libera ciuitate uiuitis: quiſque iter ſuum proſequatur: neminem cogere poſſum, nec cogerem ſi poſſem. Tantum uos hortari poſſum, & faciam fortaſſis ſi tempus permiſerit. Nunc conſiliū meum audite breuibus. Statui ergo linguam Græcam Latinè interpretari, nō ut noceam, ſed ut proſim: non ut doctrinam meam oſtentem, ſed ut indigentibus impartiar, ut inuidiam euitem: ne has literulas tāquam theſaurum in me recōditum tenere uidear, ne quis in celeberrimo Bononienſi Gymnaſio, in quo fere omnes bonæ diſciplinæ leguntur, literas græcas deſideret: ut denique mihi ipſi utilis ſim. ſcio enim quātum quis non legendo dediſcat. Poſtquam igitur his rationibus moti, rem propoſitam exponere decreuimus, hunc ordinem in noſtra oratione ſeruabimus. primū namq; quā utiles quamúe neceſſariæ ſint Latinis literæ Græce declarabimus. Deinde quoniam Homerum, ſi uobis placebit lecturi ſumus, de eius præſtantia quædam ſubiungemus. poſtremo ad expoſitionem deſcendemus, & hæc omnia, tum breuiter, tum delicate ita dicemus, ut ſermo noſter uoluptatem potius quam faſtidium uobis pariturus ſit. Quam utiles, quamúe neceſſariæ ſint noſtris literæ græce, ſcio multos ex uobis nō ignorare: ſed ne ſcientibus pro captu ingenij declarare conabor. Ariſtoteles Peripateticorum princeps lib. primo de Naturali auditu ſic ſcriptum reliquit,* τότε γὰρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσομεν τὰ πρῶτα καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρώ-

τας

τας μέχρι τῶν ςοιχείων, id eſt, tunc enim putamus cognoſcere unumquodque quando cauſas primas cognoſcimus, & prima principia uſque ad elementa. Veriſſimè & elegantiſſimè profecto, ut reliqua, ſic hoc præſcripſit doctiſſimus Philoſophus. quomodo enim deriuatiuum ſine primitiuo cognoſcere poſſumus? Nos ergo qui literas Latinas callere peroptamus, numne earum principia & elementa cognoſcere debemus? Ita ſane. Sed quæ ſunt literarum Latinarum principia ſiue elementa? Nempe literæ Græcæ. Et quo argumento, quáue autoritate iſtud comprobabis? argumento certe ualido & doctorum uirorum autoritatibus. Nam ſi quis literarum Græcarum & Latinarum figuras, ſiue ut Græci dicunt, χαρακτῆρας priſcos inter ſe conferat, certe eoſdem pene eſſe iudicabit. Nónne magnum hoc eſt argumentum alteram ab altera lingua fluxiſſe? At ne quis temporum ignarus ambigat, utra prior fuerit, Quintilianus audiatur: qui in primo Inſtitutionum libro ſic ſcripſit, Sermone Græco puerum incipere malo, quia Latinus qui pluribus in uſu eſt, uel nobis nolentibus ſe perhibet: ſimulq; quia diſciplinis quoque Græcis prius inſtituendus eſt, unde & noſtræ fluxerunt. Priſcianus quoque Cæſarienſis Grammaticorum longe doctiſſimus in procœmio libri ſui ad Iulianum Conſularem uirum ſic ait: Cum omnis eloquentiæ doctrinam & omne ſtudiorum genus ſapientiæ luce præfulgens à Græcorum fontibus deriuatum Latinos proprio ſermone inuenio celebraſſe, & in omnibus illorum ueſtigia liberalibus conſecutos artibus uideo & reliqua. idcirco bene prius Cicero doctrinarum lux altera libro. 3. de Oratore ſic Græcos laudauerat: Sed ut ad Græcos referam orationem, quibus carere hoc quidem ſermonis genere non poſſumus? nam ut uirtutis à noſtris, ſic doctrinæ ab illis ſunt exempla repetenda, ſeptem fuiſſe dicuntur uno tempore, qui ſapientes & haberentur & uocarentur. Ad hæc literas noſtras à Græcis fluxiſſe, nónne id magnum eſt argumentum: quod adhuc omnes

artes omneſq; diſciplinæ liberales nomina Græca ſeruant, nec ea alio nomine appellare Latini recte poſſunt. γραμματικὴν dico καὶ διαλεκτικὴν, ῥητορικὴν, ἀριθμητικὴν, γεωμετρίαν, μουσικὴν, καὶ ἀστρονομίαν. Nónne Philoſophiæ nomen Græcum eſt? nónne & partes Philoſophiæ Græcis nominibus appellantur? λογικὴ, φυσικὴ, ἠθικὴ, πολιτικὴ, μοναστικὴ, οἰκονομικὴ. Quid de Medicina dicam cuius partes non niſi Græce nominantur: κλινικὴ, θεραπευτικὴ, χειρουργικὴ, φαρμακευτικὴ, & aliæ ſpecies. quid memorem morborum & ægritudinum nomina? quid lapillorum? quid herbarum penè infinita uocabula, quæ non aliter quam Græce proferuntur. Quo nam modo hæc ſine literis Græcis plenè intelligi poſſunt? Quo nam pacto Muſicus ſiue Arithmeticus nomina proportionum, tonorum, chordarum proferre ſine barbarie poterit niſi literas Græcas calluerit? Videmus præſtantes linguæ Latinæ autores fabulis, uocabulis, figuris, exemplis, autoritatibus Græcis uti, Priſcianum dico: ut à poſterioribus incipiam, Seruium, Donatum, Hieronymum, Lactantiũ, Suetonium, Cornelũ Celſum, Ciceronem & antiquiores alios cõplures, quis hæc merus Latinus intelliget? Omitto Poëtas qui profunda Græcarum literarum ſcientia libros ſuos referſerunt. Sic mihi uidetur Magnifice Rector uosq̃; præſtantiſſimi ac doctiſſimi uiri, & idem uobis uideri credo, literas Græcas noſtris eſſe plurimum utiles atq; neceſſarias. Quamobrem Horatius Poëta Venuſinus acutiſſimus nõ immeritò ſic Piſones ſuos admonuit, Vos exemplaria Græca Nocturna uerſate manu uerſatè diurna. & qua re? quoniam, Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotũdo Muſa loqui preter laudẽ nullius auaris. Et Cicero pro Archia poëta de eiſdem ſic teſtificatus eſt, Si quis minorem gloriæ fructum putat ex Græcis uerſibus percipi, quam ex Latinis uehementer errat. propterea quod Græca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina ſuis finibus exiguis ſanè continentur. De autoritate fideq; quam uerba Latina à Græcis ſumpta conſequuntur nihil uobis dico. Idem Horatius ſatis dixit,

*dixit, Et noua ficta'q; nuper habebũt Verba fidem ſi Græco fonte cá dent parce detorta.* De dulcedine *linguæ nihil etiam ſum dicturus: quæ quanta ſit puto uos à* Quintiliano *audiuiſſe, qui ſic libro ultimo* Inſtitutionum *memoriæ mandauit:* Itaq; *tanto eſt ſermo* Græcus Latino *iocundior, ut noſtri* Poëtæ *quotiens dulce carmen eſſe uoluerint, illorum id nominibus exornent.* O *lingua facũdiſsima, ô lingua cunctarum bonarum artium inuentrix, ô lingua linguarum ſuauiſsima: quis erit tam ruſticus, tam* Barbarus, *tam ferus qui te non amet, non diſcat, non laudet, non ueneretur?* O *dementes illos, ô cæcos, ô humanitatis expertes: qui linguam* Gallicam, Germanicam, Illyricam, Arabicam, *cæteroſq; ſermones* Barbaros, *cõmercij gratia ediſcũt, & Atticam linguam* Romanæ *linguæ altricẽ & olim, & etiam nunc in ea* Italiæ *parte quæ* Græcia Magna *dicta eſt habitãtem penéq; noſtratem iacere patiuntur.* Atqui *hoc loco forſitan erunt, qui dicant doctos uiros res ipſas magnificare non uerba. quibus ſi ocium eſſet probarẽ & Stoicos & Peripateticos Philoſophos, & item illuſtres* Iureconſultos *de uocabulis ſæpenumero cõtendiſſe, & ex eis argumenta ſumpſiſſe.* Nónne *apud priſcos* Iurecõſultos *liber eſt de* Verborum *ſignificationibus? ubi multa uocabula ad pleniorem expoſitionem* Græce *interpretantur?* Si *ergo ſermo* Græcus *eius generis eſt, ut eo carere* Ciceronis *ſententia non poſsimus, ſi tantam præbet utilitatem, ſi tam neceſſarius eſt* Latinis *diſciplinis, ut abunde ſuprà demõſtratum eſſe credimus: turpe erit (pace huius magnificæ ciuitatis dicam) in tanto ſcholaſticorum numero non reperiri, qui ſe* Græcarum *literarum diſcipulos faciant.* Nemo *à ſacrarum legum lectionum, nemo à* Philoſophia, *nemo à* Medicina *ſermone meo ſe dehortari putet: quiſq; cœptum iter proſequatur.* Sed *adoleſcẽtes iſtos qui manſuetioribus* Muſis *ſe mancipauerunt, exhortor ut ſingulis diebus ſaltem feſtis, ſi poſſunt (ut credo) horam unam reliquis ſtudijs ſuffurentur, illamq; Græcis literis audiendis totam impendant.* Audite *quæſo adoleſcentes optimi, quid ſuper audiendi ſtudio dæ-*

monium moneat Iſocrates Rhetor eloquentiſſimus, ἢ γοῦν τῶν ἀκουσμάτων πολλὰ πολλῶν χρημάτων εἶναι κρείττω τὰ μὲν καὶ ταχέως ἀπολείπει τάδε πάντα τὸν χρόνον παραμένει σοφία καὶ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον, id eſt, exiſtima auditiones multas multis pecunijs eſſe meliores. hæ nanque celeriter deficiunt: illæ uero toto tempore permanent. Sapientia enim ſola poſſeſſionum immortalis, idem ſubinde proſequitur, μὴ κατοκνεῖ μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι πρὸς τοὺς διδάσκειν τι χρήσιμον ἐπαγγελλομένους αἰσχρὸν γὰρ μὲν τοὺς ἐμπόρους τηλικαῦτα πελάγη διαπερᾶν ἕνεκα τοῦ πλείω ποιῆσαι τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν, τοὺς δὲ νεωτέρους, μηδὲ τὰς κατὰ γῆν πορείας ὑπομένειν ἐπὶ τῷ βελτίω καταστῆσαι τὴν ἑαυτῶν διάνοιαν, O uerba pretioſa, quæ ſic Latine interpretantur: Ne torpeſcas longam uiam ire ad aliquid utile docere profitentes. turpe eſt enim mercatores longinqua maria pertranſire cauſa amplificandi præſentem ſubſtantiam: iuniores uero neque per terram iter tolerare ad mentem meliorem conſtituendam. Cæterū ſi uos iſta uerba non mouent, moueant præclara Philoſophorum facta Xenocratis, Crantoris, Archeſilæ, Lacidæ, Ariſtotelis, Theophraſti, Zenonis, Cleanthis, Chryſippi, Antipatri, Carneadis, Panætij, Clytomachi, Philonis, Antiochi, Poſsidonij, innumeraliumque aliorum: qui è patria ſemel egreſſi philoſophandi cauſa, nunquam domum, ut ait Cicero, reuerterunt. Moueat uos inquam, diuinus Plato, qui non contentus Athenis (in quibus ſe natum fuiſſe gloriari ſolebat) non Socrate præceptore doctrinæ fertiliſſimo, Aegyptum peragrauit: & demum inde in eam Italiæ partem, quæ Magna Græcia dicta eſt, ut Pythagoreos audiret ſtudioſiſſimè iter ſuum direxit. Atqui difficile & arduum eſt peregrinam linguam quinque dialectos habentem ediſcere. Difficile quidem: ſed num cenſetis eam uobis molli ſtrato quieſcentibus ſe infuſuram? Sanè illud Horatianum mihi legiſſe ui-

demini

demini. Nil ſine magno Vita labore dedit mortalibus. Neque uobis in mentem uenit illud Catonis Cenſorij mirabile exemplum: qui inter tot militares ac domeſticos labores literas græcas iam ſenex didicit, ut eſſet omnibus documento (ut uerbis Quintiliani utar) ea quoque percipi poſſe quæ ſenes concupiſſent. Quid uobis memorem. M. Tullij ſingularem induſtriam? quid. C. Plinij? quid diuini Hieronymi totius penè orbis peragrationem: Optime medius fidius Ariſtoteles: qui interrogatus ubi habitarent Muſæ, reſpondit: non in Parnaſo, non Athenis, non Bononiæ, ſed ubinam? ἐν ταῖς τῶν φιλοπόνων ψυχαῖς, hoc eſt, in laborum ſtudioſis animis. Sed ſi uellem omnia hæc quæ ad huius generis exhortationem pertinent oratione complecti, nunquam hodie finem facerem. De hac re, & de Græcarum literarum laudibus ſatis: iam de Homeri præſtantia loquamur. Volebam magnifice Rector & literatiſſimi uiri, & ita præmeditatus ueneram de Homeri patria dicere: quemadmodum ſeptem urbes de origine eius contendebant, quod magnæ præſtantiæ argumentum erat. item quare poſtea Homerus dictus qui prius Meliſſigenes, quo tempore floruiſſet, quo mortis genere perijſſet, & alia quædam: ſed uideo animos ueſtros orationis meæ iam finem expectare. iſta in aliud tempus omittemus unà cum tertia diuiſionis noſtræ parte. De Homeri præſtantia tantum & ſummatim ſi uobis libet, dicemus, attendite ergo. Et ſi tamen ut finem faciam uultis, fiat. nos in poſtera lectione promiſſis ſatisfaciemus: ſed uideo uos libenter audire. Præſtantiam Homeri poſſem ego uobis ex officio ſiue profeſſione, quia poëta fuit: ex patria, quia ſecundum aliquos Athenienſis: ex uaria & multiplici ſcientia qua præditus fuit abunde monſtrare, uerum ea præterire uolo: & uno argumento excellentiſſimam eius concludere, quod ex innumerabilibus pene poſt ipſum Homerum ſcriptoribus tam Græcis quam Latinis nullus ferè fuit, qui non cum nominarit: & ꝗ nominarũt eum ſemper aliquo illuſtri titulo decorauerũt.

*Ex plurimis aũt in conſpectũ ueſtrũ nonnullos ſubijcere quibuſdam alijs inſertis decreui. Hic eſt igitur ille Homerus, quẽ Ariſtophanes Athenienſis Poëta ἐν Βατράχοις, id eſt, in ranis θεῖον, hoc eſt, diui num appellat. hic eſt ille Homerus quem Philoſophorum princeps Plato τὸν ἄριστον καὶ θειότατον τῶν ποιητῶν, hoc eſt, optimum ac diuiniſsimum Poëtarum dicit. hic eſt ille Homerus propter quem Alcibiades Athenienſis Grãmaticum eo carentem pugno perɫcuſsit. hic eſt ille Homerus, quem Alexander ille Macedo rei militaris uiaticum eſſe dicebat, & ſub puluinari unà cum enſe tenere conſueuerat. hic eſt ille Homerus, cui idem Alexander ſcrinium Darij Perſarum Regis auro, gemmis, margaritisq́; pretioſum dedit. hic eſt ille Homerus, propter quem ille idem Alexander Achillem fortunatum appellauit, quod talem nactus fuiſſet præconem laudũ ſuarum. hic eſt ille Homerus, cui tanquam deo Colophonij ſtatuas erexerũt. hic eſt ille Homerus, quem Cicero noſter in quæſtionibus Tuſculanis ſic laudare non dubitauit: Traditum eſt etiam Homerum cæcum fuiſſe: at eius picturam non poëſim uidemus. Quæ regio? quæ ora? qui locus Græciæ? quæ ſpecies formæ? quæ pugna? quæ acies? quod remigium? qui motus hominum? qui ferarum non ita expictus eſt ut quæ ipſe nõ uiderit, nobis ut uideremus effecerit? Hic eſt ille Homerus, qui Vergilium quantus eſt effecit? hic eſt ille Homerus, qui primus carmen Heroicũ illuſtrauit (ut Horatius refert ad Piſones ſcribens) Res geſtæ Regumq́; Ducumq́; ac triſtia bella Quo ſcribi poſſent numero monſtrauit Homerus. hic eſt ille Homerus, qui Strabonì Coſmographiam pinxit. hic eſt ille Homerus, à quo Comœdia & Tragœdia initium ſumpſerunt: Tragœdia ab Iliade, Comœdia ab Odyſſea hic eſt ille Homerus, à cuius fonte tam Græcorũ quam Latinorum riui manauerunt. quod optime cecinit Naſo: Aſpice Mæoniden à quo ceu fonte perenni Vatum Pierijs ora rigantur aqs. hic eſt ille Homerus, quem prudentiſsimi Iureconſulti pro ueriſsimo teſte producere non dubitauerunt: ut Imperatorijs inſtitutionibus,*

*titulo*

titulo de emptione & uenditione. hic eſt ille Homerus, quem Claudius illuſtris Iureconſultus Digeſtis de pœnis præcipuorũ Poëtarum: & Caius de Verborum ſignificationibus ſummum Poëtarũ nominant. hic eſt ille Homerus, quem Fabius Quintilianus maximæ ſcriptor autoritatis ſic laudat, ſic admiratur, ut me quæ de Homero ſcribit perlegentem ſtupidum faciat. poſt enim multas & immortales laudes ſic cõcludit: q̃d in uerbis, ſentẽtijs, diſpoſitione totius operis: nónne humani ingenij modum excedit? ut magni ſit uiri uirtutes eius non ſolum æmulari, quod fieri non poteſt, ſed intellectu ſequi? Verũ hic omnes ſine dubio & in omni genere eloquẽtiæ procul à ſe reliquit. hic eſt ille Homerus, à quo ( ut probat Plutarchus ) omnes Philoſophorũ ſectæ principia ſumpſerunt. hic eſt ille Homerus, de quo Lucianus orator ſic ait: ἀλλ᾽ ὁ μεγαλοφωνότατος ποιητῶν ὅμηρος, hoc eſt, ſed reſonantiſſimus Poëtarum Homerus. hic eſt ille Homerus, quem in Rhetoricis ſuis Hermogenes θεσπέσιον καὶ ἱεροφάντην, id eſt, diuinum & ſacrorum demõſtratorem nuncupauit. Vultiśne plura audire. hic eſt ille Homerus, quem parentem eloquentiæ deum. L. Columella uocauit. hic eſt ille Homerus, quem C. Plin. principem literarum: & alio in loco fontem ingeniorum: quemúe A. Gellius ſapientiſſimũ uocauerunt. hic eſt ille Homerus, quem Macrobius omniũ inuentionũ fontem & originẽ appellat: & in alio loco naturæ cõſcium. hic eſt ille Homerus, quem Apuleius Platonicus multiſcium & cunctarum rerum apprimè peritum nominat. & ut aliquando concludamus, hic eſt ille Homerus, quem Græci Poëtarum Philoſophum & Philoſophorũ Poëtam cognominauerunt: Priſcianus antiquitatis autorem. Non igitur mirum eſt, ſi huius celeberrimi Poëtæ opus humani animi precioſiſſimum eſſe Plinius exiſtimauit. Et ſi nos Quintiliani autoritatem ſecuti ab eo auſpicium literarum Græcarum ſumere cõſtituimus. Non poſſum uobis enunciare, quanto gaudio quantaq; animi dulcedine hoc ſacrum carmen expono. Adeſte ergo frequentes & beneuoli & dociles:

*orateq́; immortalem Deum, ut & uobis & Codro concedat perpetua mentis & corporis ſalute gaudere: optateq́; ut dies feſti celeriuſcule aduolent, ut maximam celerius utilitatem & uoluptatem ex hac lectione referre poßitis.*

## ANTONII CODRI VRCEI SERmo Octauus, in Homerum habitus.

*SOlent prudentes cõuiuæ, cum cœna apponitur dubia, hũc & illũ cibũ prægustare, & quẽ ſuauißimũ ac omniũ optimũ eſſe cognouerint, illũ carpere, & in eo cœnã ſuam terminare. Hũc morẽ ſane laudabilẽ, nos quoq; ſuperioribus annis cum imitari cœpiſſemus, hoc anno exequi decreuimus. nam cũ ad literas Græcas interpretãdas deſignat eſſemus. Primo anno Homerũ illum quem diuinißimũ ac ſapientißimũ Poëtarũ Plato appellauit tentauimus: altero anno Heſiodũ Aſcræũ, qui in dicendi mediocritate primũ tenet locũ: tertio anno Theocritũ Syracuſanũ in paſtoricia ſimplicitate non imitabilem, aggreßi ſumus: & quantũ quiſq; illorum ualeret ponderauimus. Nunc autem quarto anno ad magniloquentiam Homeri reuerti conſtituimus, & in eo cœnam noſtram cõſummare. nam quamuis nihil Heſiodi ſententijs grauius, ac uitæ humanæ cõducibilius reperiri queat. quamuis ſuauitate Theocriti, & uitæ puritate, nihil ſuauius, nihil purius: tamen Homeri culpa (ut ita dicam) & ſuccus plenius ſaturat, plus nutrit, & maiores uires miniſtrat ac præbet. In Homero nanque omnium artium ac ſcientiarum magiſtro habentur, ac diſcũtur omnia, q̃ humanus animus diſcendi uel cupidißimus optare poteſt. Hũc Grãmatici illuſtres, hũc Rhetorici acutißimi, hũc Medici experiẽtißimi, hũc Philoſophi ſapiẽtißimi, hũc Iuriſcõſulti iuſtißimi imitãtur ac colũt. Hinc exẽpla, hinc mores, hinc dogmata, hinc leges hauriũt ac ſequũtur. Ab Homero milites ac Imperatores artem*

*milita-*

militarē didicere: ab Homero reges optimates ac populares rēpub. regere docti fuere. In ſumma qcquid boni, quicqd terſi, quicqd quod eruditionē ſapiat à Græcis habetur, Homero acceptū refertur. Sed quid eſt hoc de Homero, cum anno ab hinc quarto tot ac tanta de eo hoc in loco prædicauerim, ut etiam hi parietes meminiſſe debeāt ac poſsint. Verū quoniā nōnullos in diſciplinis nouicios in præſentia hu ic noſtræ orationi intereſſe uideo, q ſuperioribus annis nō interfue rūt, uolo illis bene auſcultātibus de Homeri uita pauca quædā ferre, ut ſi quādo rogarētur, ſciant reſpondere q̄ de patria eius & morte ſcriptis mandata fuerint. Homerus diuini ingenij Poëta filius fuit ſecundum quoſdam Maronis & Ornethus, ſecundum alios Meletis fluuij & Critheidos Nymphæ. unde meleteas chartas appel lauit Tibullus ad Meſſalam ſcribens, Homericas. Alij autem genus ipſius in Calliopem Muſam referunt, & dicunt ipſum Meliſſogenen & Meliſsiana prius nominatum: poſtea uero occæcatum Homerum uocatum. Aeoles enim cæcos ὁμήρους uocant, cum cōmuni lingua ὅμηρος obſidem ſignificet. hoc de ſe in Apollinis hymno Poëta ipſe cantauit, τυφλὸς ἀνὴρ οἰκεῖ δὲ ἐχίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ, id eſt, cæcus uir habitat autem in Chio aſpera. & Martianus in Philologiæ nuptijs ſenem cæcutientem appellauit, Cæcutientis Mæonij ſuauiloqua ſenectus. Non poſſum non referre hoc loco, de Homero Ciceronis iudicium in quinta Tuſculana: Traditum eſt etiam Homerum cæcum fuiſſe, at eius picturam non poëſim uidemus quæ regio? quæ ora? qui locus Græciæ? quæ ſpecies formæ? quæ pugna? quæ acies? quod remigium? qui motus hominum? qui ferarum non ita expictus eſt: ut quæ ipſe non uiderit nobis ut uideremus. effecerit. præceptorem Homeri reperio apud Strabonem fuiſſe ſecundum aliquos Creophilum Samium: ſed alios, Ariſteum Proconneſium. Quæ fuerit Homeri patria multo maxime diſſentitur. nam hi quidem Smyrnā: unde Smyrnæus à Lucano dicitur, Quantū Smyrnæi durabunt uatis honores, alij Chium, alij Colophona, alij

*Athenas patriam eius dicunt. ſecundum Pindarum Smyrnæus fuit, ſecundum Simonidem Chius, ſecundum Antimachum & Nicandrum Colophonius, ſecundum Bacchylidẽ & Ariſtotelem Philoſophũ ἰήτης, hoc eſt, ab Io, ſecundum Ephorum & Hiſtoricos Cumæus: Ariſtarchus uero & Dionyſius Thrax dicunt eum fuiſſe Athenienſem, quod & Diomedes Grãmaticus apud nos cõfirmare uidetur. Nõ deſunt qui dicunt eum fuiſſe Salaminium, nec etiam qui Aegyptium à Thebis illis olim centum portas habentibus. Quamobrẽ uerſus illi notiſſimi uulgati ſunt:*

ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν ὁμήρου,
σμύρνα, ῥόδος, κολοφῶν, σαλαμὶν, χίος, ἄργος, ἀθῆναι
*Septem urbes certant de ſtirpe inſignis Homeri,*
*Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos. Athenæ.*

*Ego aũt cum uideam tot uarias ſententias Homerum* κοσμοπολίτην, *id eſt, ciuem mundi, quod de ſe dicere ſolebat Socrates, appellarẽ. huic meæ ſententiæ cõuenit Antipater Poẽta ꝗ epigrãma huiuſmodi de Homero ſcripſit: quod Latinum Guarinus Veronenſis fecit.*

*Diceris à multis Colophonis alumnus Homere,*
*Hic tibi dat Smyrnam, præbet at ille Chium*
*Quin & Ion quidam, quidam Salamina ſuperbam,*
*Theſſaliam multi te genuiſſe ferunt.*
*Sunt & qui memorent alijs te ſedibus ortum.*
*Sic uarijs natus crederis eſſe locis.*
*Dicere ſi liceat mihi Phœbi oracula, mundi*
*Certa tibi patria eſt Calliopea parens.*

*Qua uero ætate uixerit etiam dubium eſt. omnino conſtat eum eſſe antiquiſſimum, & ante Romam cõditam uixiſſe, Siluijs Albæ regnantibus. poſt bellum Troianum, annis plus centum atq; .60. ante Romam uero conditam, ut Cornelius Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter. 100 & 60. Idcirco à Satyrico Poẽta dictum eſt, Atq; uni cedit Homero Propter mille annos. Et ſi quis in di-*

in digitos numerum ponat, reperiet ab ab ætate Homeri ad noſtra tempora duo milia & CCC. annos & amplius fluxiſſe. Circumiens autem urbes poëmata cantabat, poſtea uero Piſiſtratus ipſe congregauit, ut hoc epigramma declarat.

τρὶς με τυραννήσαντα τοσαυτάκις ἐξεπίδα
δῆμος ἐρεχθείδων καὶ τρὶς ἐπεσπάσατο
τὸν μέγαν βουλαῖς πεισίστρατον ὃς τὸν ὅμηρον
ἤθροισα σποράδην τὸ πρὶν ἀειδόμενον.
ἡμέτερος καὶ ἐκεῖνος, ὁ χρύσεος ἦν πολιήτης
εἴπερ ἀθηναῖοι σμύρναν ἐπῳκήσαμεν.

De morte eius illud legitur: quod cum Io inſula piſcatorum quæſtionem ipſi propoſitam neſciuiſſet ſoluere, triſtitia uictus uitam finiuit. ille enim adſtans interrogauerat, ἄνδρες ἀπ' ἀρκαδίης ἁλιήτορες ἦ ῥ' ἔχομεν. illi autem ueſtes pediculis purgantes reſponderant, ὅσσ' ἕλομεν λιπόμεσθ' ὅσα δ' οὐχ ἕλομεν φερόμεσθα. In ſepulchro autem eius inſcriptum eſt hoc epigrāma, ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον ὅμηρον. Habuit hic Poëta in ortu & occaſu ſuo ingens & præſagij plenum miraculum, ut in duobus locis res odoriferas ſignificantibus natus ſit & mortuus. σμύρνα enim Græce, ubi ſecūdum ueriorem opinionem natus eſt, myrrham ſignificat: Ios autem, ubi mortuus eſt, τὸ ἴον. id eſt, uiolam declarat. Hoc tamen in loco dubium quoddam oriri uaria legentibus poteſt. nam ſecundum Plutarchum & Solinum in Chio, ſecundum Plinium mortuus eſt in Syro. Vtrum ergo Ios & Chios ſunt idem, an alia: & ſi alia ſunt, Chios Græce quid odoramenti ſignificet indagandum eſt: cum ſecundum Plutarchum, ut nunc referebam in duabus ciuitatibus olentiſſimarum plantarum nomina habentibus natus ſit & deceſſerit. Hoc alias pluribus diſcutiemus, nūc ad calcem ſermonis noſtri properandum eſt. Scripſit aūt Homerus opera illa duo celebratiſſima Iliada & Odyſſeam, hoc eſt, bellum Troianū & Vlyxis errores. nam Mar

*giten nullus fere Homeri eſſe dicit: Vatrachomyomachiam uero nonnulli recipiunt, ut ex noſtris Statius & Martialis, aliqui non recipiunt. Et quamuis Poëta iſte princeps literarũ fuerit, tamen æmulis non caruit. Inuentus eſt enim Zoilus quidam, qui illius dormitationes collegit. unde de facti nomine Homeromaſtix eſt appellatus. uerũ calumniator ille Zoilus meritas linguæ ſuæ pœnas dedit. nã ut apud Vitruuiũ lib. 7. legere licet parricidij recreatus & damnatus male perijt. quod & Vergilio noſtro accidiſſe cõſtat, qui & ipſe habuit Vergiliomaſtiga cognominatum calumniatorẽ. Ex quo nos qui infantiſsimi præ Homero atq; Vergilio ſumus æquo animo maleuolorũ æmulationes ferre debemus, cũ nulla uirtus ſit quæ liuoris dentes poſsit euitare. Tertiũ librũ Iliados Homeri aggrediemur, in quo multa pulcherrima, ſed præcipue Paridis & Menelai monomachia deſcribitur. Hunc librũ & reliquos deinceps qui audierint & memoriæ mandauerint, tantum doctrinæ, tantum eruditionis Græce cõcipient, ut nihil fremè apud Græcos ſit lectione dignum, quod non facile & ſine preceptore intelligere poſsint. Plurima autem apud Latinos prius abſtruſa & ignorata ita clara & nota illis fient, ſiue legibus, ſiuè Philoſophiæ, ſiue medicinæ operam dent, ut unum Homerum prædicaturi ſint, ueram lucem cæcis illorum animis infudiſſe.*

## ANTONII CODRI VRCEI SERmo Nonus, habitus in laudẽ uitæ paſtoriciæ.

*PHiloſophiæ definitiones multas ac uarias me legere memini, magnifice Rector, uosq; prudentiſsimi uiri, quæ quidẽ magnopere mihi placuerunt & placent. Et cui nõ placerẽt ea, q̃ ad bene beateq; uiuendum excogitata ſunt: & quæ dũ legũtur nõ animũ tantũ ſed etiã cor ipſum quodãmodo attingere & delinire uidẽtur: Verũ in primis illa definitio ſuperioribus diebus uerior, & ut ita di*

cam

*tam ſuauior mihi uiſa eſt, q̃ à prudẽtiſſimis medicis ita memoriæ pro dita eſſe dicitur, φιλοσοφία ἐσὶν ἡ τ̃ ψυχῶν ἰατρεία, id eſt, Phi loſophia eſt animarũ medicina. Nam cum proxima præcipiti æſtate morbo acuto laborarẽ, qdam langor animi ſiue triſtitia, meipſum ita oppreſſit, ut nec libri qbus abundabã, nec pecuniæ quæ nõ deerant, nec rerum copia qbus domus referta erat huic malo ſatis reſiſtere poſſent: ſola philoſophia reperta eſt, quæ ægrotũ animũ triſtitia pe=nitus liberaret. etenim cum meipſum collegiſſem & amicorũ mecum philoſophantiũ cõſolationes ego ipſe philoſophãs cõſideraſſem, & ope philoſophiæ mẽte, & medici auxilio corpore, breui liber euaſi. Erant aũt quæ conſiderabã eiuſmodi, ut nihil morte melius homini à natura datũ ueriſſimis argumẽtis efficeretur: ſed tamen eam, nec op tandã eſſe, nec cũ ueniſſet metuendã. præterea neminẽ eſſe uel animi, uel corporis uel fortunæ bonis adeo felicem & copioſum, ut aliquo incõmodo nõ premeretur, ita rebus humanis neceſſario cogentibus. quæ nũc nõ eſt narrãdi locus. hoc auſim affirmare, niſi ita feciſſem, aut corporis medicationes parum profuiſſent, aut diuturno morbo oppreſſum me nunc orantem non audiretis. Quare non poſſum non uehemẽter probare Ariſtotelẽ philoſophũ acumine ingenij præſtan tiſſimũ & ſcriptorũ copia celeberrimũ, qui in eo lib. quo iuuenes ad Philoſophiã exhortatur ſic ſcriptum reliquit, εἰ μὲν γὰρ φιλοσο φητέον καὶ εἰ μὴ φιλοσοφητέον πάντως ἄρα φιμοσοφητέον. Nolite me oſtentationis accuſare uiri doctiſſimi, ſi orationi Latinæ Græca uerba intermiſceo. nõ enim ea cauſa facio, ut doctrinã meam oſtentẽ, q̃ minima eſt, ut ſæpe alias profeſſus ſum: ſed ut ij q Græce aliquantulũ profecerũt, ex nugis meis aliquid frugis domum repor=tent. Verba ergo Ariſtotelis ſic Latine interpretantur, Aut philoſo=phandum eſt, aut non philoſophandum: ſi philoſophandum, phi=loſophandum: ſi minus philoſophandũ eſt, cur non ſit ph loſophan dum? ergo omnino philoſophandũ. Hanc ſentẽtiam tam acutam, tam callidam pro exemplo adduxit Fabius Quintilianus, obſcurioribus*

*eam uerbis referens, quæ non niſi ab ijs qui humaniore ingenio præ dicti ſunt intelliguntur.* Ego itaq; Neoptolemum Ennianum *huic ar gumento contradicentem non probo, qui ſic ait,* Philoſophandū eſt *paucis. nam omnino haud placet.* Illud *potius* M. Ciceronis *uiri &* Græca *&* Latina *facundia præditi dictum ſummopere laudo, qui ad* Brutum *ſcribens, ſibi non paucis, ſed multis philoſophandū eſſe demonſtrat.* Ego *igitur & rationibus & experimento intelligens pulchrum ac utile eſſe abiectis nugis ſapere, conſtitui hodierna ora tione iſtos literarum ſtudioſos in meam ſententiam ſi potero, addu cere, hoc eſt, ut uelint mecum philoſophari &* Græce *quidem, po ſteaquam à* Græcis *omnium bonarū artiū inuentoribus principium recte philoſophandi habemus atq; ſectamur. Imitabor igitur expe rientes medicos, ut fecit* Lucretius Poëta *&* Philoſophus *antiquiſſi mus, qui ad* Mēmium *ſic ſcripſit: ſed ueluti pueris abſynthia tetra medentes, cum dare conantur, prius oras pocula circum contingunt mellis dulci flauoq; liquore, ut puerorum ætas improuida ludificetur labrorum tenus, interea perpotet amarum abſynthij laticem, decep taq; non capiatur, ſed potius tali facto recreata ualeſcat.* Sic *ego nūc quoniam hæc ratio plerunq; uidetur triſtior eſſe quibus non eſt tra ctata, ideoq; uulgus abhorret ab hac, uolui tibi ſuauiloquenti carmi ne* Pierio *rationem exponere noſtram.* Ego *quanquam non ignorās difficile eſſe his iuuenibus perſuadere: nihil utile niſi quod honeſtum, & paupertatem non eſſe malam, & philoſophiam mortis eſſe medi tationem, & multa id genus, decreui dulcibus* Aeſopi *fabellis animos iuuenum allicere, & ad bene uiuendum eos paulatim aſſueſacere, ut poſtea iactis fundamentis altiora poſſimus aſcendere. Addam his &* Theocriti Idyllia, *quæ multam præ ſe ferunt philoſophiam:* Vita *enim illa paſtoralis quandam habet in ſe ſimplicitatem ab omni am bitione, cupiditate, & auaricia ſemotam. quæ uitia ſolent ſæpe ani mos hominum tranſuerſos agere.* Ad Aeſopi *fabellas interpretan das non ſolum ratio ſuperior me exhortatur, ſed &* Hermogenis

Orato-

Oratoris ſummi autoritas.qui ut uerbis Priſciani interpretis utar, ſic in præexercitamentis Rhetoricæ ſcripſit: Fabula eſt oratio ficta uerisſimili diſpoſitione imaginem exhibens ueritatis. Ideo autẽ hanc primam tradere pueris ſolent oratores, quia animos eorum adhuc molles ad meliores facile uias inſtituunt rite. Et ne uidatur fabula tanquam uilis & ridicularis cõtemnenda, audite quæ idem Orator prudẽtiſſimus ſubiungit: Vſi ſunt ea tamen uetuſtiſſimi quoq; autores, ut Heſiodus, Archilochus, Horatius, Heſiodus quidẽ Luſiniæ: Archilochus aũt uulpis, Horatius muris ruſtici & muris urbani. Rebus igitur ſic habentibus non alienum à propoſito meo facere uidebor, ſi expoſuero primum quare iuuentæ ſunt fabulæ, quot'ue earum ſint ſpecies, De autore earum. Deinde ſi utilis & laudanda ſit ars paſtoria, & quid ſit ad illum, & quare inuenta ſit bucolica: & omnia hæc non ad faſtidium, ſed ad ſatietatem ſubiunxero. Quæ quidem antequam faciam, uolo poſtquam me attentiſſime auditis uobiſcum ratiocinari, & quandam rem meam uobis enarrare. Non exiſtimabam Magnifice Rector hoc anno, nec fortaſſe inquam, amplius literas Græcas me lecturũ tum propter acutã febrem, quæ me proxima æſtate de morte ſollicitum faciebat, ut his accidere ſolet, quos Græci μικροψύχους appellant, qualis ego ante omnis ſum: tum quia duobus iam exactis annis quibus literas Græcas interpretatus ſum, nihil ſtipis, nihil mercedis mihi exolutum fuerat. Verum & Balthaſſare Forliuienſis Philoſophi ac Medici doctiſſimi curatione ac uigilantia. & optimatum Bononienſium ope & liberalitate, in primiſq; Ioan. Bentiuoli Principis noſtri & patris patriæ optimi ſtudio, utriq; morbo cito prouiſum fuit. nam & Medicus corpori, optimates fortunæ priſtinam ſanitatem reddiderunt: quibus & egi, & agam dum uiuam, gratias immortales. Præterea, quoddam omen neſcio quomodo in lectionibus meis ſe demõſtrauit, quod utrũ bonum an malum ſit, nequeo dijudicare. Nam cum Vergilius Maro diuinus ut aiunt, uates in operibus ſuis ſcribũdis à ſiluis ad agros, ab agris ad ar-

*ad arma uenerit:ego ad literas Græcas exponendas delectus primo anno à magniloquentia Homeri exordium feci: ſecundo anno, ab Homero ad agricu'turam Heſiodi tranſiui. Nunc uero ab Heſiodo ad paſtoriciã uitã deſcendi, à ſummo ſcilicet ad imũ ſemper declinans. Et cũ eodẽ modo mecũ cogitarẽ, exiſtimaui Horatianũ illud mihi poſſe cõuenire, Parturient mõtes, naſcetur ridiculus mus. Quanquam ſi examuſsim Theocriti præſtantiam conſiderare uelimus, non ita fortaſſe dicendum erit, ut ego exiſtimaui. Nam cum Vergilius tres ſibi Poëtas Græcos imitandos propoſuerit: Homerum ſcilicet, Heſiodum & Theocritũ: Homerũ in Aeneide æquauit, ut multorũ fuit iudicium. quod & Iuuenalis tetigit, Conditor Iliados cãtabitur atq; Maronis Altiſoni dubiã facientia carmina palmã. Heſiodũ in Georgicis ſuperauit: Theocritũ in Bucolicis non modo non æquauit, ſed ab illo ſuperatus eſt & in carminis bucolici maiore obſeruantia, & paſtoriciæ uitæ digniore figmento. Ad rem igitur propoſitam redeamus. Fabulæ inuentæ ſunt ut teſtatur Macrobius aut tantum cõciliandæ auribus uoluptatis gratia: ueluti ſunt Comœdiæ Ariſtophanis, Menandri, Plauti, Terentij, & aliorum Comicorum: aut adhortationis quoq; in bonã frugem cauſa, ut ſunt Aeſopi fabulæ, elegãtia fictionis illuſtres. Fabularũ quæ auditũ mulcent ſpecies ſunt, Tragœdia & Comœdia. quarum etiam aliæ ſunt ſpecies: palliata habitũ Græcũ referens, togata Romanum. & togatarum ſpecies aliæ prætextata, nobilium uirorum, tabernaria humilium, Atellana ridiculorum minus laſciuorum acta comprehendit. Earum autem fabularum quæ ad uirtutes hortantur ſpecies ſunt duæ. aliæ enim ſimpliciter mẽdaces ſunt, & ex toto fictæ: ut lupi & agni, uulpis & ciconiæ ſermones: aliæ ſub figmento, uerũ latenter oſtendẽtes. quales ſunt cerimoniarũ ſacra Heſiodi & Orphei, & quæ de deorũ progeniæ actu'ue narrãtur: ut Pallas nata de Iouis cerebro, Venus de ſpuma maris. & hæc ipſa dicitur narratio fabuloſa, nõ fabula: hæc tamen poſtrema ſpecies interdũ ad turpia & indigna numinibus, ut quod dij adulteri ſint,*

ſint,delapſa eſt.hanc ego ſpeciem non inter fabulas,ſed inter monſtra potius numerandam eſſe cenſeo,& à uirtutis honeſtate ſeiungendam. Autor ergo earum fabularum quæ iocoſæ ſunt,& præceptorum & doctrinæ plenæ fuit Aeſopus natione Phryx, fortuna ſeruus, animo liber: & non tantum ſeruus ſed omniū hominū turpiſsimus,ita ut Therſitæ Homerico compararetur.Erat enim ſimus,labeo,niger.unde & Aeſopus dictus eſt,id eſt,Aethiops,itē uētroſus, gibboſus,& quod eius erat,βραδύγλωσσος,id eſt,lingua tardus ita ut articulata uerba proferre non poſſet. Verū cum ipſe Aeſopus domini agrū foderet, Dianæ ſacerdos & alij quidam uiri errantes ad eum peruenerūt rogātes,quæ uia ad urbem duceret. Aeſopus eis primū cœnā ſub arbore parauit, poſtea dux uiæ factus eſt. Quare dormienti Aeſopo lingua ſoluta eſt,& ſapientia diuinitus data. Seruiuit aūt ſeruitutē multis dominis,tandē à Xantho Philoſopho poſt plurima in illum beneficia libertati traditus, uniuerſa orbis terræ loca peragrauit. Cum perueniſſet in Delphos, Delphi cognoſcentes Aeſopum ſeipſis prudentiorem,inuidia moti eum ſacrilegij accuſauerunt, & cum nihil profuiſſent defenſiones à Delphis præcipitatus uitam finiuit. Delphi poſtea peſte laborantes acceperūt oraculū,placandos eſſe manes Aeſopi.illi columnam Aeſopo erexerūt. Sed principes Græciæ intelligentes quæ in Aeſopū à Delphis facta fuerant, mortis Aeſopi grauiſsimi ultores extiterunt. Plurima de eius uita apud Græcos ſcriptores leguntur, ſed breuitatis gratia hæc à nobis delibata ſunt. Vt igitur hanc partem concludamus: nemo eſt uir præſtanti ingenio inſignitus, qui non Aeſopum ſapientem, facetum,& elegantem eſſe confiteatur: nemo eſt,qui illius fabulas ſumma cum uoluptate non legat. Quin etiam hæ fabellæ tantarum ſunt uirium,tantæq; uoluptatis,ut animos audientium ducere queant: ſiquidem Menenius Agrippa Orator miſſus ad Romanam plebem quæ à patribus in Sacrum mentem ſeceſſerat,nihil aliud recitauit niſi fabellā illam quæ de membr s cōtra uentrem cōiurantibus

argutiſsi-

*argutiſſime perſcripta legitur: qua recitata & ad rem ſuam accommodata, plebem ipſam in patrum gratiam traditur reduxiſſe. De fabulis hactenus. Nũc de uita paſtoria loquamur, de qua certe poſſem prolixam facere orationem adeo multa ſe mihi ingerunt exponenda. Verum breuitati conſulendum eſſe puto, & eius laudes per capita declarandum. Laudabo igitur uitam Paſtoriciam ab antiquitate à perſonis, à rebus geſtis, à rebus inuentis, à rebus ſacris, à rebus poëticis. Ab antiquitate, quoniam prima hominum in terris fuit uita paſtoricia. ante enim quã agricultura eſſet, paſtio certe fuit. pro cultis agris poſtea arma ſuſcepta ſunt. A perſonis, quia ut inquit Ouidius: Paſcebatq; ſuas ipſe ſenator oues. & ipſe Apollo Deus Medicinæ, Deus citharizationis, Deus auguriorum, Deus Poëtarum, Deus ſagittandi, Admeti Theſſaliæ regis pauit armenta. unde & Apollo Nomios Græce dictus eſt, id eſt, paſtoralis. & Dauid qui Goliam funda interfecit, paſtor fuit: & Argus, qui centum luminibus caput cinctum habebat. Polyphemus etiam paſtor: & qui Aeneam Vrbis Romæ autorẽ genuit Anchiſes paſtor fuit: & Daphnis Mercurij filius. Quinimo & Mercurius eloquẽtiæ Deus paſtorum princeps fuit, qui ſyringa, id eſt, fiſtulam inuenit. Pan deus paſtorũ fuit: Endymion qui lunæ curſum obſeruauit, paſtor fuit: & Veneri plurimum dilectus, & formoſus, ut ſcribit Vergilius, oues ad flumina pauit Adonis. Proteus paſtor fuit, quamuis Deus eſſet. uide Theocritum. 7. Oda. A rebus geſtis, quoniam qui Romam condiderunt Romulus & Remus paſtores fuere. Qui iudicium inter Deas de pulchritudine cõtendentes ferret, Alexander paſtor fuit. Qui ſpolia opima Ioui Feretrio prætulit paſtor fuit. Qui Romanos terruit, ac multis prælijs profligauit, Spartacus paſtor fuit. A rebus inuentis, quia quia qui magnetem lapidem, quem alij Heracleum appellant, inuenit, paſtor Magnes fuit. Qui oleum, & trapetas, & mel inuenit Ariſtæus paſtor fuit. A rebus ſacris, quoniam hinc pingues uictimæ dijs offerebantur. unde eximiæ & egregiæ dicebãtur*

*&*

*& ſacri porci. Præterea cum Reges ſacri ſint, tamen paſtorem populorum Agamemnonem appellat Homerus. Faunum Deum colunt paſtores. Nos quoq; Summum Pontificem noſtrum, paſtorem eccleſiæ nuncupamus. & in ſacrificio ſæpe uerba illa uſupare ſolemus: Quem paſtorem eccleſiæ præeſſe uoluiſti, unà cum grege ſibi credito ad dona perueniat ſempiterna. Adde & illud, quod multo pluris facio, & maximum eſſe duco, quod dux noſter & Dei filius & homo, quem Chriſtum appellamus & adoramus, non erubuit ſe paſtorem profiteri: Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Hæc diuina inſerere orationi meæ uolui, ne ignobiles iſti, & parum literati plebei credant nos eſſe erraticos, & Epicureos. Ad Poëtica reuertor. Vitam paſtoriam excellentem eſſe etiam Poëtæ meminerunt, qui in circulo 12 ſignorum arietem & taurum principes collocarunt. & quod magis mirandum eſt, ante Apollinem & Herculem Deos, qui ſub nomine geminorum cognoſcuntur. Atq; Italia unde dicta eſt? unde Boſphorus uterq;. Cimmerius ſcilicet & Thracius. unde Aegeum mare? unde Argos Hippion? nónne à uitulis, à bouis tranſitu, à capris, ab equis? unde Numidæ Aphricæ populi? nónne ἀπὸ τ̃ νομῆς, id eſt, paſcuis? De utilitate paſtionis dicerem multa, niſi ſoli lucem addere uiderer. Quis eſt q̧ neſciat præter bubulam, uitulinam, agninam, ſuillam, & reliquarũ pecudum carnem inde haberi, lac, caſeum, butyrum, lanam, ex qua tot ueſtium genera humanæ uitæ utiliſſima fiunt: de uoluptate etiam no tacerem, niſi manifeſtaria eſſet. ea eſt incredibilis, niſi aliquo incõmodo perturbetur. Illud Vergilianum etiam pueri ſciunt, Tytire tu patulæ. r. ſ. t. f. S. tenui. m. m. a. Item & illud, Tale tuum carmen nobis diuine Poëta Quale ſopor. f. in. g. q. p. h. d. a. ſ. ſ. r. r. & Theocritus ipſe ἁδύτι τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁπίτυς αἰπολε τήνα, ἃ ποτὶ ταῖς παγαῖσι μελίσδεται, ἁδὺ δὲ καὶ τὺ συρίσδες. De ſcientia paſtorali & de pecuaria dicere non omitterem, niſi res nimis prolixa eſſet, & nos ad finem orationis properaremus*

*raremus. Ea enim cũ in ter ternas partes diuidat, hoc eſt, nouenas, unaquæq; pars poſtea in nouenas alias partes diuiſa reperitur. Ita ſiũt minimum partes omnes octoginta & una, & quidẽ neceſſariæ, nec ut ait Varro paruæ. Hæc ſit ſumma ſummarum, hoc argumentum argumentorum, ſi paſtores primi terrarũ habitatores fuerunt, & aurea ætas prima omnium eluxit, ut nemo inficiatur: certe fatendum eſt paſtores aureæ ætatis cauſam fuiſſe, qua nihil melius, nihil laudabilius, nihil optabilius dici poteſt, in qua omnia læta, omnia pulchra, omnia cõmunia erant. Non tuba directi, non æris cornua flexi, Non galeæ, non enſis erat ſine militis uſu Mollia ſecuræ peragebãt ocia gentes. ut elegantiſſime Naſo decantauit: ſed ut idem refert, Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant, Flauaq; de uiridi ſtillabant ilice mella. Sed ohe iam ſatis atq; ſatis. multa de Idyllijs, de Bucolicis relinquo, quoniam omnia ſimul dici non poſſunt: nec (ut ut arbitor) dicenda ſunt, ut in alijs lectionibus aliquid noui quod dicamus, habeatur. Ad iſtos egregios iuuenes & ſtudioſos mea iam flectatur oratio. Expergiſcimini aliquando iuuenes, liberali ingenio præditi, & philoſophiam mecum capeſſite, nolite diffidere. Inuia uirtuti nulla eſt uia, ut monet Naſo. Vbi intenderitis ingenium, ualebit. Scitis Magnifice Rector uoſqúe Clariſſimi uiri, quare cum literæ Græce tam utiles, tam neceſſariæ, tam honeſtæ ſint, ut ſuperioribus annis, plurimis argumentis & autoritatibus probaui, & iſti non ignorant, tam pauci his literis operam nauare uelint? Nullam aliam reor eſſe cauſam, niſi diffidentiam quandam, qua non credunt ſe unquam ad ſcientiæ huius culmen poſſe peruenire, proponentes ſibi ſublimitatem Platonis, acumen Ariſtotelis, eloquentiam Demoſthenis, & aliorum incomparabilium ſcriptorum præſtantiam. Verum non intelligunt præſtare aliquid ſcire, quàm omnino nihil. Hoc accidit his iuuenibus, quod ſibi accidere Medea lamentatur,* καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾷν μέλλω, κακὰ θυμὸς δ' ἐ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.

quæ

Quæ uerba ita tranſtulit Poëta ingenioſus, Video meliora proboq́;, Deteriora ſequor. ita hi iuuenes præſtantiam literarum græcarum uident, ſed lucrandi cito cauſa deſertis Græcis, Medicinam aut Leges ſequuntur. Nunc uobis narrabo hoc quod ſuperioribus annis mihi accidit. nam cum omne fere ſtudiorum genus deguſtaſſem, nec me in eorum aliquo ita profeciſſe cognoſcerem, ut inter doctiſſimos numerari poſſem, dolebam & mecum lamentabar me ad illud æui ſine maiore ſcientia perueniſſe: ſed poſt multam cogitationem ex uerbis Vitruuij Pollionis non mediocrem mihi ipſi ſumpſi conſolationem. dixiqúe ſi non ſum in Grammatica Ariſtarchus aut Priſcianus: at non ſum ἀγράμματος, id eſt, illiteratus. ſi non ſum in Poëtica Homerus aut Vergilius: at non ſum omnino carminis expers. ſi nõ in Muſica Ariſtoxenus: at nõ ſum ἄμουσος, id eſt, ſine muſis. ſi non Demoſthenes aut Cicero in eloquentia: at non ſum penitus infans & elinguis. Si non habeo tot auditorum milia, quot alij egregij Oratores, & Theophraſtus, qui 10. milia habuiſſe fertur: at non careo auditoribus. hac conſolatione uſus nihil amplius opto, nulli inuideo: plures poſt me indoctos relinquo, quàm doctos ante me conſpicio. Ita uobis faciendum eſſe cenſeo iuuenes optimi. ſe fugite ocium, fugite uoluptatem eſcam malorũ, ut appellat Plato, non tædeat uos laborare, Poſtquam nil ſine magno Vita labore dedit mortalibus. Aud uiſtis anno ſuperiore apud Heſiodum Deos immortales ante uirtutem ſudorem poſuiſſe. & ſcitis Catonem illum Cẽſorium, in ſenectute operam literis Græcis dediſſe, multaq́; alia exempla in memoria habetis, q̃ uos non impeliũt tantũ, ſed etiã cogũt literas Græcas nõ deſerere: ſed nocturna & diurna manu uerſare. At ſi Menenius Agrippa fabella Aeſopica plebẽ patribus cõciliauit, ut ſuprà retulimus, cur non ego quoq; tentem ſi poſſum uos ad laborẽ fabula quadã excitare. Fuit olim Agricola qdam, q ægrotans & finem uitæ inſtare cernens filios ad ſe uocauit, ut illos ad opera ruſtica exhortaretur. dixitq́;, filij mei, ego iam e uita migro, uos

*autē quæ in uinea defodi quærite, & omnia inuenietis: illi exiſtimantes ſe theſaurum inuenturos, poſt patris obitum omnē uineam penitus repaſtinarunt, nec theſaurum tamen inuenerūt, ſed uites circunfoſſæ ac pulcherrime ablaqueatæ uberrimos fructus dedere. fabula declarat, quod labor theſaurus eſt hominibus. quod ita eſſe præſtātiſſimus uates cōfirmauit, Labor omnia uincit Improbus. Qui igitur dictis meis audiētes erūt ut plurimi erūt, hi laborū ſuorū dulciſſimos fructus ſuſcipient, & conſilio meo fideliſſimo & amātiſſimo ſe paruiſſe indies magis ac magis lætabūtur. Superioribus annis uiri Clariſſimi ego tanquam Poëta Poëtice uobis gratias egi: nunc tanquam Philoſophus aut potius philoſophaſter Philoſophice gratias ago, polliceorq; me beneficiorum ueſtrorum memoria ſemper apud me inuiolatam cōſeruaturum. Nam poſt has lectiones, rurſus ad magniloquētiam Homeri, deinde ad facundiam Platonis, ad acumen Ariſtotelis, Porphyrij, Plotini, & aliorum Philoſophorum tranſire poterimus. ad hæc ſi quid in arte medendi deguſtare uolueritis, depromam uobis Hippocratis Aphoriſmos, Heliodori Chirurgiam, Antelli, Ruffi, Galeni artes precioſiſſimas & etiam Oribaſij Synagogas. In Mathematicis quoq; ſi uos exercere uolueritis, præſto erit Euclides, Nicomachus, Archimedes Syracuſanus, & alij plures quibus lectis & auditis, omnem & animi & corporis philoſophiam uos legiſſe & audiuiſſe affirmare poteritis.*

## ANTONII CODRI VRCEI SERmo decimus habitus in laudem literarum Grecarum.

H*Eracletus Epheſius nobilis Philoſophus dicere ſolebat Magnifice Rector, uosq; prudentiſſimi uiri,* εἰ μὴ ἥλιος ἦν εὐφρόνη ἂν ἦν, *hoc eſt, niſi ſol eſſet nox utiq; eſſet. Plutarchus aūt hunc imitatus, ſimile qddam pronunciauit,* εἰ μὴ θάλασσα ἦν πάντων ἀγριώτατον ζῶον

καὶ

*ϗ ἀναιδέςατον ὁ ἄνθρωπος ἦν, hoc eſt, niſi mare eſſet omnium ruſticiſſimum animal & aſperrimum, homo eſſet. hoc autē dixit quoniam ex India uites & ex Phœnice literæ nauigādo in Græciam deportatæ ſunt. Ego uero ut aliquid non longæ ab his diſcrepans in mediū afferam, dico niſi literæ Græce eſſent Latini nihil eruditionis ac humanitatis haberent. Hoc uerum eſt, & me uerum dicere quis uel mediocriter eruditus iudicare poteſt. Nam genus omne eloquentiæ omniſq; doctrina luce præfulgens (ut ſcribit Priſcianus) à Græcorum fontibus ad Latinos emanauit. quod quidem à me ſuperioribus annis ita demōſtratum eſt, ut nihil ferè aut parum addi poſſe uideatur. Verum quoniam nouos quoſdam hic conſidere uideo auditores bene dicta repetere non eſt abſurdum, nec ineptum, idcirco nobis bene audientibus propoſitionem noſtram ueram eſſe rationibus exemplis autoritatibuſq; cōprobemus: ſimulq; poſtquam ab Homeri magniloquentia diſcedere nolumus, ſed illam hoc etiā anno noſtræ lectionis ducem habere decreuimus de Homeri doctrina, & de quibuſdam alijs ad eum ſpectantibus uerba faciemus. Age igitur incipiamus oſtendere Latinos ſine literis Græcis nihil ſcire: ut ſi qs uel malignitate uel ignorantia contra ſentiat, nihil ſentiat. Sed unde incipiemus cum tanta dicendorum copia nobis ſe offerat? ab incunabulis, ſiue ab elementis quæ Græci ςοιχεῖα uocant. Cadmus Agenoris Phœnices regis filius, ut neminem ueſtrum ignorare arbitror, è Phœnice in Græciam ſexdecim literas attulit & literaturæ Græce initium dedit. hinc Pelaſgi in Latium eas attulerunt pari numero, uerum Græcarum literarum numerus ad 24. creuit: Latinarum etiam ad duas & 20, & ſi quis literarum Latinarū characteres antquiſſimos inſpiciat, Græcis parum diſtare reperict. Quare Priſcianus recte in Grāmatica ſua ſcripſit apud antiquiſſimos Græcorum non pluſquam ſexdecim erant literæ, quibus ab illis acceptis Latini antiquitatem ſeruauerūt perpetuam. Et paulo poſt, Vnde ſi uelimus cum ueritate cōtemplari, ut diximus non pluſquam decem & octo*

*lieras in Latino ſermone habemus, hoc eſt, ſedecim antiquas Græcorum & f. & x. poſtea additas & eas quoq; ab eiſdem ſumptas. Iam oſtendimus literas Latinas, à Græcis oriundas: progrediamur nunc ad diſciplinas ſiue artes quæ liberales, ſiue liberalia ſtudia appellantur. Sunt aũt hæ ſeptẽ numero, Grãmatice, Dialectice, Rhetorice, Muſice, Geometria, Arithmetice, & Aſtrologia: ſed hæc nomina græca ſunt an latina? certe græca, imò ita græca ut nondũ nomina Latina repererint, & repererũt abſurda quodammodo, nec idem quod græce proprie exprimentia: nam & ſi literatura dici poßit pro Grãmatica, tamen Oratura nec Oratoria pro Rhetorica, nec dimenſio pro Geometria, nec numeratoria pro Arithmetica, concinne dici poteſt. Clarũ igitur hoc eſt argumentum has diſciplinas ſeptem quæ Latine habentur è Græcorum fontibus emanaſſe. quod ſi eſt quomodo ſine literis græcis recte intelligi & haberi poterunt? ergo niſi literæ græce eſſent, Latini nihil ſcirent. Videamus, ſi uobis libet, hanc rem ſigillatim & γενικῶς ut Græci dicunt, id eſt, generatim. Grammaticæ pars eſt, ut ſcitis ὀρθογραφία, id eſt, recte ſcribendi formula. hanc quo nam modo ſine literis græcis adipiſcemur cum lingua Latina ferè totidem græcis utatur uocabulis quot ſuis. Sed minutias docti uiri non ſequuntur? nolite orthographiam minutias appellare, cum ea peruerſa in maximos contingat incidere errores. hinc orta eſt illa de entelechia Ariſtotelis contentio. cum alij per τ, alij per δ ſcriptum accepiſſent. hanc maiores noſtri non ſolum literis, ſed etiam apicibus quibuſdam ſcribendis obſeruabant. Ego ſane neminem ſine hac uere doctum iure appellari poſſe exiſtimo. Grammaticæ pars etiam eſt Etymologia, id eſt, ueritas ſermonis. hanc quoque quo nam pacto ſine literis græcis acquiremus? In hac exponenda quot Grammatici uel Grammatiſtæ potius, quot Philoſophi, quot Medici alioquin docti errauerunt. Si uellem omnia errata, omnia uocabula perperam expoſita caſtigare, non mille annotationes, non*

*mille*

*mille centuriæ ſatis eſſent. quid quod uſq; ad ridicula in Etymologia uerborum peruentum eſt. Volo unum & alterum ioci cauſa uobis enarrare. diabolum exponunt iſti, & ne paruifaciatis Theologi inflati dictum, quod hominem duobus bolis deuoret. ô rem ridiculam cum Græce διάβολος caluniator dicatur ἀπὸ τοῦ διαβάλλεσθαι, id eſt, à calumniando. & ideo apud Plautũ diabolus adoleſcens hoc nomine appellatus eſt. Audite aliud magis ridiculũ. In Ioannis euangelio legitur, ἀλλ᾽ εἷς τῶν ϛρατιωτῶν λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε. noſtri Theologi ſiue ſono uocabuli Græci decepti: ubi apud Græcos λόγχῃ, id eſt, lancea ſcriptum eſt, crediderunt percuſſorem illum Longinum eſſe appellatum, & ita in illum hoc nomine exclamantes inuehuntur. noſtri theologi ſiue diuini uerbi ſeminatores Longinum proprio nomine militem illum appellant. Non miro ſi nos ridemus, quoniam & diabolum ipſum & illum, quem iſti dicunt Longinum puto, ſi talia audiũt maximos riſus excitaret. Illud tacere nõ poſſum Philologiam & ſermones ipſos à Græcis uenuſte & eleganter translatos ab indoctis non tantum non intellectos, uerum etiam eſſe peruerſos. unde fit ut apud Vergilium corrupte legatur, Suſpicit Anchiſes, hoc eſt, ſurſum aſpicit, pro eo quod legendum eſt ſuſpicit, id eſt, reſpondet. Et in ſermone ſubſequitur: quod Græci dicunt ὑπολαμβάνει. quod uitium etiam ſacras literas occupauit. nam in Euangelio ubi Chriſtus per parabolam declarare ſtudet qui ſit proximus, legitur corrupte, Ieſus aũt ſuſpiciens quod, ô ignorãtiam craſſam, exponunt quidam fuiſſe Chriſti conſuetudinem ut uolens loqui ſurſum aſpiceret. Græca ſcriptura ὑπολαβὼν habet, id eſt, ſuſpiciens, reſpondens. quod eſt eleganter fideliterq; translatum. Quid de medicis dicam, qui chelidoniam herbam ab hirundinibus dictam interpretantur cœli donum. Simon ipſe Genuenſis & gẽtiles alij plures huiuſmodi ſcatent erroribus. Quid dicam quod annis ſuperioribus antequam literæ Græce in Italiam reuectæ fuiſſent, Cadinum pro Cadmo, Hemiſtodem pro Themiſtocle, & Menech-*

*Menechinum pro Menechmo, & alia id genus ignorãtes literarum Græcarum ignoranter proferebant, ſed hoc omittamus. Præterea διασυνταστικὴ, id eſt, cõſtructio numne pars eſt Grammatices? ſane, ſed neq; hanc ſine literis Græcis integre habere poſſumus, cum Latini ſcriptores probatiſſimi Græcis dicendi ordinibus pleni ſint. Priſcianus longum librũ facit de Atticiſmo, qui non niſi lierarũ Græcarum peritiſſimis familiaris eſt: & ita Priſcianus expoſuit. hinc Horatius, Deſine querelarum dixit more Græco. hinc Terentius & Plautus, Decet nobis. hinc multi alij mille alia quæ non eſt nunc narrãdi locus. Ad hæc numne declinatio pars eſt Grãmatices? eſt q̃dem. ſed dij boni quot nominũ milia Græce declinata eſſe reperire in Latinis autoribus. hinc Pallados. hinc Menelaon. hinc Vergilius, Letum Androgeo dixit. &, Fatidicæ Manthus. &, Vocaturũ Dido, & ſexcenta alia, quæ non niſi ijs qui Græce ſciunt, nota ſunt. Ergo ſi literæ Græce non eſſent Latini nihil eruditionis haberẽt. Poſtremo numne pulchrum ducimus callere ſyllabas? ſcire uerſificari? eſſe Poëtam? pulchrum certe. in hac parte ſine literis Græcis in præceps ruimus. pedes ipſi metrorum, ut dactylus, ſpondeus, iambus, & reliqui nomina habent Græca, & ita Græca, ut nondum habeant Latina: Noui multos, qui noſtra tempeſtate boni Poëtæ habentur, corripere ſyllabas quæ apud Græcos longiſſimæ ſunt, nulla figura, nullo colore errorem tegente: & contrà producere breuiſſimas. hoc euenit literarum græcarum ignorantia. Cur idola, poderis, media correpta contra naturam dicimus? ignoratione literarum Græcarum. cur contra lechytus, dicimus media producta: eadem ſcilicet ignoratione. ut Syracuſio apud Vergilium legimus contra metrum, cum tertia à fine longa ſit diphtõgo pro Syracoſio, ut cantat Theocritus. Eadem ſcilicet ignorantia, alia pene huiuſmodi infinita. De accentibus quos Græci προσῳδίας dicunt, quid dicam? qui tantam habent uenuſtatem, ut bene prolati nos uere Latinos, uere Græcos eſſe declarent: contrà male prolati Barbarum quiddam uos frendere ſignificent.*

*multi*

multi hac in parte literarum Græcarum ignari, Adonis, Creuſa, media acuta proferunt, cum primam proferre debeant: contrà, Simois Corydon, Periphas quæ mediam habent acutam, antepenultimam acuunt. pudet me plura in hac re dicere, ne maiorem Græcis præbeam anſam noſtri deridendi. De Grãmatice ſatis. Dialectice uero eſt ars quæ ut ait Cicero, docet rem uniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambiguam primum uidere, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam qua uera & falſa iudicarentur. Seruius Sulpitius attulit hanc artem omnium artium maximam, quaſi lucem ad ea quæ confuſe ab alijs aut reſpondebantur aut agebantur. huius opus non extare arbitror. Boëthius in ea plurima ſcripſit, quæ omnia nõ habẽtur. Neceſſe eſt ad fontes Græcos recurrere ad Prædicamenta, ad Elenchos, ad Topica, ad Peri erminias, ad libros Analyticos Ariſtotelis, ad Porphyrium, ad Simplicium, ad Themiſtium, aliosq́; græcanicos Philoſophos. Ergo niſi literæ Græcæ non eſſent Latini nihil eruditionis haberent. Quid dicã de Rhetorica? Ea ſane tota græca eſt. Et ſi aliæ uel ſcientiæ uel artes ab alijs nationibus inuentæ ſunt: certe eloquentia peculiaris eſt Græcorum, inuentiones, narrationes, exordia, inſinuationes, argumenta, characteres, figuræ, colores omnes à Græcis fluxerunt. Vnde non immeritò uafer ille Poëta Venuſinus ſic Græcos laudauit: Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo Muſa loqui præter laudem nullius auaris. Atqui M. Ciceronem Latini habent eloquentiſſimum & facundiæ literarum Latinarum parentem, & doctrinarum lucem alteram: qui tot orationes familiares, tot in Verrem dictiones, & in Catilinã inuectiuas, tot Philippicas, tot opera Philoſophica compoſuit. habent quidem nõ diffiteor. Verum pro uno Cicerone, Græci habent decem Cicerones. Quid dicit de Oratoribus græcis Quintilianus noſter. numńe ſic ait ſequitur Oratorũ ingens manus. Ingentẽ manũ ut uidetis, appellat, & ſubinde ut 10 ſimul Athenis ætas una tulerit. q fuerint hi 10 Oratores pauci ſciũt.

*Quintilianus quinq; tantum nominat. Ego, ut aliquid hodie ex me diſcatis, omnes nominabo, quos ex Græcis ſumpſi ſcriptoribus. Iam'ne uidetis, quantum literæ Græcæ nobis proſint, quoniam niſi docuiſſent, hoc ego neſciſſem. Fuerunt autem hi decem Oratores Antiphon, Rhamnuſius, Lyſias, Socrates, Iſæus, Androcides, Demoſthenes, Aeſchines, Lycurgus, Hyperides, & Dinarchus. Sed eſto maior etiam quam prædicetur Cicero. unde tamen didicit? nempe à Platone, à Demoſthene, Ariſtotele, alijſque Græcis, qui ſi pœnas ſuas repetitum uenirent, cornicula riſum moueret. quid contra hitis uultum? utinam ſic non eſſet. Et ne contra Ciceronē, hoc eſt, ne cōminiſci uidear, audite ipſius de ſe ipſo teſtimoniū, ſic enim libro de claris Oratoribus ſcribit, Commentabar declamitans ſæpe cum M. Piſone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie, idque factiebam multum etiam Latine, ſed Græce ſæpius: uel quod Græca oratio plura ornamenta ſuppeditans, conſuetudinem ſimiliter Latine dicendi afferebat: uel quod à Græcis ſummis doctoribus niſi Græce dicerem, neque corrigi poſſem neque doceri. Quare illud Quintiliani præceptum ſummopere probandum: A ſermone Græco puerum incipere malo, quoniam Latinus qui pluribus in uſu eſt, uel nobis nolentibus ſe perhibet, ſimulque quia diſciplinis quoque Græcis prius inſtituendus eſt unde noſtræ fluxerunt. ergo niſi literæ Græce eſſent, Latini nihil ſcirent. Iam ad alias diſciplinas accedamus. Arithmeticam artem magnam uim in natura habere exiſtimo, non propter uilem numerandi practicam quam mercatores auaritiæ cauſa quotidie meditantur: uerum propterea quod ex ea conſtare animam Plato in Timæo pronunciauit: ex ſeptem numeris, hoc eſt, monade, tribus paribus, & tribus imparibus creari argumentatus eſt, quod quidē intellectu difficile eſt quamuis à Calcidio, Macrobio, alijſq; Commentatoribus affatim exponatur. unde puto natum eſſe prouerbium cum aliquam rem obſcuram uolumus ſignificare, ut dicamus, hoc eſt numero Platonis obſcurius.*

Hanc

*Hanc artem Boëtius ex Nicomacho in Latinū uertit, in qua plurima ſunt uocabula Græca, quæ Latinæ proprie dici non poſſunt, & plurima propter Græcarum literarum ignorantiam deprauata. Scrutemur nunc Geometriam unà cum Perſpectiua quæ Græce ὀπτικὴ dicitur. quæ tam neceſſaria, tam honeſta eſt homini liberali, ut ſine ea, homo non uere homo dici poßit: certe qui Geometriam neſcit ſeipſum neſcit. Quare dictum illud Ariſtippi Socratici Philoſophi uehementer approbo & laudo: qui cum naufragio eiectus ad Rhodienſium littus animaduertiſſet Geometrica ſchemata deſcripta, exclamauit ad comites, dixitq́; bene ſperemus: hominum enim ueſtigia uideo. Hanc quoq; artem Latini ab Græcis ſumpſere, hoc eſt, Euclide, Platone, Archimede, & alijs. Ergo niſi literæ Græcæ eſſent, Latini nihil eruditionis haberent hanc barbaries in quibuſdam occupauit, & pro rombo, helmuaim & helmiroraphæ figuratur. pro trapezis, id eſt, menſalibus ſucceſſerūt. Attingamus etiā Muſicam, hoc eſt qua omne animal capitur, & quæ tantū antiquis tēporibus nō modo ſtudij uerumetiā uenerationis habuit, autore Quintiliano, ut ijdē muſici & uates ſapiētes iudicarētur. Hanc quoq; à Græcis accepimus, ſed à græcarū literarū ignorātibus. ita nomina chorearum, ſymphoniarū, diſtantiarū inter ſonos corrupta ſunt, ut nihil niſi barbarū quiddam ſonare uideantur. Tonū dicunt à tonando dictū, neſcientes ſignificare intentionem uel chordæ, uel uocis à τείνω uerbo Græco, quod eſt intendo deductum: & hemitritonium pro triemitonio, & tritonū interuallum ponunt, cum non procedat niſi uſq; ad ditonum. Ariſtoxenus Græce de Muſica copioſe ſcripſit, & animam muſicam eſſe dixit: Boëtius ab eo ſumpſit & Latinis tradidit. ergo ſine literis Græcis Latini nihil eruditionis haberent. Et ut intelligant noſtri Muſici nimiū certe arrogantes ita eſſe ut dico, audiant Vitruuium ſic quinto libro ſcribentem: Harmonia aūt eſt muſica literatura obſcura, & difficilis maxime quidem quibus Græcæ literæ*

*non ſunt notæ, quam ſi uolumus explicare neceſſe eſt & græcis uer*
*bis uti: quod nonnullæ eorum Latinas non habẽt appellationes. Hoc*
*uerißimum eſt, nam dia teſſaron, dia pente, epitritus, hemiolus, epo*
*gdous, dieſis, & multa alia Latine dici aptè non poſſunt. licet noſtri*
*quidam pro epitrito ſexquitertiã, pro hemiolio, ſexquialteram pro*
*portionem appellarunt: ſed A. Gellius hæc Latina nomina non ha-*
*bere dixit. Supereſt è ſeptem liberalibus ſtudijs Aſtronomia ſeu*
*Aſtrologia, ars pulcherrima & quæ Principes & Reges maxime*
*deceat. Hanc Græci è Chaldæis ſiue Babilonijs in patriã ſuam uexe*
*runt, noſtri uero à Græcis: ſed iuniores ueſtigia græca auſi deſere-*
*re, decurrerunt ad Barbaros, & zenith, alcocoden, ileg, alcitrop,*
*alidada, & alia id genus multa maluerunt dicere quam Latina aut*
*Græca uocabula ab eruditis diſcere autoribus: quam Plinium, Iulium*
*Firmicum, Higynum, aut Ptolomæum lectitare. In aſtrologia igitur*
*grecis ut Plinius refert, utendum eſt uocabulis. unde ſæpenumero*
*ſphæram, abſidas, arctos, polum, arcticum, antarcticum, zodiacum,*
*engonaſim, pleiadas, hyadas, arcturum, centrum, parallelos, & tro*
*picos, cyclos, δυωδεκατομόριον, conum, dichotomos, amphicyr-*
*tos, panſelinos, & alia huiuſmodi in ueterum libris offendimus. Iu*
*lius Firmicus quamplurimis græcis uocibus eſt refertus, quæ nõ ple*
*ne niſi ab his qui græce ſciunt intelliguntur. ergo niſi literæ græce*
*eſſent Latini nihil eruditionis haberent. Quid dicã de Architecturaȝ*
*qui uult Vitruuium ſine literis græcis intelligere? laterem mihi cre*
*dite lauare poteſt: aut ut Prouerbiũ eſt græcorũ, aquã terere. Quid*
*de Philoſophia? in hac ſatius eſt circa littus nauigare quam uelũ ten*
*dere in altum, quoniã ſi de ea copioſe diſſerere uellem, oſtenderem*
*nullam eſſe bonam & ueram Philoſophiam niſi græcam: & Græ-*
*cos habuiſſe plures Philoſophos, quã Romani habuerint uiros. Mul-*
*tæ fuerunt Philoſophorum ſectæ: ſed quæ nam eſt illa quæ nũc alijs*
*exploſis, uiget? nempe Peripatetica ſeu Ariſtotelica, & uigebit do*
*nec ſtabunt literæ græcæ. Hoc à Barbaris iam diu pulſata eſt, & la*

*cerata*

*certata, tamen adhuc ſtare uidetis. Quid de medicina loquar, quæ tanto quondam fuit in honore ut à dijs inuenta crederetur, Apolline ſcilicet patre, & filio Aeſculapio, neptéq; Panacæa. Quare Homerus diuini ingenij uates in Medicorũ laudẽ uerſus illos decãtauit,*

ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων,
ἰούς τ' ἐκτάμνειν, ἐπί θ' ἤπια φάρμακα πάσσειν.

*Vir Medicus contra multos alios æſtimari dignus. Et tela excidendo & mitia medicamina ſuper imponendo. Ego ſemper Medicos dilexi & diligo, diligerémq; magis niſi Barbaros ſcriptores & inconditos ſequerentur, Meſue ſcilicet, Auicenneũ, ſiue Auicennã, ſiue is alio nomine gaudet: quoniam neq; hi qui eum obſeruant, nomen eius proprium profiteri, quia neſciunt, poſſunt. Verum Hippocrates Cous: cuius ea peculiaris laus eſt, ut tam fallere quam falli neſciat, qui prius præcepta medendi, ut ſcribit Plinius clariſsime condidit, imitandus eſt, & Antyllus, imitandus Ruffus, amplectendus ſupra omes Galenus, itemq; Oribaſius. ab his enim omnis anatomiæ, omnis chirurgiæ, omnis, iatralipticæ, omnis clinicæ, omniſq; deniq; medicinæ præcepta tradita ſunt & diuulgata. hi ſunt qui ueri Archiatri appellati ſunt, ſine his uera medicina haberi nõ poteſt. hi ſunt de quibus ſcriptum eſt digeſtis & codice de profeſſoribus & medicis. Ergo niſi literæ græce eſſent, Latini nihil eruditionis haberent. Nulla ars, nulla ſcientia, tantam habet in ſe rerum cognitionem quantam medicina: nulla animalium pars, nulla herba, nullus flos, nulla radix eſt, nullum pigmentum, nullum metallum eſt quod non aliquo in uſu habeat Medicina: & ea fere omnia græca ſunt. Pudet hic referre in quos errores inciderint literarum græcarum ignari, qui ſæpenumero in Pandectis ea quæ græca ſunt uocabula dicunt eſſe Arabica, quæ uero Arabica dicunt eſſe græca. Laſſerpitium, ſeu laſſer, quod græce σίλφιον dicitur, & olim magno in pretio Cyrenaicum præcipue. unde Cyrenæ laſſerpitiferæ à Catullo dicuntur. Noſtri, audite barbariem, nunc aſſam fœtidam uocant pro laſſere. præterea in-*

*ſtrumentum chirurgicum eſt in ſpeciem gamma literæ factum, iſti gãmaut nominant. O barbariem craſſam, ô rem maxime ridiculam, cũ Græce γαμμοειδὴς dicatur, eo quod εἶδος, id eſt, ſpeciem habeat literæ γ. iſti gãmaut appellãt: ſed hi errores tolerari facile poſſent, niſi ſæpenumero uenenata ſumerẽtur pro ſalutiferis, ignorantia uocabuli. unde multi minium pro cinnabari accipiunt: cum minium uenenum eſſe doceat Plinius 33. libro. Et non ſatis eſt literis Græcis eſſe reſperſum, ſed in eis ſumma ſatietate ingurgitatum eſſe oportet, quoniam aliter errare contingit. ſed de his ſatis. ἱερὰ νόσος Græce morbus eſt, qui Latine modo comitialis, modo ſacra paßio, modo alio nomine apellatur: ſed ſacram dicunt aliqui, id eſt, execrabilẽ, eo quod ſputo eam ſolemus abominari: alij quod ſacram partem corporis occupat, id eſt, cerebrũ. quod Apuleius quoq; ſenſiſſe uidetur. ſed cur ego Plutarchũ nõ ſequar, ꝙ magnã interpretatur, ἱερὸς enim græce non tantũ ſacer, ſed & ingens dicitur. unde puto ab Homero Latino dictã eſſe auri ſacrã famẽ, id eſt, magnã, & ſacros tripodes, id eſt, magnos, ut huiuſmodi Græcũ penitus figuraret. Hæc ideo dicta ſunt, ut intelligatis profundam Græcorum ſcientiam noſſe opus eſſe. Iniuriũ & iniquũ eſſet, ſi ſacram Theologiam, ſi ſacroſanctas leges præteriremus. hæ quoq; literarum Græcarum egent auxilij, ut nomen Theologiæ demonſtrat. Præterea primi theologizantes nónne Græce fuere? Muſæum dico & Orpheum & Heſiodum, poſt hos Poëtas, Paulus Apoſtolus, Dionyſius Areopagita, Ioannes Clymacus & alij Græci Chriſtiani fuerunt, à quibus Theologia uera illuſtrata eſt. Martianus Iureconſultus in definitione legis autorem ciet Demoſthenem, ſi deffinitio illa corrupta eſſet ad Demoſthenis orationem contra Ariſtogitonem recurrendum eſſet. Claudius Digeſtis de pœnis eundem Oratorem citat. quid ſi deprauata eſſet allegatio? ad orationem contra Mediam recurrendum eſſet. Quotiens prudentißimi Iureconſulti Homerum ingenij cœleſtis uatem in teſtimonium adducunt, totiens*

*ad illius*

*ad illius opera lectitantia remittimur. Ergo niſi literæ græcæ eſſent, Latini nihil erudionis haberent. Verum iam artes ſiue ſcientias omnes omittamus, loquimur nūc de ſcriptoribus, quorum hi receptiſſimi & in numero doctorum cenſentur, qui Græcas literas calluerūt. Quonam pacto Bucolica Vergilij ad unguem ſine Theocrito, quem Vergilus imitatus eſt, intelligetur: quomodo Georgica ſine Heſiodo, quomodo Aeneis ſine Homero, ſine Piſandro, ſine Apollonio & alijs græcis. quos Maro ante oculos pro exemplaribus ſemper habuit. Quomodo Plautum & Terentium ſine Menandro, Diphilo, Ariſtophane, & alijs Comicis exponemus. quomodo Plinium intelligemus totius naturæ interpretem, qui totam Græciam peragrauit, & gemmis (ut ita dicam) ſpoliauit. Et ut ex plurimis unum locum adducam, in Naturalis hiſtoria lib. 7. de ſpacijs uitæ longiſſimis hæc uerba leguntur. Heſiodus qui primus de hoc aliqua prodidit fabuloſe (ut reor) multa de hominū æuo referens, cornici nouem noſtras attribuit ætates: quadruplū eius, ceruis: id triplicatum coruis, & reliqua fabuloſius in Phœnice ac Nymphis. quomodo illud intelligi poteſt: & reliqua fabuloſius in Phœnice ac Nymphis? ſed Heſiodum conſulā dicet aliquis. Iam fateris cōſulendos eſſe Græcos, ſed opus illud Heſiodi in quo hæc loquitur, non exſtat. quid ergo agendum erit? opus eſt Platonem, Ariſtotelem, Plutarchum, alioſq; ſcriptores Græcos animaduertere, ubi Heſiodum teſtem producant, ſi quo modo quod quærimus reperiamus. quod ego ſuperioribus diebus feci, cum de ara cornea in ſeptem mirandis celebrata, nullius uinculis, nullius collæ indigente apud Plutarchum reperi. quæ ad illud Martialis carmen faciebat. Diſſimulctq; deum cornibus ara frequens. Itemq; in hoc quod ſuprà pauloante memoraui, apud Plutarchum uerſus Heſiodi inueniſſe gauiſus ſum, quos ut ſtudioſis aliqua in parte ego quoq; proſim, hic putaui inſerendos.*

ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
ἀνδρῶν ἡβώντων ἔλαφος τέτταρα κορώνας,

τρεῖς

τρεῖς δ' ἐλάφους ὁ κόραξ γηράσκεται. αὐτὰρ ὁ φοῖνιξ
ἐννέα τοὺς κόρακας, δέκα δ' ἡμεῖς τοὺς φοίνικας
νύμφαι ἐυπλόκαμοι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

Audiatis Latinos. Nouem utiq; uiuit generationes garrula cornix, Virorum fortium, ceruus autem quatuor cornices, Tres autem ceruos coruus ſeneſcit, ſed Phœnix Nouem coruos, decem aũt nos Phœnices Nymphæ bene comatæ filiæ Iouis Aegida habentis. Iam noſtri promiſsi pars exhauſta eſt, altera pars reſtat, ut ſcilicet de Homeri doctrina diſſeramus: uerum quoniam hora ſera eſt & aures tantorum uirorum faſtidio afficere uix decet, ſatius eſſe arbitror in aliud tempus hanc partem differre. Volebam equidem uerſus illos Horatij exponere, Troiani belli ſcriptorem maxime Lolli Dum tu declamas Romæ Præneſte relegi: Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicit. & oſtendere uerißimis argumentis, omnes Philoſophorum ſectas ab Homero initiũ accepiſſe & ipſum cæcum plus uidiſſe quam Argum qui totus oculeus fuit: aut quam famam, quæ tot milia oculorum habuiſſe dicitur. ſed æquo animo feramus. De dulcedine ſiue ſuauitate linguæ græce pauca Quintiliani uerba libenti animo audiatis, quibus dictis, finem orationi meæ faciam. Quintilianus poſtquam multa de Attica eloquentia diſputauit, ſic concluſit: Itaq; tanto eſt ſermo Græcus Latino iocundior, ut noſtri Poëtæ quotiens dulce carmen eſſe uoluerint illorum id nominibus exornẽt. O uerßiſmum iudicium. nam lingua Latina (quæſo ne mihi iraſcamini) in multis definitionibus Barbaræ linguæ ſimilis eſt. nam lac alec dicitur, ut Iſac & Lamec. hoc ut Sadoc, & multa huiuſmodi alia. Præterea quis non horreat mugientem illam literam in dictionum fine apud Latinos: ut templum, patrimoniũ, profundum, in quam nullum Græcum uocabulũ cadit: contrà quam dulcis, quam reſonans eſt ν Græcorum finium celeberrima. Quis non excitetur cum uerſum illum Homeri audiat, συμπάντων Δαναῶν οὐ δὴν ἀγαμέμνονα εἴπῃς: & illum

illum, τρώων θ' ἱπποδάμων καὶ ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων. O lingua ſuauißima, ô lingua linguarum & diſciplinarum mater quis te non laudet, non amet, non amplexetur. Turpe uobis erit & cenſoria nota digni iudicamini adoleſcentes ſtudioſiſsimi, ſi mercatores diuitiarum, quæ res fluxæ ſunt, linguam Germanã, linguam Hiſpanam, & alias linguas ediſcunt: uos ornandi animi gratia, linguam Græcam non ediſcere. Adeſte ergo frequentes hoc anno, & totum Homerum me interprete memoriæ mandetis, ut Græce cum opus fuerit & ſcribere, & declamare, & orare ſine ulla difficultate poßitis.

## ANTONII CODRI VRCEI SERmo Vndecimus, in Heſiodum.

NEſcio Magnifice Rector, Doctores eximij, uosq; probatißimi uiri an idem uobis uſu ueniat, quod uſu uenire indies mihi uideo, ut ſcilicet uinũ uetus ueſtros guſtus, magiſquam muſtũ demulceat. Ego ſanè ueteris uini uſu ita reficior, ut unà cum Plauto Sarſinate, eos qui uetere uino utantur ſapientes putem, illudq; Ouidianum quanquam ad aliam rem à Poëta dictum, incipiam crebris uſurpare ſermonibus, Qui properant noua muſta bibant mihi ſeruet auitum Conſulibus priſcis condita teſta merum. Nolim tamen uos exiſtimare me omnino muſtum uituperare, nam non me latet, quod ex eo naturæ cõmoda & medicinæ ſuppeditentur, nouiq; etiam ex eo fieri oleũ ualde ſaluberrimũ, quod γλευκινόν Græce dicitur. Itemq; muſtacea ſeu muſteos cibos ab antiquis inter bellaria celebratos, quos Græci γλευκίτος appellauere. Et quando nihil aliud cõmodi ex muſto perciperemus illud unum maximum eſt, quod inde fit uinum ex liquoribus unus humanis corporibus gratißimus, ſeruata tamen illa digna Ioue ſententia, πάντων μέτρον ἄριστον, id eſt, omnium menſura optima. quam qui tranſilit, omnia etiam ſuauißima mu-

*tari ſentit in peßima. Verum muſti utilitates nihil ad uini ueteris ſua uitatem, odorem, nutrimentum. De quibus nolo in præſentia plura dicere, ne pro Muſarũ tẽplo, uidear ebrioſus in Bacchanal introijſſe. Quorſum autẽ iſta facetiæ? quorſum iſtud exordium tam iocoſum? Dicam equidem ſed uos morem ueſtrũ in audiendo ſeruate, hoc eſt attentè audiatis, ut annis ſuperioribus ſemper feciſtis. Ego quoq; morem meum in narrando ſeruabo, hoc eſt indoctius & apertius exponam, quod alij magnæ eloquentiæ uiri terſius & fortaſſe obſcurius dixiſſent. ſcitis enim me Prouerbium illud Græcum in omnibus fere ſcriptis meis obſeruare, ἀμαθέστερόν πως εἰπὲ καὶ σαφέστερον λέγε, id eſt, indoctius quodammodo loquaris, & clarius dicas. Et ita reor eſſe faciendum in his præcipue materijs, quæ longe à foro iudiciali, à cauſis ciuilibus, à contentioſis legibus ſemotæ ſermonem quotidianum potius expoſcunt, quàm orationem uehemẽtem atque elaboratam. accipite ergo hæc animis, lætaſq; aduertite mentes. E ſtudioſis ac literatis uiris quidam ſunt, quos noui tantum ſcriptores delectent, ueteres autem quodammodo faſtidio afficiant: alij uero & nouorum quidem, ſed multo magis ueterum lectione capiuntur, tenentur, oblectantur. in horum poſteriorum numero ego ſum, cui mos ille dicendi rigidiuſculus atque uirilior nullo fuco, nullis cincinnis, nullo ſtibio mangonizatus placeat, & propter uocabulorum ſententiarumqúe copiam, & propter morum conſuetudinum legumqúe bonitatem atque noticiam. Quare non immeritò Periander Cypſelli filius admonere ſolebat, τοῖς μὲν νόμοις παλαιοῖς χρῶ τοῖς δὲ ὄψοις προσφάτοις, id eſt, legibus quidem antiquis utere, cibis uero recentibus. Et Diuus Marcus Imperator ad præfectum ſuum ſcribens, nónne uerſum illum boni Poëtæ allegauit? Moribus antiquis res ſtat Romana uiriſqúe. & nos quoque uetera ædificia admiramur, ueteres gemmarum ſculpturas maiore precio comparamus, ueteres amicos chariores habere ſolemus. Sed quæ de antiquitate dicta ſunt, ad rem noſtram*

*confe-*

*conferamus, ne ſine ſcopo hodie ſagittare uideamur. Superiore
anno ad literas Græcas interpretandas deſignatus Homerum ſcri-
ptorem antiquiſsimum, & Opimiano uino ſuauiorem è media Græ-
corum capotheca depromp ſi, cui ſi diues ille Iuuenalianus pro-
pter mille annos cedere ſe dicebat: multo magis nos propter an-
norum fortaſſe duo milia cedere debemus hoc anno: quoniam
mutati dummodo ſuaues cibi palatum reficiunt, & ut iam alias uo-
bis allegaui, μεταβολὴ πάντων γλυκύ, id eſt, uarietas om-
nium rerum ſuauiſsima. Idcirco Heſiodum ex eadem apotheca extu
li ſcriptorem quoque antiquiſsimum, & ſi non Homero antiquio-
rem, ſaltem uetuſtate parem, certè uero digniorem. Atqui Codre ui
de, quid agas, quid pollicearis, ut pollicitis ſtare ualeas. Anno iam
præterito in Homeri laudem ea dixiſti, quæ non de homine, non de
Poëta: ſed de ipſo immortali Deo dici poſſent atque deberent.
Nam cum θεῖον, id eſt, diuinum μεγαλοφωνότατον, id eſt,
reſonantiſsimum, ἱεροφάντην, id eſt, ſacrorum interpretem. Præ
terea magnum, inſignem, uenerabilem, optimum, ſemper floren-
tem, Poëtarum parentem, omniſquè Philologiæ ducem ſummum
ac præcipuum Poëtarum ingenij cœleſtis uatem, antiquitatis auto
rem, principem literarum, fontem ingeniorum, parentem eloquen
tiæ, deum, multis & cunctarum rerum apprime peritum magnis
autoribus approbaſti, multaquè alia de eo pulcherrima comme-
moraſti, quæ adhuc auribus noſtris reſonare uidentur, & quibus
nihil melius, nihil dignius dici poſſe arbitramur. Nunc uero cum
Heſiodum Homero certe digniorem nominaueris, miramur nec ne-
gamus Heſiodum ueterum ſcriptorem eſſe, & cui palma in illo
medio genere dicendi data ſit: ſed quo nam pacto id probare
poſsis, auidi plurimum audire expectamus. multa profecto de
Homeri excellentia me dixiſſe non inficias eo, nec tot quidem
quot de eo Poëta dici iure potuiſſent, & par fuiſſet. & quod pau-
loantè de Heſiodo dixi, niſi uos expectare pigeat, intra dimidiatam*

 *horam*

horũ,uos ita eſſe uero argumento fateri cõpellam. Verũ priuſquam hoc agam,uolo uobis bene audientibus exponere,quæ à nonnullis in lectionem græcam deblaterata ſunt,quos neſcio an inuidos,an nebulones,an potius fatuos & ſimplices,& temere loquentes appellem. Cum enim aliquãdo inter literatos uiros ſermones cæderemus, & de utilitate & præſtantia literarum græcarũ mentio facta eſſet, ex cœtu illo quidã admirari ſe dixit,ſi ita eſſet,cur pauci literas græcas appeterent, crederetq; ſine literis græcis hominem fieri poſſe doctiſſimum. Ego pro tempore pauca reſpondi,ideo paucos uiros literis græcis operam dare,quod & pauci earum utilitatem intelligerent,& pleroſq; omnes noſtra tempeſtate ipſam ſcientiam nõ propter ſe,ſed propter lucrum ſequi, & ad eas artes quæ lucratiuæ eſſent ſe applicare: ea ratione multos ſequi Medicinam,plures Iura ciuilia amplecti. Excepit alter,plures fortaſſe literis græcis incubituros ſi magnæ autoritatis profeſſor eas interpretaretur,quaſi doctrinam meam plebeiam, ac ut ita dicam pedariam taxans. Ego Magnifice Rector uoſq; præſtantiſſimi uiri, expectaueram hoc tempus & hoc tantorum uirorum uenerabile examen, ut illis palàm reſponderent: & illi intelligerent in nobis eſſe aliquid latens,quod boni & literati uiri magnifacerent: ſed ut nũc uideo,operam fruſtra & tempus ipſum cõſumeremus. ſatius eſt iſta diſſimulare,& rem quam ex pectatis explicare. Sumus pauci qui literis græcis indulgemus: & ſimus? pauci etiam ſunt uiri boni. unde & Bias Prienenſis dicere ſolebat οἱ πλεῖστοι ἄνθρωποι κακοί, id eſt, plurimi homines mali: & pauci ſunt,quos æquus amauit Iuppiter: & ut aliquid de ſacris literis ſermonibus noſtris inſeram, Multi ſunt uocati,pauci uero electi. De doctrina aũt mea nihil attinet dicere. Ego mecũ habito, & noui quam ſit mihi curta ſupellex. & in hoc inferior ſum Socrate, ꝙ ſe unum ſcire profitebatur: quod nihil ſciret. Ego uero ne id unum quidem me ſcire profiteor. Age igitur de Heſiodo iam loquamur, hoc eſt de eius uita, & morte, & præſtantia. Poſtea ſi tempus ſupererit

*pererit, quoniam libri Heſiodi materia, opera agriculturæ ſunt, de laudibus agriculturæ aliqua perſtringemus. Heſiodus & frater eius Perſes ad quem librum hunc quem expoſituri ſumus admonitionis gratia ſcripſit, patre Dio matre Pycimede generati fuerunt, qui primo quidem in extrema inopia ætatem ducentes Cymæ habitauerunt. eſſe aũt aiunt hunc locum in finibus Aeolum admodum uilem & ſterilem. Demum hi cum propter ſummam penuriam in grande æs alienum incidiſſent relinquentes Cymen, Aſcram cum liberis transmigrauerunt. Is eſt locus Bœotiæ ad hybernandum difficilis ualde, & ad æſtiuandum, iuxta radices Heliconis montis. à quo loco dictus eſt Heſiodus Aſcræus ſenex à Vergilio in Bucolicis & in Georgicis, Aſcræumq; cano Romana per oppida carmen. Heſiodus, igitur mercenarus factus, & ab indigenis pecuniam ſumens, apud Heliconem montem pecora paſcebat. Ferunt eo tempore ueniſſe nouem mulieres, erant autem Muſæ, & decerpſiſſe ramum Heliconiæ lauri & ei manducandum porrexiſſe: quem ubi deguſtauit uniuerſa illico ſapientia & Poëtica replетus eſt diſciplina. Hoc igitur modo fabula ſapientem euaſiſſe Heſiodum inſinuat. ad quam fabulam fortaſſe reſpexit Iuuenalis cum dixit, Nectit quicunq; canoris Eloquium uocale modis laurumq; momordit. Hanc de ſe fabulam ipſe in Theogoniæ principio memorat, quam allegorice aliqui ſic exponũt: quod Heſiodus domo profectus cum logicam ſcientiam quæreret adipiſci, laborioſe eam ſtudio & diſcendi aſsiduitate comparauit. Alij quod dum circa Heliconẽ moraretur, has ipſas mulieres laurũ comedentes in ſomnis uidere exiſtimauit, coniectansq; inſomnium id monere, ut logicam matheſim attingeret, ſtatim ad opus ſe præbuit, & magnam exinde gloriam conſecutus eſt, multosq; libros compoſuit, ſed pauci ad noſtra tempora peruenerunt. Habemus tantum, Opera & Dies, Theogoniam & Aſpida. Qui uiderit librũ Aſtronomicôn, Hypothecas, Heroum genealogiam, Mulierum catalogum, & alia uolumina quæ ad ſexdecim uſq; omnino compoſuit, nondum reperi.*

Quid de Theogonia & agricultura Heſiodi ſcripſerit M. Manlius Aſtronomicôn ſecundo libro, libet hic inſerere atque recitare. poſt enim quædam de Homero dicta ſic ſubſecutus eſt, Proximus illi Heſiodus memorat Diuos, Diuumq́; parentes Et Chaos enixum terras, orbemq́; ſub illo Infantem, & primum titubantia ſidera corpus Titanas iuuiſſe ſenes cunabula magni: Et ſub fratre uiri nomen ſine fratre parentis, Atque iterum patrio naſcentem corpore Bacchum, Omniaq́; immenſo uolitantia lumina mũdo: Quin etiam ruris cultus legesq́; rogauit Militiamq́; ſoli, quod colles Bacchus amaret, Quòd fœcunda Ceres campos, quod Bacchus utrunq; Atq; arbuſta uagis eſſent quod adultera pomis. Siluarumq́; deos ſacrataq́; numina Nymphas Pacis opus magnos naturæ cõdit in uſus. Super eius atque Homeri ætate, ut refert A. Gellius non conſentitur. Aliqui Homerum Heſiodo maiorem natu fuiſſe ſcripſerunt, alij minorem. Qui igitur Heſiodum Homero priorem fuiſſe aſſerunt, initio principatus Arxippi ipſum tradunt floruiſſe, circa cuius finem Homerus clarueràt. hic autem Arxippus Acaſti filius princeps Athenienſium fuit annis quinque & triginta. quidam uero eos contemporaneos fuiſſe arbitrantur: quod & M. Varro in libro de Imaginibus affirmat, & dicit non eſſe dubium quin aliquo tempore eodem uixerint: hos autem fuiſſe dicunt ſub finem Amphidamantis Euboeæ inſulæ regis. Duxit uxorem Heſiodus Ctemenen Phygiſei filiam Amphiphanis & Ganetoris ſororem: ex qua filium ſuſtulit ſecundum aliquos Steſichorum Poëtam Lyricum. Hic autem locus expoſtulare uidetur, ut qua ratione Heſiodum Homero digniorem eſſe dixerim, uobis aperiam. Nónne mihi hoc concedetis Magnifice Rector, uoſqúe præſtantiſſimi uiri uictorem uicto eſſe digniorem? & uicti laudes ad uictorem debere transferri. atqui Heſiodus Homerum uicit: ergo quid ſequatur, uos intelligitis. Et hoc argumento, id eſt, manifeſtum, quod qui Homerum & Heſiodũ coæuos fuiſſe ſcribũt, hoc amplius referũt: eos ali

quando

*quãdo in Chalcide, in ludis Amphidamãtis de Poëtica certaſſe, & poſito certaminis præmio & lectis iudicibus cõpluribus, inter quos Panides Amphidamãtis frater, & Anphidamãtis liberi fuerunt, uictoriam Heſiodo ceßiſſe. cuius rei memoriam ipſe Heſiodus hoc epigrãmate conſecrauit,* ἡσίοδος μούσαις ἑλικώνεσι τόν δ' ἀνέθηκε ὕμνῳ νικήσας ἐν χαλκίδι θεῖον ὅμηρον, *id eſt, Heſiodus Muſis Heliconiadibus hunc tripodem dedicauit, hymno cum uiciſſet in Chalcide diuinum Homerum. Huius epigrãmatis mentio ab Varrone libro de Imaginibus facta eſt à Gellio repetita. Verum in nullo codice Gelliano epigramma ipſum legitur. Ego autem è Græcorum antiquißimis penetralibus literis Theſſalicis ſcriptum reperi, & repertum Latinis literis & ſtudioſis uiris ædidi ac diuulgaui. Perijt autem in Locride hoc modo: Nanque poſt uictoriam de qua pauloante diximus, Delphos profectus ad ſciſcitandum de uita ſua huiuſcemodi oraculum accepit. Vt ſcilicet Iouis Nemeæi lucum uitaret, quoniam ibi fata, finem uitæ ſtatuiſſent. Ille autem Peloponneſi Nemeam fugitans, in Oeone Locris ab Amphiphane & Ganetore Phygiſei liberis interficitur, in pelaguſque præcipitatur. Iouis enim Nemeæi templum Oeone appellabatur. Sed poſt tertium diem à Delphinis cadauer ad littus euectum eſt. id Locri in Nemeæa Oeone ſepelierunt. Cauſam uero cur cæſus fuerit, hanc fuiſſe accepimus, quod Ctemenen Amphiphanis & Ganetoris ſororem corrupiſſe exiſtimabatur: de qua ei filius natus eſt Steſichorus Poëta Lyricus. Porro cum interfectores eius nauigiũ inſcendentes fugere conarentur, tempeſtate obruti ſunt. Orchemenios deinde ferunt monente oraculo Heſiodi oſſa extuliſſe, in medioq́; foro tumulo contexiſſe, his ſuperinſcriptis carminibus,*

ἄσκραμοι πατρὶς πολυλήιος, ἀλλὰ θανόντος
ὄσεα ληξίππου γῆ μινύης κατέχει
ἡσιόδου, τοῦ πλεῖσον ἐν ἀνθρώποισιν κλέος ἐσὶν
ἀνδρῶν κρινομένων ἐν βασάνοις σοφίης.

Heſio-

*Heſiodum tulit Aſcra ferax, ſed lumine caſsi*
*Plexippi tellus oſſa ſepulta tenet.*
*Plurima quem totum decantat fama per orbem,*
*Spectatosq́; ſupra tollit in aſtra uiros.*

*Quin etiam Pindarus inſcripſit,*

χαῖραι δὶς ἡβήσας καὶ δὶς τάφου ἀντιβολήσας
ἡσίοδ' ἀνθρώποις μέτρον ἔχων σοφίης.

*Latine ſic.*

*Salue bis iuuenis, ſalue bis rapte ſepulchro,*
*A quo doctrinæ eſt indita meta uiris.*

*Præſtantiam Heſiodi non ex eo tantum quod Homerum ſuperaue-rit colligimus, quantum ex eo quod nullus ingenuè eruditus putatur qui Heſiodũ nõ audiuerit. nam tot ſentẽtijs, tot præceptis ſcripta ſua referſit, ut iure ſapiens ab antiquis habitus ſit atq; cognominatus. Ariſtoteles ergo eum qui bonis moribus inſtitutus non eſt, nec cape re ab alio uult, ut audiat Heſiodũ monet. Cicero quoq; Leptæ filium hortatur, ut ediſcat Heſiodum, & eius præcepta in ore habeat. Deni que & ſi alia deſint, uel huiuſmodi argumentum præſtantiam Heſio di ſummam mihi demonſtrat, quod cum ſummus Latinorum Poëta rum Maro dignatus eſt Georgica carmine æmulari: ſummum enim ingenium non niſi ſumma quærit amplecti atq; ſuperare: ima uero cõtemnit. quod & in feris etiam animalibus cernere licet, nam nec leo muſcam, ut aiunt: nec elephas culicem curat: nec canis ille prior ab Albaniæ Rege Alexandro dono miſſus aprum, nec urſum, nec da mam aggredi dignatus eſt. quare iuſſu Alexandri canis animoſita-tem ignorantis occiſus eſt: alter uero ab eodem Rege miſſus leonem & elephantum proſtrauit. Iudicium ergo Vergilij de Heſiodo illius præſtantiam nobis concludat. Præterea ſunt qui arbitrentur hunc Poëtam inter principia literarũ primum agricolis præcepta pande-re cœpiſſe, uiamq́; alijs ſubſequendi monſtraſſe. Necnon illæ fabellæ quæ Aeſopicæ falſo appellãtur huius Poëtæ fuiſſe tradũtur, adeò in omni*

*omni re facundum ac verſatile ingenium habuit Heſiodus. de quo hactenus hæc dicta ſint, nõ enim omnia dicere nec pollciti ſumus nec poſſumus.* De agriculatione deinceps ne matri Deum terræ, parenti quoq; noſtræ iniuriam faciamus aliqua dicenda ſunt: quanquam neſcio quæ quibus ante feram: quod primum, quod poſtremum dicendum ſit, adeò multa & præclara dicenda ſe mihi offerunt. Verum ſummatim & ſine ordine quædam attingemus, ne auditores longa narratione defatigemus. In uita humana duo ſunt quæ maxime mortales expetunt atq; ſequuntur, uoluptas ſcilicet & utilitas. quæ duæ res quam multiplices, quantæq́; in agro bene culto reperiantur, non eſt mei ingenij dicere, nec uos latet qui ſæpenumero collibus amœnis, pratis uirentibus, uallibus frugiferis delectamini, modo uenantes, modo piſcantes, modo aucupãtes, modo in antro uiridi ſomnum carpentes. Interdum & facili bidente, agros paſtinantes, uineas putantes, uindemiantes, & huiuſmodi non ingrata munera tractantes. Præterea nónne ex agro percipimus, & in uſum noſtrum redigimus pecudes, agnos, capras, hœdos, ſues, boues & uaccas, aſinos, equos, mulos, canes, lac, caſeum, lanam, apes, gallinas, oua, pullos, anſeres, anates, & reliqua uillaticas paſtiones. Quæ tanta memoria poſſet omnia poma, omnes nuces, ſemina, plantas, herbas, flores, radices, fruges, legumina, glandes, & alios fructus, quos ad hominis uſum felix ager producit, recenſere? Quod tam acre ingenium poſſet tot olei, uini, unguentorum, aromatumq́; genera innumerabilesq́; medicinas ex agro prouenientes enumerare? Ipſas certe domos, & quæ in domibus ſunt ac ipſam deniq; uitam ab agris acceptam fateri debemus. Vtilitatem & uoluptatem iam omittamus. De dignitate agricolationis loquamur, oſtendamusq́; eam urbanæ uitæ, nec literis, nec nobilitate ſanguinis, nec religione uſquam cedere. Agricultura ſcriptores ueteres literatiſsimos habuit, & habet tam Græcos quam Latinos plus quinquaginta, quorum nomina ſi quis noſſe cupit, M. Varronẽ & L. Columellam petat. Ex illis fuere, tum Poëtæ, tum Phi-

loſophi, tum etiam Martiales duces, qualis fuit Mago Carthaginēſis qui de hac re libros ſcripſit duodetriginta. Omitto eos qui poſt illos quinquaginta ſcripſerunt, Catonem, Varronem, Vergilium, Columellam, Palladium, & alias multos. Agricultura per nobiles uiros tractata fuit, per prætores, per conſules, per dictatores, per triumphatores. Agricultura religioſiſſimè deos colit, & non ſolum 12. illos, qui maxime agricolarum duces ſunt, Iouem dico & Tellurem, Solem & Lunam, Cererem & Liberum, Robigum & Floram, Mineruam & Venerem: Lympham ac Bonum euentum: uerumetiam Pana, Siluanum, Faunum, Pilumnum, Sterculium, Fratres aruales, Terminum, Copiam, Papum quoq;, Pomonam, Segetiam, Tutilinam, Proſerpinam, Nodatū, & Volutinam, Patelenā, Lacturnam, Matutam, Runcinam, alioſq; deos & alias deas tēporibus & ſacris ſuis adorauit. Laudabilis ergo & uenerāda res eſt agricultura, ex qua etiam uiri fortiſſimi & milites ſtrenuiſſimi (ut inqt Cato) gignūtur: & quā etiam dei ipſi coluerūt, quandoquidē & Ianus & Saturnus pater hanc uitam in terris egerunt. Sed contrahenda ſunt lora, equus noſter iam deficit, metamq; & requiem optare uidetur. Audiuiſtis Magnifice Rector uoſq; præſtātiſſimi uiri primò ſcriptores antiquos non eſſe contemnendos, deinde uitam & mortem & præſtantiam Heſiodi, poſtremo agricolationis laudes. Quid reſtat igitur, niſi ut uos iuuenes egregij ad hanc lectionem exhorter, inuitem & rogem: & quanquam aliqui magis Oratores probent quam Poëtas Platoni freti, qui ex urbe ſua Poëtas pellit: tamē ille idē Philoſophus non poteſt Poëtas nō laudare, nō ab illis diſcedere, non in teſtes producere. Audite quid in eo dialogo, qui λύσις, uel de amicitia inſcribitur referat: ᾗδε ἐτράπημαι δοκεῖ μοι χρῆναι ἰέναι σκοποῦντα τὰ κατὰ τοὺς ποιητὰς οὗτοι γὰρ ἡμῖν ὥσπερ πατέρες τῆς σοφίας εἰσὶ καὶ ἡγεμόνες, id eſt, Sed iter quod ingreſſi ſumus uidetur mihi oportere ire ſecundū adminicula Poëtarum. hi nanq; nobis tanquam patres ſapientiæ ſunt & duces.

Poëtas

*Poëtas Philoſophiæ tãquam patres appellat Plato. O diuine Plato, ô Philoſophorum Philoſophe, ſi te prius diligebam nunc amare incipio, poſtquam Poëtas decoraſti nomine non tãtum pietatis, id eſt, eius qui nos genuit, aluit, inſtruxit, uerumetiam diuinitatis. nam ſic Iouem patrem, Neptunũ patrem appellare ſolemus: & te imitatus Flaccus fortaſſe Ennium patrem nominauit. Amplectimini ergo Poëtas ſtudioſi iuuenes & præcipue Græcos nocturna uerſate manu, uerſate diurna. Non pudeat uos publicis curis uacuos ea d ſcere, quæ illuſtres Romani Imperatores de magnis reipublicæ negocijs diſtrictos non piguit ptractare. Siquidem legimus Claudiũ Cæſarem ita literis Græcis deditũ, ut tres literas nouas illi linguæ commentus ſit, quas poſtea princeps non omiſit. Legimus & Alexandrũ Seuerũ Imperatorem facundiæ Græcæ magiſquam Latinæ fuiſſe nec uerſu inuenuſtum, eundemq; ad Athenæũ audiendorũ & Græcorũ & Latinorũ Rhetorum uel Poëtarũ cauſa frequenter proceſſiſſe. Plura exempla nolo cõmemorare, ne uidear credere uobis nihil notũ eſſe. Redeo igitur ad quod ſuprà uos monebã, ut Poëtas amplectamini: quod ſi feceritis, tantam frugẽ, tantam ſapientiam ex eis reportabitis, ut nec me falſo uobis conſuluiſſe, nec uos fruſtra conſilijs meis paruiſſe cognoueritis.* τέλος.

## ANTONII CODRI VRCEI SERmo Duodecimus, in quo agitur de Medio.

*MAgna res eſt fides, & inter mortales plurimi facienda Viri excellentiſſimi & auditores Ornatiſſimi. hanc qui ſeruat & colit bonus & fidus nominatur, ab omnibus laudatus: qui eam uiolat & contemnit, malus & perfidus nũcupatur, omnibus inuiſus, omnibus execratus. hanc etiam hoſti ſeruandam cenſebant antiqui Romani, quod fecit Attilius Regulus, qui ad hoſtes, quos ſciebat*

*eſſe crudeliſsimos potius reuerti uoluit, quàm datam fidem aliqua in parte uiolare. Quare bene Græci de infido dixerũt ἄπιστος ἄφιλος, id eſt, qui ſine fide eſt amicis caret. Quorſum hæc de fide in hoc exordio orationis? Quoniam ſuperiore anno cũ Rhetoricos libros ad Herennium ſcriptos exponendos ſuſcepiſſem, pollicitus ſum poſt illos me aggreſſurum eſſe Quintilianum, & id exhortationis cauſa potius quam perficiendi ſpe prædicauerã. Hoc aũt anno cum rogarem aliquos ex meis auditoribus quidnam potiſsimum audire deſiderarent, ſuſcepit unus: Nũquid uis ſtare promiſsis? Volo inquã: at ille, Superiore inquit, anno poſt Rhetoricos dixiſti libros ſequẽtur Quintiliani Inſtitutiones. Eas ſemper expectauimus expectamusq́;. Tũc ego ardua res eſt inquam Fabius Quintilianus, nec à doctiſsimis etiam uiris uſquequaq; cognitus. Quales aũt ſint meæ uires uidetis ac intelligitis. Tunc ille, Et quoniam inquit, ardua res eſt, tanto magis incendimur ad audiendum, nec à te petimus, niſi quod uires tuæ ualeant. Tunc enim abunde nobis ſatisfactum putabimus, cum iudicium tuum, ſiue ſententiam tuam publice patefeceris. His uerbis motus, ne fidei ulla in parte deeſſem, & ut auditoribus rem gratam facerem, ſuſcepi onus graue quidem, ſed quod auxilio ſcriptorum, tam Græcorum, quam Latinorum fortaſſe leuiuſculum fiet. Et quando tam graue admodum uideretur, tantam feret tolerantibus utilitatem, ut ingens fructus ingentem laborem ſit cõſolaturus. Itaq; intellexiſtis hactenus uiri Ornatiſsimi quid, & quare ſim hoc anno in hoc pulcherrimo Italiæ muſæo, in quo tot felices doctiſsimorum uirorum animi & maiorum & noſtra memoria legerunt & audiuerunt, & alij recentes quotidie legunt, & audiunt uobis mihi fauentibus expoſiturus. Nunc ne tam frequens cõſeſſus, & tanta uirorum caterua, quæ huc ad me audiendum tam prompto animo confluxit, fruſtra cõſediſſe ac confluxiſſe uideatur, quærenda eſt aliqua materia ſeu hypoſtaſis, quæ aliquid nouitatis in ſe habeat & alliciat ad audiendum, & audita proſit, ut ſuperioribus annis ſemper facere*

*ſoliti*

*ſoliti ſumus. Et quamuis hoc mea ætas iam ingraueſcens recuſet, tamen ueſtra in me incredibilis beneuolentia & meum erga uos officium, ut aliquid excogitare poßim, facile uires præſtabũt. Quid igitur dicemus? Videamus. De Inſtitutione Oratoria ſe ſcripſiſſe hos libros dicit Quintilianus, Volumus ne de Oratore ſiue de eloquentia uerba facere? quid ſit orator? quod eius officium? quantas uires habeat eloquentia? Non placet, quoniam uideo pleroſq; ueſtrum naſum diſtorquere & meritò. nam tot & tanta uſq; ad faſtidium de eloquentia ſuperioribus annis dicta ſunt, ut adhuc ueſtræ aures tinniant, & iſti parietes aliqua illa recitatione ſe fractos eſſe teſtentur. Quid diſputaremus quid eſſet Rhetorice, & quomodo inuenta, & de materia eius? hæc quoq; & trita, & retrita, & protrita iam ſunt. Præterea de his abundè apud Quintilianum legemus. Quid ergo dicemus? Exponam uobis quid cogitaui. Sunt in hac uita multi qui adeo loquaces, adeo garruli, nugaces, rocutuleij, & maledici exiſtũt, ut nunquam garrire, obloqui, maledicere deſinant, nũquam ceſſant, nunquam ſinant alium uel reſpondere, uel loqui. Nunc de fuga ducis Mediolani, nunc de Gallis, nunc de Venetis, modò de Turco, modo de Pontificibus nugas dicunt, ſeminant: repetunt Gallias, Hiſpanias, Italiã, Orientẽ, Occidentem, totum deniq; terrarũ orbẽ miſcentes, & nugis ſuis obuoluentes ad ſudorem uſq; audientiũ. Interdum de uino, de cibis, de gula, de meretricibus ſuſurrant, murmurant, cachinnantur. Viden, tu illam? meretrix eſt famoſa. illam ego ſæpius ſubegi. Viden illum? ô quam occultus arſenocœta: quid nõ agit, quid non cogitat ut pueros emaſculet? Et illos adoleſcentes qui prætereunt quales putas eſſe? Cinædi ſunt intra cutem milies flagitati. Vah nunquam modus, nunquam finis loquacitati eorũ reperitur. Superãt certe fœminam, de qua Iuuenalis dixit, Vna laboranti poterit ſuccurrere lunæ. Huiuſmodi blaterones linguaces, impudentes, uerboſi uituperandi ſunt, & ſummopere caſtigãdi, uitioſi enim. Contrà ſunt aliqui, qui etiam neceßitate cogente tacent, & nunquam lõquuntur*

tanquam muti & elingues. hi quanquã uitioſi, nam caput ſine linguã pedaria ſentẽtia eſt, & homo rationale animal eſt, hoc eſt, ſermocinale. de his pulchra ſunt apud Græcos Prouerbia, quale illud in mutos, βάτραχος σερίφιος. quia in inſula Scripho ranæ ſunt mutæ: & illud in garrulos χελιδόνων μουσεῖα, quoniã hirũdines admodum garrulæ ſunt, & plus loquacitate triſtificant audiẽtes, quam ſuauitate delectẽt. Sunt uero & qui cũ opus eſt loquũtur, & tantũ quantum opus eſt, & cum neceſſe eſt tacent. hi ſummopere laudandi ſunt, ſeruant enim medium, in quo maxime uirtus conſiſtere dicitur. Tales ſunt uiri eloquentes, ut loquentiam ab eloquentia interim diſtinguamus, ut immodeſte & impudenter uerba facientes dicamus loquentes, modeſte uero & grauiter aliquid narrantes, appellemus eloquentes. Quare bene Salluſtius de Catilina multum loquentiæ, ſapientiæ parum. Eloquentia ergo uirtus quædam eſt, & uirtus eſt medium, ut ſcribit Horatius, uitiorum utrinq; redactum. De medio igitur in hoc noſtro ſermone loquemur, & erit materia non diſcrepans à lectione Quintiliani, nec ab eo ſermone Baſilij Græci quem fecit ad nepotes, quomodo legendi ſint Poëtæ & Oratores ethnici. in quo tandem inſinuat medium ſeruandum eſſe, ut ſcilicet bona eligamus, mala uero effugiamus. Videbimus itaque primũ quid ſit medium, quot'ue modis ſumatur, deinde quantas uires habeat, & quam difficile ſit reperire hoc mediũ. poſtremò quomodo ex eo uirtutes generentur, & aliquarum uirtutum & uitiorum exempla, tum Philoſophicè, tum facetè recenſebimus. Eſt ergo medium id quod æquis portionibus ab extremis diſtat, ut uidere licet in figura longa æquis partibus diuiſa, & in circulo. cuius medium centrum eſſe dicimus, eo quod ab circunferentia ad ipſum partes reperiuntur æquales. Medium autem dicimus abuſiue omne quod eſt inter extrema aliqua, etiamſi partes æquales non ſint. ea ſini locutus eſt Maro, cum dixit Interea mediũ Aeneas iam claſſe tenebat. Certus iter. Præterea medium appellamus cõmune, unde Poëta, In medium

quære-

*quærebant, dixit. & pro manifeſto poſuit idē eo loco, Senſit medios illapſus in hoſtes. Videtur autem deriuatum medium à modo, hoc eſt menſura. unde & modius, o litera in e mutata differentiæ cauſa. Aliqui tamen à Græco quod eſt μέσον deductum eſſe uolūt. Ex hoc multa fiunt deriuatiua, ut mediocris, mediocritas, medietas, meditullium, mediaſtinus, meridies, medicus, mediterrancus, & Mediamna oppidum montanum in agro Fauentino, quod in medio amnium ſit, ab indoctis Modiana dictum, à ſciolis Mutiliana. fit etiam ab eo medianimal & uerbum cōpoſitum dimidio, as. inde dimidiatus. eodem modo à Græco quod eſt μέλος deriuata fiunt μεσίτης, μεσότης, μέσαυλος, μεσόγειος, μεσόμφαλος, μεσοπόλιος, μεσονύκτιον, μεσήμβριος, καὶ μεσιτεύω uerbum, & alia huiuſmodi multa, quæ medij pulchritudinem tot rebus conuenientis demonſtrant. Quantas autem uires habeat mediū, quantā dignitatē, quantam'ue utilitatē, ſimulq́; quam difficile ſit id aſſequi uideamus. Hic uereor ne nō poßim tantū mōſtrare, quantum ſentio, ac de medio dici par eſſet. nam nulla ars, nullū exercitiū, nullus actus, nulla generatio, nulla uita, nulla deniq; res ſine medio recte fieri, exerceri aut cōſtare poteſt: quin & elemēta & ipſe mūdus medio ſuo gaudent & conſeruantur. Primum quidem igitur uitam humanā cōtemplemur. Sanitatem in ea dicimus rem eſſe ab omnibus optatam, & ualde neceſſariā, ſi quis id propter quod natus eſt ex amußim exequi uelit, ſine qua nulla uoluptas percipi poteſt. quare illud uulgo dici ſolet, Qui ſanus eſt diues eſt: Et qui epigramma in Apollinis Deliaci Propylæo inſcripſerat, illud inſeruit λῷστον δ' ὑγιαῖν εἶναι, id eſt, optimū eſt ſanum eſſe. & certe ut ſuadet noſter Satyricus Poēta, Orandum eſt, ut mens ſit ſana in corpore ſano. Sed quis eſt autor ſanitatis? Sane mediū hoc eſt temperies: & quomodo? quoniā ut à Phyſicis traditur, uos non ignoratis corpus noſtrum conſtat humido, ſicco, frigido, calido. Quotiens quotiens unum ex iſtis, plus æquo dominatur corpus, flacceſcit, & in ægritudinem labitur. Idcirco*

*bene*

*bene Ariſtoteles Philoſophus primo Problemate quæſiuit, διὰ τί αἱ μεγάλαι ὑπερβολαι νοσώδεις, id eſt, quare magnæ exuperantiæ peſtilentes ſunt? & reſpondens ait: quia aut exceſſum aut defectum faciunt. huiuſmodi aũt eſt infirmitas. uidemus enim eum, qui ſupra modum bibat aut comedat, crapula & ebrietate perire. Contrà qui nihil aut minimũ edat aut bibat, maceſcere, & phthiſim, hoc eſt, tabem incidere: eodem modo qui nihil dormitat, aut qui minimũ, neceſſe eſt eum morbo perire. Quæ etiam prius annotauerat Hippocrates, Medicorum princeps, ὕπνος καὶ ἀγρυπνία ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γενόμενα, κακόν, hoc eſt, ſomnus & uigilia utraq; ſuper medium magis facta, malum, οὐ πλησμονὴ οὐ λιμός, οὐκ ἄλλο οὐδὲν ἀγαθόν: neq; repletio, neque fames aliquo modo bonũ. Quod de uita humana dicitur, idẽ in brutis, idem in plantis & ſeminibus uideri licet, ubi à nimio humore ſeu frigore necantur, ſata à nimia ſiccitate ſeu feruore & exiccantur & cõburuntur. Aret ager uitio moriens, ſitit aëris æſtu. Liber Pampineas inuidit collibus ulmos, ut retulit Poëta. Videtis ergo medium cauſam eſſe ſanitatis & uitæ. Et idcirco bene à ſapiente Cleobulo dictum eſt, μέσον ἄριστον, id eſt, medium optimum. & auream mediocritatẽ appellauit Flaccus. & illud in Prouerbium paßim ceßit, Medium tenuere beati. hac ratione dicti ſunt Medici. Et quot fortaſſe nunc Medici ſunt, qui profeßionis ſuæ originem ignorent? Nónne à medicando Medici dicti. ſed unde medicor? à medio nempe. & cur non à medico potius medicari, ſicut ab amico amicari dicimus? ergo Medici dicti eo quod temperantia medium eſt inæqualitatis, quæ ſolet fieri ex contrariis elementis, & autores temperantiæ in corporibus noſtris Medici ſunt. Conſideremus nunc ætatem noſtram & quam utilißimum & quam pulcherrimum illius medium eſſe reperimus. Aetatem humanam aliqui in parteis ſeptem diuiſerunt, & unicuiq; errori ſuam attribuerunt. Infantiam Lunæ, pueritiam Stilboni, adoleſcentiam Veneri, iuuentam Soli, uirilitatem Marti, ſenectutem Ioui,*

*ſenium*

*ſenium Saturno. Alij aliter partiti ſunt. Sed nos breuiore & magis naturalem uiam ſequemur. Natura enim cuilibet corruptibiliter naſcenti dedit principium, medium, & finem. Ergo nos ætatem triplicem faciemus primam, mediam, & ultimã. Prima hoc eſt pueritia nihil eſt, in qua nihil ſapimus, parũ ualemus, nihil magnifacimus, ut pote q̃ nondũ integra eſt & perfecta. Vltima hoc eſt ſenectus eodẽ modo nihil boni in ſe habet, utpote quæ debilis, quæ marcida ſine uiribus, ſine memoria plerunq; & delira. At ætas media ea eſt in qua diſcimus, ſapimus, docemus, ualemus, honores gerimus, res magnificas & memoria dignas facimus. Hæc eſt illa ætas omni auro pretioſior, hæc eſt ætas illa quæ nolebat Propheta ſe auferri ſeu priuari, cum ploraret ne reuoces me domine in dimidio dierum meorum. Quare bene Heſiodus Poëta ſapientiſſimus illud præceptum memoriæ mandandum iudicauit, ἀρχομένου δὲ πίθου καὶ λήγοντος κορέσασθαι, μεσόθι φείδεσθαι, hoc eſt, incipiente uaſe, id eſt, uino & deſinente ſatiare, in medio aũt utere parſimonia quod quamuis aliqui de uino dictum putent, quoniam uinum in ſummo uaſis inſuaue, utpote uicinia aëris corruptum, cuius admixtione fit dilutius, in parte inferiore propter fecis admixtionem ſapore fit deterius: in medio aũt ſuauiſſimum eſt, tanquam nec aëris cõtractu dilutũ nec fecis admixtione turbulentum. Tamen prudentiores allegoricè ad humanã uitam referunt ita interpretãtes, uti in pueritia & in ſenectã teras & abutare tempore ut libet, & eas ætates quæ nihil fere utilitatis in ſe habent nihil cures: mediam uero ætatem magni facias & non cõſumas, ſed parce expendas, quoniam ea perfecta eſt & ut medium uinum ſuauiſſima. Hæc tanti Poëtæ ſententia præclariſſima cum mihi in mentem uenit, non poſſum facere quin ingemiſcam atq; ſuſpirem, cum animaduerto me florem ætatis meæ Bononiæ propè conſumpſiſſe nec dum aut aruum, aut uineam, aut domum, quæ ſenectutis meæ receptaculum ſit & cõfugium cõparaſſe. illa tamen una ſupereſt conſolatio, quod me à tot prudentiſſimis Iureconſultis Bo-*

*nonienſibus, tot Medicis, tot Philoſophis, tot diſcipulis amari perſpicio, & præcipuè à Bentiuolis noſtris, qui nunquam uirtutis amatores deſeruerunt, aut re ulla neceſſaria unquam egere paſsi ſunt. Vobis igitur ſtantibus, & uiuentibus, & habentibus, me quoque & uiuere, ſtare & habere non dubito. Quare reprehendendi eſſent illi iuuenes, qui in media ætate conſtituti eam per luxum & ſocordiam tranſigunt, adulteria, ſtupra, lenocinia, paraſitos ridiculos ſectãtes, uirtutem & bonas artes riſu & cachinno floccifaciẽtes: uerum non ſemper ridendi tempus dabitur, quoniam dum ſerta, unguenta, puellas poſcimus obrepit non intellecta ſenectus, ea autem triſtes & cogitabundos facit. Exemplum ſumendum eſſet ab edera quæ ſemper in altum ſerpit, non à talpa quæ oculis capta nunquam à terra diſcedit. Cum uidetis Auditores egregij adoleſcentem aliquem diuitem ingenuũ alicui minori ſe hærere, nolite de eo bonam ſpem fructus capere.. quoniam qui cum claudo ambulat, ut aiũt, claudicet neceſſe eſt. Dum uero animaduertis adoleſcentem illum ſequi, imitari, amare Poëtam aliquem aut Philoſophum aut Iureconſultum aut pictorem egregium aut architectum aut alicuius uirtutis uirum, iudicetis procul dubio illum bonæ frugis fore. Plurima laude in hoc decorandus eſt Bartholomæus Blanchinus noſter, cuius probiſsimi mores, atque uitæ inſtituta ualde ſunt laudanda: omnia etenim quæ in iuuene cum primis deſideranda ſunt, in eo animaduertere licet. Sordes deteſtatur, ac improborum omnium uitia. Sequitur, imitatur, amat, & uere amat Poëtas, Philoſophos, & maxime pictores egregios. ſed de hac re ſatis, nõ enim morũ cenſores reſpubl. nos ſortita eſt. Loquamur de medio noſtro. Idem medium quod diximus in ætate uiuentis eſſe, in fructibus & cibis comperitur. nam fructus prima quidem ætate acerbi ſunt & aſperi, dentibus inimici, in ultima uero fugientes ac marcidi: cum uero mediæ ætatis ſunt tunc maturi, tunc ſuaues, tunc boni chymi, & naturæ humanæ plurimum utiles & neceſſarij. Eodem modo*

*& ci-*

& cibi incocti & crudi mali, nimis cocti, inſipidi & ſine uiribus, medio modo ſe habentes utrium pleni & uitæ conſeruatores. Iam examinemus exercitia & actus humanos. quot damna? quot uulnera? quot cædes inter homines fierent niſi medius eſſet quiſpiam, qui litigantes componeret, multa ergo mala mediator aliquis propulſat & repellit: contrà multorum bonorum & laudabilium cauſa eſt & autor, nam per medios & internuncios, quos Græci προξενῆτας appellant, quot connubia, quot emptiones, quot uenditiones, quot alij contractus fiunt & celebrantur. Quare bene in medio ciuitatum fiunt fora, templa, gymnaſia, prætoria, curiæ, tanquam ſcilicet in loco aptiore nobiliore & pulchriore. Et etiam num digniores uiri ſeu generoſiores fœminæ in medio locãtur, cum uenit aulæis iam ſe regina ſuperbis Aurea cõpoſuit ſponda, mediamque locauit. ex Marone ergo intelligitis hunc locum apud antiquos etiam in honore fuiſſe. Et Propheta ſe uota ſoluturum promiſit Deo ſuo in medio tui Hieruſalem. Multi etiam num populi ut Pannonij, ut Poloni eſculenta in medio conuiuarum ponunt, quaſi in loco omnibus cõmodiore. Imò menſam dictam uoluit Varro prius μέσαν, id eſt, mediam. & ea erat præcipuè rotunda. De dignitate ædificiorum nihil dico, quæ niſi habeant ſymmetriam, hoc eſt quoddam medium reſpondens altitudini, longitudini, & latitudini uituperantur. De habitatione terrarum illud uidetis regiones ſeptentrioni ſubiectas aſperas eſſe, & intemperatas, eodem modo & ſubiectas Cancro propter immenſos calores deſertas: medium autem eſſe in Italia quis non uidet? Præterea corpus noſtrum cum multa habeat inteſtina, unum illud habet quod à Græcis μεσέντερον à Latinis medium inteſtinum. Ego puto à Cicerone dictum fuiſſe mediaſtinum. hoc inteſtinum miro quodam artificio naturæ factum cernitur, multis uenulis circunſeptum, unde alimẽta cordi, iecori, ſpleni, pulmoni & omnibus denique membris mittũtur, quod qui corporũ anatomen uiderũt, ita eſſe teſtificari poſſunt. Quid

*quod terra ipſa medium ſuum habet. Pindarus Lyricorũ Græcorum princeps hanc refert fabulam, quod Iupiter cupiens ſcire medium terræ, duas aquilas, alij tamen dicunt duos coruos eiuſdem pernicitatis & uirium ſumpſit, & alteram ab oriente alteram miſit ab occidente. illæ uolantes in Parnaſo occurrerunt, ex quo Iupiter intellexit ibi eſſe terræ medium, & ille locus* μεσόμφαλος *à Græcis dictus, id eſt, medius umbilicus, & in Delphis poſitus fuit umbilicus uittis ligatus cum duabus utrinq; aquilis. hanc rem tãgit Ouidius, Et orbe in medio poſiti caruerunt præſide Delphi. & Lucanus, Heſperio tantum quantũ ſummotus Eoo Cardine Parnaſus gemino petit æthera colle. Sicut umbilicus eſt in medio corporis humani, ita cũ locum* μεσόμφαλον *ea ratione Græci appellauerũt, utrunq; tamen falſum eſſe Varro dicit hoc, nec umbilicũ eſſe in medio corporis nec Parnaſum in medio terræ. De Parnaſo contra Varronem, uerbum non facio, uerum de umbilico illud dicere auſim, Varronem non commodo dimenſum eſſe corpus humanum, quo metiendum erat. A uertice enim ad umbilicũ certe minor portio eſt, quam ab umbilico ad pedes, ut menſurauit Varro: ſcilicet errauit, pace tanti uiri dictum ſit. nam ſi hominem exporrectis brachijs & pedibus in diuerſum humi conſtituiſſet & circini immobilem partem in umbilico poſuiſſet, alteram partem per extremitates manuum & pedum circunducens, medium cognouiſſet eſſe umbilicum. Ego inter primos, abſit uerbo arrogantia, ex Vitruuij Pollionis uerbis hoc excogitaui. Planetæ quoq; ſiue errones quos ſeptem eſſe ſcitis, ſuum habent medium, hoc eſt ſolem: qui ut recte Cicero ſenſit dux eſt & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi & temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta ſua luce compleat & illuſtret. & à Phyſicis cor mundi, ab Ouidio mũdi oculus appellatur, omnia uidens & omnia audiens (ut inquit Homerus)* ἠέλιος θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει. *O magnum & admirabile mediũ ex quo omnia generantur, omnia cõſtant. Sol enim hyemis cauſa eſt, cum ad capricorni ſidus*

*accedit.*

*accedit: ueris, cum eſt in ariete: æſtatis, cum in cãcro: autumni, cum in libra: ex his quatuor tẽporibus fiunt arationes, ſementes, meſſes, uindemiæ, naſcuntur, creſcunt, maturant fructus. Sol præſentia ſua diem facit, abſentia noctem. Sine ſole non eſſet in terris uita, ut ex plagis ſcire licet, ad quas nunquam ſolis radij penetrant, quæ perpetuæ ſterilitati & rigori damnatæ ſunt. Quid cenſetis uiri illuſtres de terra? uidetur'ne uobis elementum pulchrum, utile ac admirandum? uidetur nempe. At ea mundi centrum, hoc eſt medium ſuper quo ſphæra aplanes continuè mouetur ac uerſatur. ipſa ſola ſtabilis, & pondere ſuo immota, mater frugum, mater plantarũ, mater animalium, tot fluuiorum, tot montium, tot ſiluarum, tot ciuitatum, tot oppidorum capax & receptaculum. Quare non abſque re à priſcis colebatur & mater deorum Cybele nuncupabatur. Sed quid dicam de eo medio, quod humanitatem diuinitati cõiunxit? Chriſtum dico generis humani redemptorem. per Chriſtum uero Deum intelligo & hominem, Dei patris filium genitum non factum, conſubſtantialem patri, qui ſolus legem naturæ innouauit, quæ à Græcis καινοτομία dicta eſt, hoc eſt, ſolus ſine ſemine natus eſt ab omnibus hominibus differens. & hoc ita difiniui, ut oſtenderem eos errare qui cænotomiam in Chriſto aliter interpretarentur, hoc eſt quod Chriſtus natus eſt ſine peccato, comedit, bibit, minxit ſine peccato, locutus eſt, capillum & ungues totondit, & alia huiuſmodi humana fecit, ſed ſine peccato: ſed hoc non eſt naturam innouare, uerũ illud quod ſuprà poſui differre ab omnibus natis, & ſine ſemine naſci. At uideas Codre, quò te agas, ne in profundam nimis undam te inijcias, unde regredi facile non poßis. Refer refer ergo pedem, & de tuo medio quæ reſtant loquere. Ita faciam, ſed prius huic medio & redemptori noſtro qui Hebraice Meſchias, Græce μεσίτης, Latine mediator appellatur, hanc ciuitatem & auditores meos commendabo. Aſpice nos tantum, & ſi pietate meremur, da deinde auxilium pater, atq; hæc omnia firma. Multa præteriens de medio dicenda illud*

*moneo in omni actu,in uerbis,in factis,in omni denique re medium quoad fieri poteſt eſſe ſeruandum.Verum quam difficile ſit hoc medium inuenire,& inuentum conſequi;credo uos non ignorare.nam ſicut multi ſciunt ſagittas iacere,ſed pauci ſcopum ferire,& plurimi circunducta manu ſeu digito circulum deſignare,ſed rari centrum,hoc eſt mediū inuenire, unde ab* Euclide *datur theorema,quo facile id reperiri queat: ſic multi,& loqui,& comedere,& bibere, & legere ſciunt quidem,ſed quantum loquendum,comedēdum & bibendum ſit ignorant. à peritis ergo diſcendum eſt,hoc eſt Philoſophis: habendi ſunt* Platonis Dialogi *in manibus,*Ethici *libri* Ariſtotelis,*eiuſdem magna moralia & reliquorum* Philoſophorum *reliqua opera quæ ad id pertinent,cōterenda ſunt.*Nunc *ut noſtra oratio aliquem finem ſpectare uideatur de eo medio loquamur,ex quo uirtutes oriuntur: & non omnes,ſed aliquot uirtutes cum extremis ſuis,tum eruditæ,tum facetæ utilitatis & uoluptatis cauſa numerabimus.Quatuor ſunt media uiri* Excellentiſſimi *binis comitata extremis,hoc eſt exceſſibus & defectibus,quibus actus humani laudabiles oriuntur & conſtant.*Primum *medium* Græce *dicitur* δικαιοσύνη, Latine *iuſtitia,exceſſus* πλεονεξία, *cum quis plus altero habet,& iniuſtus eſt.defectus* μειονεξία, *cum quis minus habet, & iniuria afficitur,ut ſi quis quinquaginta poſſideat aureos,alter centum quinquaginta medius habens centum hos æquabit, auferendo quinquaginta ab eo qui plus poſſidet,& dando illi qui minus habet.* Sed *duplex eſt hæc iuſtitia,una naturalis,altera legitima.naturalem appello ſuperiorem,cum quis tantum poſſidet quantum alter,quoniam natura quod potuit iuſtam ſe omnibus præbuit,tot artus, tot membra, tot corporis partes omnibus natis diſtribuendo.quod potuit dixi,propter monſtra quæ interdum plus habent,interdum minus.* Hanc *iuſtitiam naturalem ſeruare in ciuitatibus difficile eſſet, quoniam* Creſcit *amor nummi,quantū ipſa pecunia creſcit.ut* Iuuenalis *ſcripſit.*Iuſtitia *uero legitima eſt,quæ fit ſeruatis legibus, ut*

male=

maleficii puniatur: boni uiri, & qui Reipublicæ proſint præmijs affi ciantur, & unicuiq; quod ſuum eſt reddatur. De hac habetur Titulus apud Iuriſconſultos de Iuſtitia & iure. hanc iuſtitiam ſummopere cõmendauit Heſiodus, & immortali Deo dixit ſuprà modũ placere. hanc fuiſſe in Ariſtide Athenienſi legimus, qui unus poſt hominum memoriam, cognomento δίκαιος appellatus eſt, & in alijs Græcis multis. hanc in ſenatu Romano, hanc eſſe in noſtris Bononienſibus principibus, qui ita iuſte ſe gerunt, audiendo, reſpondendo iudicando, ut nullus iniuriam ſibi factam uere dicere poßit. De iniuſtis alijs & qui iniuriam paßi ſunt aut patiuntur, nolo in præſentia loqui, quoniam illis numerus non eſt, & de bonis libẽtius loquor quàm de malis. Illud tamen hic adnimaduertendũ, ne dum nimis iuſti eſſe cupimus uideri, tranſeamus in id quod ſpeciem uitij præ ſe ferat, & pro iuſtis dicamur immites & crudeles & ſanguinarij. Nam lex eſt, ſi quis in foro ciuem percutiat, manum amittat. Debilis uir & doctus iratus caſu percutit ciuem, ſi ex lege manũ amittat, morietur, lex aũt non damnat illum morti. quid ergo inuẽtum eſt ab his qui clementes & humani uere appellari poßunt, quod Græce dicitur ἐπιεικὲς, id eſt, æquum & bonum, quod eſt quaſi legis ſupplementum & correctio. lex enim generalis eſt, æquũ & bonum particularia, conſiderat ut ille pecunia mulctetur. Hac manſuetudine & clementia C. Cæſar laudatur & celebratur. hac Bononienſes præcipuè Bentiuoli, qui laceßiti non nocent, aut ſi quando nocere coguntur, graue crimen leuiore pœna cõdemnant, imitati Antoninum Imperatorem. Alterum medium dicitur ἀνδρεία, id eſt, fortitudo. exceſſus θρασονότης, id eſt, audacia, defectus δειλία, id eſt, timiditas. ſunt enim quidam in hac uita, qui minimum etiam murẽ timent, ad minimum ſtrepitum exhorreſcunt tanquam lepores & cuniculi. qualis fuit ille qui cum Herculem pelle leonina & calua armatũ trahentemq; cerberum catenatum uidiſſet è ſpelunca timore rigens in ſaxum mutatus eſt. huius meminit Ouidius in ſua Metamorphoſi.

&

& Prouerbium Græcum, δειλότερος εἶ τοῦ παρακύπτοντος, quales ſunt diuites auri & argenti, qui cuſtodes & claues multas habent, & canes nutriunt propter timiditatem. unde Græcum Prouerbium illos taxat, δειλὸς ὁ πλοῦτος, id eſt, timidæ diuitiæ. Alij ita audaces, ut nudi tanquam apri in uenabula ferantur, quales ſunt Barbaræ gentes ſeptentrionales, quæ nullam cædem, nullam mortem timent. Alij ſunt medium ſeruantes, qui quæ timenda ſunt, pericula timent, non timenda non timent, honeſtam mortem pro patria, pro gloria, interrito animo ſubeuntes. huic propinqua eſt magnanimitas, ſicut liberalitati magnificentia. uerum magnanimitas circa magna uerſatur, ut circa honores & inhonorationes, quas ἀτιμίας Græci uocant. & magnanimus rebus magnis ſe dignum putat, cum ſit dignus, nec facile quenquam precatur aut ſe ſubijcit, nec iniurias proſequitur, ſed obliuioni mandat. Fortes & magnanimos habuit multos priſca ætas, qualis fuit Achilles, qui breuem uitam cum gloria, quam longam uitam ſine gloria maluit eligere. Ideo Statio magnanimus Aeacides appellatur. Tales fuerunt Lacedæmonij illi qui apud Thermopylas ad unum interfecti ſunt, talis fuit Alexander Magnus, tales innumerabiles Romani. Fortes & magnanimos habuit etiam noſtra ætas & præcipuè Bononia. & ut de alijs taceam, ſcimus Hannibalem Ioannis Bentiuoli filium in Liguria apud Sardianum oppidum, ita ſtrenue, ita fortiter pugnaſſe, ut opera ſua oppidum illud in ditionem uenerit Florentinorum, in Aemilia quoq; contra Gallos, in agro Parmenſi apud Tarrum fluuiū contra eoſdem ita aciem Italorum iam fugientem reſtituit, ut de eo illud Ennianum cōuertendo dicere poßimus, Vnus homo nobis pugnando reſtituit rem qua magnanimitate & promptitudine ſe inter alios principes, & duces apud inuictum Regem Gallorum Ludouicum ſe geſſerit, ſi famæ non creditis, Minus Roſcius Senator prudētißimus in ea legatione collega, & tanquam Achates Aeneæ comes uobis exponere, & teſtis eſſe locupletißimus poterit. De fatribus eius

in præ-

*in præſentia non loquor, nec de alijs fortibus & magnanimis* Bono
*nienſibus qui armati nullos hoſteis fugiunt.* Tertium *medium à* Græ
*cis dicitur* φρόνησις, *prudentia à* Latinis. Exceſſus πανουργία,
*id eſt, aſtutia, defectus* ἁπλότης, *id eſt, ſimplicitas.* Prudētiæ *offi
cium eſt præterita meminiſſe. præteriti nanq; ratio ſcire futura fa-
cit, præſentia intelligere, & futura præuidere. ideo* Poëtæ *Palladem
ſapientiæ deam ſub nomine* Tritoniæ *celebrant, ab tribus ſcilicet il-
lis quorum nunquam mentionem feci: licet alij ab alijs tribus, hoc
eſt bene cogitare, benedicere, & benefacere, quæ pariter prudentis
ſunt officia.* Prudēs *ergo uir cauet ne decipiatur, ne erret: ſcit recte
circa utilia & bona cōſulere, & nō particulariter, ut ſcribit* Philoſo
*phus, ſed uniuerſaliter ad totius uitæ ſtatū digerendū.* Verum *ſunt
aliqui in hac uita pluſquam prudentes pleni aſtutiarum, pleni ma-
litiæ, omnes decipere, omnes eludere ſtudentes, qualis fuit* Hanni-
*bal* Carthaginenſis *fraus pluſquam* Punica, *ut à* T. Liuio *dicitur.
qualis fuit & ille* Autolycus, *de quo* Fabulæ *loquuntur eum ſcilicet
candida feciſſe de nigris, & de candentibus atra. ideo ad omne fur
tum ingenioſus erat. his aliqui numerant* Vlyxem, *peritiores tamen
ſapientibus aſcribunt.* Cæterum *noſtra memoria uidemus aliquos eti
am plurimum aſtutos, de quibus uerba non ſunt facienda.* Alij *ſunt
minus quam prudentes, hoc eſt hebetes, & ſimplices, & bardi, qui
omnia auſcultāt, omnia credunt, nil prorſus ſalis habentes, quales
fuerunt* Gabini *populi, qui fictis uerbis* Sexti Tarquinij *credentes
ab eo decepti ſunt, & ſtultitiæ ſuæ pœnas dederūt, à* Iuuenale *pro
pter hoc ſimplices appellati. hos ego ſimiles eſſe coruo hianti & ca
ſeum amittenti duco.* Prudentes *apud priſcos fuere non tantum illi
ſeptem, quos* Græcia *iactat: uerum & alij tam apud* Romanos *quam
apud* Barbaras *gentes.* Et *noſtra ætas uidit* Coſmam Medicum, Fe-
*dericum* Vrbini *ducem inuictum,* Pinum Ordelaphum Forliuij *prin-
cipem,* Laurētum Medicum Coſmæ *nepotem, & alios quoſdam.* Sed
*præcipue uidemus ſenatus noſtri* Principem Bentiuolum *qui ſuo &*

*ciuium ſuorũ conſilio, hanc ciuitatem à fame, à peſtilẽtia, à bello immunem conſeruauit cum à bello Ferrarienſi ad hoc tempus nullus locus, nulla urbs, nulla pene Italiæ uilla, in aliqua malorum perturbatione fuerit. Quartum medium Græce σωφροσύνη dicitur, id eſt, temperantia: extrema habet ἀκολασίαν, id eſt, intemperantiam, & ἀναισθησίαν. id eſt, quodammodo inſenſibilitatẽ. Temperãtia maxime probatur uoluptate guſtus, ac tactus. & intẽperantes appellamus qui cibo & potu, & rebus uenereis nimis delectantur, qualis fuit Philoxenus quidam apud Græcos, qui collum gruis habere optauit, ut ſcilicet diutius comedendo & bibendo uoluptate afficeretur. Inſenſati uero poſſunt hi appellari qui ſeu natura ſeu conſilio ſe ipſos ita uoluptatibus priuauerunt, ita caſtrauerunt ut ſaxea potius ſimulachra dici poßint quàm homines. Rari tamen hi ſunt. Tamen de Xenocrate legimus eum ita continentem fuiſſe, ut à meretrice pulcherrima tractatus corrumpi non potuerit, legimus etiam apud Hieronymum ſub Deciano & Valeriano Chriſtianæ fidei perſecutoribus quendam iuuenili ætate florentem apud Aegyptum fuiſſe ſupra lectum blandis ſcortorum nexibus irretitum, & à puella ſpecioſißima digreßis omnibus alijs, amplexibus & oſculis tentatum, tãdem linguam ſuam mordicus inciſam in oſculantis faciem expuiſſe, & ita ſe ſenſu doloris à libidine defendiße: ſed hic de quo uerba feci & alij huiuſmodi martyres Chriſti diuino auxilo potius quam humano fuere conſtantes. Nõnulli tamen reperti ſunt, qui uel magnitudine corporis uel caliditate quadam excellenti ſtomachi à natura formati multo potu & cibo indiguerunt. qualis fuit Hercules q propter fortitudinem uinoſus fuit, & eadem ſæpius naui qua nauigabat potabat. qualis fuit Milo Crotoniata, qui triginta panes una cœna comediſſet. qualis ille Phago quo Aurelianus Imperator delectabatur q uno die ante menſam Imperatoris aprum integrũ centum panes, ueruecẽ & porcellũ comederit, biberit aũt in fundibulo appoſito plus orca. Et Borſius Ferrarienſiũ dux ha-*

buit

*buit Pauarinũ quendã non minorẽ Phagone:nos quoq; habemus unũ & fortaſſe plures q̃ nõ multo ſuperioribus inferiores. hos ego non intemperantes uocarẽ.ſi tantũ cibũ natura exigeret:cõtra eos potius intẽperantes uocarẽ,q̃ cum modici caloris ſint & ſtomachi debilis, cibi deuorant multũ. Tace hic Codre aliquantiſper,& audi ſi libet. multa de Medio non minus eleganter quam copioſe dixſti: & quot modis ſumatur & quam utile,& neceſſarium & pulchrũ in actibus humanis,in artibus,in terra, in toto deniq; mũdo, & de Mediatore Chriſto fidei,& de quatuor medijs ex quibus quatuor fiunt uirtutes,& de eorum extremis uitioſis,cum exemplis omnia ſanè luculentè narraſti,& omnia placuerunt præter illud unum, quod retuliſti medium ualde difficile inuentu eſſe,& inuentũ conſequi. nam fœminæ medium in promptu habent, & noſtri iuuenes appetũt,& quærunt & inuentũ conſequntur libenter, & ſuauiter. Fœminæ mediũ habent?Habent ſane ſi interfœminiũ dicitur medium,quod eſt inter fœminarũ femora. Hoc nõ eſt illud de quo loquor mediũ,ſed tamen poſtquã huius medij mentionẽ feciſtis,dico in hoc Medio, Medium magis eſſe ſeruãdum quam fortaſſe alijs in rebus. nam, proh deum fidem, ſunt aliqui mortales ita huic libidinis uitio dediti ac immerſi, ut dies noctesq; id agant cum lenonibus,cum meretricibus,cum cinædis,cum exoletis, cum ſpintrijs conuerſantes, conuiuentes, dormientes, per omnem ætatem, per omnem ſexum, per omnia membra uoluptatem captantes. hi magnopere reprehendẽdi eſſent, uerum illos præſens pœna caſtigat. fiunt nanque debiles,macilenti,tremuli, ſpaſmatici, oculis in caput fixis, obliuioſi,podagri,& ad ſumma breuis uitæ, & ſæpenumero apoplectici. nihil eſt enim quod tam cito uitam conſumat humanam quam ſuperflua libido. hoc & in uolucribus, & plantis etiam patet cum paſceres eadem de cauſa & piſces breuis ſint uitæ. lactucæ, caules, & arbores cito aut nimium ſeminis producentes, cito creſcunt & moriuntur. Quam pulchrum uero & laudabile ſit diu uiuere cum ex multis rebus*

Ff 2 quas

*quas in præſentia taceo, tum ex dicto illo diuino intelligi poteſt, Longitudine dierum replebo eum, longæuitatem pro magno præmio Deus immortalis pollicetur, quam iſti libidinoſi nihili faciunt. Alij ſunt qui uel natura quia alſioſi ſunt, aut ſemiuiri uel cõſilio ut ſuprà paulo dixi libidinem caſtrant, ut ſint uirgines, qualem fuiſſe redemptorem noſtrum credimus. hi à Chriſtianis laudantur, à Philoſophis uero non. quoniam igniculos uoluptatis à natura coniunctionis amoris & generationis cauſa datas ſupprimũt & extingunt: qui uero medium tenent, & recta incedunt ſemita, naturæ reddentes quod acceperunt, hi non mediocriter collaudandi. At hic ſi libet aliquas ſoluamus quæſtiones doctrinæ & delectationis cauſa. Quare fit ut omnia animalia libidine capiantur: Quod expreſsit Maro illis uerſibus, Omne adeo genus in terris hominumq; ferarumq;. Notum eſt carmen. quoniam libido res eſt dulciſsima ſiue ſuauiſsima. natura enim dulcibus gaudet, & quare ſuauiſsima? Reſpondent quidam, ut animalia magis ad generandum alliciantur. Ariſtoteles præter hanc in porblematis aliam reddit rationem: uel quia ſperma, hoc eſt ſemen genitale ex toto profluit corpore: uel quia profluit ad eam partem ad quam omnes uenarum pori, id eſt meatus conueniunt. quare fit ut totum corpus uoluptate afficiatur. Sed quare hirſuti homines, & equitantes, & claudi ualde ſalaces & luxurioſi ſunt? hirſutorum ratio, quoniam hirſuti multo humore & calore abundant: quod pili oſtendunt, ut pennæ in auibus. res aũt uenerea ex calido prouenit & humido. Equitantes uero agitantur & mouentur ferè eo modo quo in coitu, ex quo motu deſcendit humor ad inguina. unde fit ut ſæpe equitantibus mentula arrigatur. Claudi quoq; eadem ferè ratione ualde libidinoſi ſunt. quoniã parum alimenti poteſt deorſum in crus deſcendere propter cruris uitium, ſed ſurſum fertur, & in ſemen facile conuerti poteſt. Illud etiam ſcitu pulcherrimum, quid ſit ſperma, hoc eſt genitale ſemen. Ita enim Maro interpretatus eſt in Georgicis, Et genitalia ſemina poſcũt. multæ de hoc habentur opiniones:*

Pytha

*Pythagoras dixit eſſe ſpumam utiliſsimi ſanguinis, uel cibi excrementum utiliſsimum: Alcman partem cerebri ex eo quod cernebat libidinoſis oculos dolere qui ſunt cerebri partes & renes quoque, in quibus eſt medulla ſpinalis à cerebro deſcendens: Plato dixit eſſe ſpinalis medullæ fluxum: Democritus fluxum eſſe ab omnibus partibus corporis prouenientē: Ariſtoteles excremētum alimenti ſanguinei quod ultimum in membra digeritur Epicurus animæ & corporis ablationem uiolentam: Qui putauerunt eſſe ſanguinem natura & calore teſtium decoctum & dealbatum, ea ratione moti ſunt, quod uiderunt nimium & ultra uires coēuntes ſanguinis guttas eijcere, ſed eo decepti ſunt, quoniam uenæ ſpermaticæ, hoc eſt per quas it ſemen, non intrant teſtes, ſed eos habent quibuſdam neruis qui cremaſtires Græce appellantur ſuſpenſos, tanquam ponduſcula quædam quæ eas aperiunt, ut facilius exeat genitura, quemadmodum textores ſolent telis quædam adhibere pondera, ut fila teneantur aperta. & hoc eſt quod eunuchi non ſeminant, habent enim teſtium defectu meatus occæcatos & clauſos. & ut recte uel Pythagoram uel Ariſtotelem intelligamus, ſciendum duplex eſſe excremētum, aliud inutile ut urinam, feces, ſudorem: aliud utile, ut pituitā & pinguedinem. cum ergo calor naturalis cibum concoxit, illum in augmentum ſeu alimentum corporis conſumit. ſi uero plus concoxit & ſupereſt aliquid: illud excrementum utile appellant Philoſophi, ex quo fit generatio. hinc ergo patet pueros, & ſenes, & eos qui in ægritudine ſunt non ſeminare, quoniam pueri non poſſunt tantum cōcoquere, ut aliqd ſuperſit propter corporis incrementū: ſenes uero & ægri propter debilitatem. Sed cur nam longam habentes mentulam non facile fœminas reddunt prægnantes, quoniam cum res uenerea ex humore & calore fiat longo itinere & uia profluens refrigeratur, & ſuum quodammodo amittit calorem, & ſic inhabilis ad procreandum redditur: contrà fit in uirga breui. hoc modo auſim affirmare, uiderint iſti qui patres eſſe cupiunt. Vltima quæſtio ex*

cuius ſanguine ſiue materia ſit fœtus, an ex mare an ex fœmina. Fuit tempus, quo putabam generationem ſimilem eſſe fuſis numiſmatis. ſolent pueri habere quaſdam formulas in quas metallum liquidum infundũt, ita putabã fœminæ ſolum uas genituræ maſculæ præſtare & nutrimentũ etiam: uerũ ex illa materia maſculina fieri fœtum, quare Vergiliũ dixiſſe, Proijce tela.m.ſ.m. Aliter admodũ dicit Ariſtoteles, & uerè ut cætera. Fœmina enim cũ prolifica eſt & menſtrua producit actu inanimata & quodammodo liquida, quæ uiri ſemen condenſat & reddit animata. idem in conceptione fœtus poſſumus dicere, quod de coagulo lac condenſante dicere ſolemus, & me hercule ita eſt: Videmus enim plurimos matribus ſimilis eſſe, utpote ex illarum ſanguine procreatos: Videmus & mores referre. ſi enim matres ſtolidæ ſunt & filij ſtolidi: ſi prudẽtes, filij quoq; prudentiam matris redolent. Illud præterire non poſſum cur uiri ſapientes & eruditi filios generant ut plurimum inſipientes & ignauos: cõtrà inſipientes patres producũt filios ſapiẽtes: quoniã ſapientes & eruditi in coitu ſemper aliquid egregiũ præter Venerẽ cogitant, & mens illorũ eleuata eſt in eo, quo fit ut ſemen quodammodo illa ui animali prudẽte deſtituatur: ſtulti uero & inſipiẽtes totã mentem ſuã habent in ſuauitate coitus, unde fit ut bonæ mẽtis filios producãt. Sed his iam ſatis. In ſcientia ego quandã facio mediocritatẽ, Philoſophi non mentionem fecerunt ea ratione ut arbitor, quoniam crediderunt hominem nunquã ſatis ſeu pluſquam ſatis ſcire poſſe. Et certe ego ita eſſe credo. nã dicebat Cicero ſi duplicaretur ei ætas, non ſatis eſſet ad euoluendos Lyricos: & Plautus non ætas eſt ad perdiſcendum ſatis. Verum ſunt aliqui in hac uita qui non contenti Grammatica, Rhetorica, Philoſophia, Medicina, Iure ciuili, Theologia, uolunt ea ſcire quæ ſciri non poſſunt, quid agat immortalis Deus in præſentia, quid acturus ſit, & quando per chiromantiam, pyromantiam, hydromantiam, necromantiam, & alias nugas futura noſſe elaborant. hanc ego appello curioſitatem & eam damno, quo-

quoniam huiuſmodi homines ſæpenumero pro incertis certa relinquunt & obliuiſcuntur, & uſque ad deliramenta deſcendunt. Sunt alij qui illuſtres Grammatici, acuti Dialectici, eloquentes Oratores, experti Medici, prudentiſsimi Iureconſulti, diuini Theologi cõtenti ſunt ea quæ in hominum cadere poteſt doctrinam: quales ſunt hi Bononienſes doctores peritiſsimi qui doctrinam ſuam ueram, non fucatam, non ambitioſam per totam ſparſerunt Italiam, & extra Italiam quoque quotidie ſpargunt. hos ego laudo, & ſummopere cõmendo: eorum nomina curione non egent, uos uidetis in præſentia, uos cognoſcitis. hos audite & obſeruate auditores egregij. nulla doctrina melior, nulla ſcientia ſtabilior Bononienſi facile reperiri poteſt. Hoc ego Medium ſcientiam uoco, Græci ἐπιστήμην, & mecum ſentire uidetur Propheta qui dixit, Guſtate & uidete quoniam ſuauis eſt dominus. & Baſilius Magnus illud exponens, bene inquit, Propheta dixit, Guſtate & non implemini, quia nunc ex parte cognoſcimus, & per ſpeculum aſpicimus & per ænigma ueritatem. Veniet autem tempus in quo hic arrabo, & hic gratiæ guſtus in perfectam uobis fruitionem conuertetur, & Paulus Apoſtolus hoc idem confirmauit, Nolite ſapere pluſquam oportet ſapere, ſed ſapite ad ſobrietatem, quod tamen alij interpretantur ad caſtitatem. Contrà ſunt alij qui bonarum artium uel literarum penitus ignari curam uel diſcipulorum uel populorum ſuſcipiunt regendorum. quales ſunt ſacerdotes multi ruſticani ſeu montani, qui neſciunt nec ſcire nituntur. In pecunia quoque Medium eſt, Græce ἐλευθερία, id eſt, liberalitas dicitur habens duo extrema ſummopere fugienda prodigalitatem & auariciam. Sunt enim quidam ita auari, ita pecuniarum cupidi, ut dies & noctes cogitent quomodo rapere poſsint, quomodo fœnerari, non comedũt, nec intelligitis reliquũ. Auaricia ſane ut ſcribit Salluſtius fidem & probitatem, cæteraſque bonas artes ſubuertit. qualis fuit ille Plautinus Euclio qui præſegmina unguium domo à tonſore ferebat

qui

*qui nocte ob collum follem colligabat, ne quid animæ dormiẽs amit teret.* M. *Craſſus auariciæ damnatur, quod totum* Parthorum *aurum exurerit, ubi cum filio & 11. legionibus profligatus, ludibrio quoq; habitus fuit. Alij contra ingentium diuitiarum hæredes conſumunt, dilapidant, deuorant pecunias, agros, uillas, prædia, ueſtes, gemmas, nihil ſibi relinquentes cum coquis, fartoribus, piſcatoribus, lanijs, paraſitis, in luſtris, in cauponis uitam agentes, aut in ludis theatrali bus tumore quodam elati, & ambitione bona ſua diſtrahentes, aut alea aut rebus alijs homines in paupertatem trahentibus.* T. Annius Milo *prodigalitatis accuſari poteſt, qui cũ tria poſſediſſet patrimo nia, tamen moriens ſeſtertia ſeptingenta milia debuit.* M. Apitius *nepotum altiſſimus gurges, prodigus fuit, & multi alij quos* Græci ἀσώτους *uocant, Latini perditos.* Qui *uero pecunias expendunt, quando oportet & quantum oportet, & qui donant quibus oportet, hi liberales uocantur, laudantur & celebrantur. & hæc uirtus liberalitas ſiue munificentia nominatur. huic addere poſſumus* μεγαλοπρέπειαν, *id eſt, magnificentiam. quamuis magnificẽtia circa magnas res uerſetur, liberalitas circa minores. magnificentiæ extrema ſunt* ἀπειροκαλία *quæ à noſtris dici poteſt ſuperbia, &* μικροπρέπεια, *id eſt, puſillanimitas & indecentia, ut in nuptijs ſeu conuiuijs parum decenter ſe habere.* Magnifici *& liberales tam apud* Græcos *quam apud* Romanos *multi fuerunt, ſed* Luculli *magnificentia in primis celebratur, qui rogatus an poſſet centum ueſtes or nando theatro cõmodare: reſpondit, uidebo an domi habeam. poſtea cum uidiſſet,* Reſcripſit *ſibi milia quinq;* Eſſe *domi chlamydũ, par tem uel tolleret omnes. ut memoriæ mandauit* Horatius. *ô liberalitatem immenſam.* Solebat Lucullus *habere in conuiuijs ſuis oſtreas, turdos, aues, phaſianas, & omne genus tam auium quam ferarum delicatum & regale.* Dolebat Pompeius *ſe ægrotum illis carere. nihil mirum cum* Lucullus *omnia maiore prætio compararet, ad cum à uenditoribus concurſus fiebat: præterea in uiuarijs ſuis res omnes*

*delica-*

*delicatas nutriebat. Cum hæc magnificentiæ fama per Vrbem totam increbuiſſet Pompeius Ciceroq́; decreuerunt experiri an tantus eſſet ſplendor & conuiuij apparatus, quantus prædicabatur. Certo die Lucullum in foro ocioſum conuenere & eo ſalutato, Cicero uolumus inquit, hodie Lucullc apud te cœnare, ſed hac lege ne quid noui noſtri cauſa parari facias. ille reijciebat in diem poſterum, non quia cœna illa quotidiana non eſſet opipara & dubia: uerum ut maiore apparatu Pompeium Ciceronemq́; honoraret. illi dixerunt nolle differre. Itaq; cum eum medium ſeruarent, ne domum ſe conferret, forte Lucullus uidit è ſeruis unum, cui dixit, hodie cœnatur in Apolline. Erat aũt Apollo cœnaculi nomen in quo cœna quinquaginta milium ſeſtertium parari ſolebat. ſeruus rem intellexit, Cicero & Pompeius decepti ſunt. Seruus ergo ſplendidiſſimo apparatu & omnibus ferè epulis delicatis cœnam parauit, in qua diſcumbentes Pompeius & Cicero tãtam lauticiam ciborum & tantam apparatus celeritatem admirati ſunt. Habuit noſtra quoq; ætas liberales uiros & magnificos, quos ſuis ciuitatibus laudandos relinquo, de noſtris aliquot attingemus. Hannibal Bentiuolus Ioannis Bentiuoli Principis noſtri pater, cuius imaginem equeſtrem in æde Sancti Iacobi cernere poteſtis, adeo liberalis fuit ut nihil pene ſibi ſeruaret. pleraq; amicis diſtribuebat. Veniebat ad eum amicus pauper quiſpiam dicebatq́;, Hannibal non habeo frumentum, rogo ut mihi ſubuenire uelis: & ille reſpondebat, Vade in horreum, & tibi ſume quantum tibi opus eſt. accedebat alter amicus, Hannibal, domi meæ nõ eſt uinum, inſeruias mihi rogo te. & Hannibal uade, inquiebat, in cellam uinariam & tibi dari iubeas à diſpenſatore. alius item uellem Hannibal mihi aliquas mutuaras pecunias: & ille ſi habebat, mutuabat, ſi non, diſcingebat cingulum, Accipe & uade ad Hebræum. Itaq; Hannibal pauper erat & diues, pauper diuitiarum, diues amicorum. huius liberalitatem imitati ſunt poſteri eius & præcipuè nepos eius Galeatius Archidiaconus Bononiẽſis, qui uerſiculũ illum*

*noſtrum ſemper habet in ore: Seruos fideles liberalitas facit. & me Hrecule recte & ſapiēter dicit & facit. nā ut lepidus Poëta ſcripſit, Extra fortunam eſt, quicqd donatur amicis. Quas dederis ſolas ſemper habebis opes. Alexāder Magnus interrogatus, ubi ſuos repoſuiſſet theſauros, oſtendēs amicos dixit, ἐν τούτοις, id eſt, in his. & cum omnē pecuniā, omnes res ſplēdidas, & pretioſas donaret, amici rogauerūt, & qd habebimus nos? Alexāder me ipſum inqt, habebitis. ô uocē magnanimo principe dignā, cum quod dare poſſet Alexander non haberet, ſeipſum ſuis præmium fecit. Reſtat medium unum, quo expedito finē ſermoni noſtro faciemus. Sed ô Codre, antequam finem facias, nos iterū auſculta. Sermo tuus omnibus nobis placuit, & placet, quoniam nobis ocreas & cothurnos unxiſti perpulchre & perbelle. quid unxi? Laudaui uos ex merito, & ut in eam partem accipiatis rogo. Ita accipimus, & ut dicere cœperamus placuit nobis oratio tua: uerum credimus eam mulieribus ingratam fore, & non placituram ſi audiuerint. fœminæ enim. quamuis habeant medium, tamen nolunt medium ſed totum. quid totum? totum ſcilicet non intelligis fœminas uelle, aut totum aut nihil. hem habeo, uos uultis aliquid iocoſi audire: credo uos uera dicere. fœminæ amant totum, imò etiam fortaſſe pluſquam totum. nam fœmina ualde libidinoſum animal eſt, & niſi pudore & uerecundia teneretur, ſæpius uirum appeteret quam appeteretur, ſæpius inuaderet quā inuaderetur. De intēperantia fœminæ dixi alias in quadā oratione illos rythmos, In uenere nō deficit, & nūquam dicit ſufficit, ad iterandū allicit. Non deſunt nobis exēpla tam fabuloſa quā hiſtorica, tā priſca quā noua. Paſiphaë Minois regis uxor ſe tauro ſuppoſuit. Semiramis equū uſq; ad coitum adamauit. Hic prætereo eas quæ patres amauerūt, quæ itē fratres. Meſſalina Claudij Cæſaris uxor ancillam nobiliſſimam è proſtitutis die ac nocte ſuperauit quinto ac uigeſimo cōcubitu. Ioanna illuſtris Regina Neapolitanorū nónne fere memoria noſtra libidine ardens fuit, & tētigine rigida ferebatur.*

*hæc*

hæc cũ ſciebat aut uidebat uiros naſutos,neceſſe erat eos in cõplexi-
bus haberet.Experta enim fuerat illud dictũ phyſionomicũ eſſe ue-
rum,Ad formã naſi.reliquũ uos ſcitis.O dedecus imperij,ô infamia
regni.Vellẽ tamen auditores ornatiſsimi orationẽ meã fœminis quo
que placere,quare optimũ factu eſt ut mutem ſententiã, & noſtras
ſaltẽ cõmendem quæ modeſtiſsimæ ſunt,nõ tamen nimis ſeuere,ſed
illud quod medium eſt atq; inter utrunq; probatur.Sed de hac re ſa-
tis.Iam uideamus ultimũ medium quod à Græcis φιλία dicitur,id
eſt,amicitia,beneuolẽtia,amor habẽs duo extrema admodum uitioſa
κολακίαν,id eſt,adulationẽ,& ἔχθραν,id eſt,odiũ & inimicitias.
Sunt aũt & in uerbis & in factis hæc extrema.Nã adulator pluſquã
cõueniat,& re uera exiſtat adiũgit: inimicus uero ſiue inuidus cõtrà
facit,ſemper de ueritate aliquid detrahens.amicus uero per medium
horũ incedens,neque plura exiſtentibus addit,neq; exiſtentia dimi-
nuit,neq; laudat uituperanda, neque uituperat laudanda.Inter ami
cos pono affabiles, officioſos, religioſos quales ſunt in hac urbe
Alexander Bentiuolus, & eius frater Hermes equites ſplendidiſsi
mi. Qualis item Nicolaus Rango Palatinus comes, & Bononien-
ſium armatorum dux ſapientiſsimus : à quibus ut ab humaniſsi-
mis principibus, nemo unquam triſtis abſcedit. Quantam uero
ſit hoc tempore adulatorum copia, quanta paraſitorum, nõ poſſem
uerbis conſequi. Et nihil mirũ. quoniam, quemadmodũ ad audiendũ
maledicta faciles aures materiam ſuſurrandi maledicis præbẽt,ita
molliculæ aures & laudationibus exultantes ingens adulatorũ pàri
unt,ut nutriunt examen.Nihil fere hodie auditur quam magnificẽtia
ueſtra,excellentia ueſtra, dominatio ueſtra, Reuerendiſsime domi
ne, Beatiſsime pater, Sanctitas ueſtra & alia huiuſmodi ambitio
nis & timoris cuiuſdam plena,quæ ex ſtultis inſanos reddunt. Si
quis Poëta ſiue Orator,ſiue Medicus,ſiue Iurecõſultus noſtri tẽpo-
ris aliquas cõpilat nugas,ſuperbo in primis uult titulo decorari.Cla
riſsimi uiri,ac Poëtæ laureati,& utriuſque linguæ doctiſsimi Codri

opus. Eximij artium & Medicinæ Doctoris, ſeu Eximij Doctoris ac utriuſq; iuris peritiſſimi, ac equitis aurati Domini Petri conſilia. Sed quid hæc enarro. legere licet titulos & Iuſtiniani & aliorum Imperatorum eius temporis pluribus cognominibus prouinciarum, quàm ſint ipſæ prouinciæ inſignitos. Antiqui tot phylaterijs nō utebantur, legite Ciceronis epiſtolas. Cicero Cæſari Imperatori ſalutem. & cōtrà Cæſar Imperator Ciceroni ſalutē. Legite titulos Græcorū ut Ariſtotelis nempe, ſic inuenietis: Ariſtotelis Rhetorica, Ariſtotelis Phyſica, uel de Naturali auditione. Ita reliquorum Philoſophorum tituli ſe habent. Quid quod plebeij quoq; (ſi dijs placet) magnifici ac excellentes ſi opulentiuſculi ſunt, uocantur? qd quo fraterculi cucullati his gaudent blandicijs. quotiens quis eos ſalutans dicit, ſaluete Patres reuerendi, rogamus Paternitatem ueſtram & Sanctitatem, ut nos audire uelit. Et cum res diuinas agunt palliati ſeu chlamydati ante aras aſtantes, & manu adoleſcentis clerici thuribulum accipientes, ſi adoleſcens manum oſculatur, ô quam lætantur, quanta afficiuntur uoluptate, nec non cum thuribulum reddunt, & ille clericus iterum oſculatur ſacerdotis manum, leticia & uoluptate geminantur, & ille bonus adoleſcens arbitratur ſe manum ſanctam oſculari, quæ fortaſſe nocte præcedenti aliud tetigit thuribulum. Quid dicam de adulationibus, quibus nonnulli erga me quoq; utuntur, neſcientes quanto opere has nugas cōtemnere & deridere ſoleam, ignari quibus uerbis obiurgauerim Raguſinum quendam eruditum Poētam, qui oratione ſua luculenta, me Cicerone & Demoſthene diſertiorem mihi ipſi perſuadere conabatur. Contrà ſunt alij qui genus humanum odio habent inuidi, maligni, maledici, qui plus mali cernere quam boni peroptāt. qualis fuit apuit Athenienſes Timon ille miſanthropos à Græcis cognominatus, qui deſperantes multos perduxit ad ſuſpendiū. habebat hic ficum domi, de qua multi ſe ſuſpenderant: cum uideret iam diu nullū ſe ſuſpendiſſe proceſſit in forum & locum ſatis eleuatum aſcendens proclamauit, Ego ficum de qua

multi

multi ſe ſuſpenderũt excindere uolo. ſi quis pendulum ſe uult face. cere antequam excindam,acceleret. huiuſmodi certe homines caſti gandi imò de cœtu hominum expellendi eſſent. tollunt enim de uita amorem,beneuolentiam,cõiunctionem,amicitiam patrum,filiorum, fratrum,propinquorum. quibus ſublatis quæ cauſa uiuendi alia no= bis à dijs immortalibus relicta ſit nõ uideo. Sunt & alia præter hæc media:quæ in aliud tẽpus dicenda reſeruo. Hæc igitur ſit noſtri ſer monis peroratio & finis,ut hi qui uel libidinoſi,uel prodigi,uel aua ri, uel adulatores, uel alio quouis extremo capti ſint, ſe ad medi= um quoad poſſunt ſeruent: illud tamen ſcientes in malis rebus non eſſe medium,ut in homicidio,in ſtupro: & medium ipſum ſæpenu= mero ad unum extremum magis inclinare quam ad alterum,ut libe= ralitas propior eſt prodigalitati quã auaritiæ, & fortitudo auda= ciæ quam timiditati. ex quo fit ut interdum uitium nomen uirtutis u= ſurpet. Itaq; nos animaduertentes medium ſiue mediocritatem cau= ſam eſſe longæ pacis & quietis in urbibus ſequamur illud Phocyli= de præceptum, πολλὰ μέσοισιν ἄριστα μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι, id eſt, multa medijs optima. medius in ciuitate eſſe uolo. ſicq; & uiui & mortui laudem famam & gloriam immortalem conſe= quemur, Quod ad Fabium Quintilianum attinet, doctrinam illius in cœlum tollerem niſi uiderer aliorum doctorum lectiones deprime re atq; cõtemnere. quod uiro bono,quales imprimis eſſe cupimus fa ciendum non eſt: illud tamen quoniã mediũ tenendũ eſſe ſtatuimus, mediocriter dicemus, Quintilianũ cũ gaudiũ præcipiendo attigiſſe, quem Cicero in dicendo attigit. ſicut enim Cicero nec habuit,nec ha biturus eſt orando pares: ita nec Quintilianus docendo rhetoricam. quod ita eſſe intelligent q̃ audient,cũ ſe hac auditione multum profe ciſſe cognouerint. Verũ Hiſpani eum Calaguritanũ fuiſſe dicunt,qui dam Itali negant: nec libris temporũ credunt Hiſpani, autoritate di= ui Hieronymi quibuſdã in locis reclamant. Ego quid dicã neſcio. Vos niſi uinũ impedierit, uideritis: aut poſt Bacchanalia ueſtrum mihi iu dicium ſi uidebitur, rogo notũ faciatis.

## ANTONII CODRI VRCEI SERmo XIII. habitus in laudem Liberalium Artium.

QVod Maiores noſtri in ſacris uſurpabant id uerbũ, ego nunc in principio lectionis meæ uobis concedentibus uſurpabo Præſtantiſsimi uiri, Fauete linguis & me cum æquanimitate audite: poſtquam in hoc celeberrimo Muſeo non eloquentia mea quæ nulla, nõ ingenio quod exiguum eſt: ſed Muſarum gratia, quæ totas mentes ueſtras poſſederunt, cõgregati eſtis. Ego uero quæ uobiſcum acturus ſum, breui ſermone tranſigam, dicamq́; ea quæ partim delectabunt, partim proderunt, partim adhortabuntur, partim etiam caſtigabunt. Et ne ſemper Homerũ prædicare uidear, & literas Græcas alijs præferre: loquar hodie genicôs (ut Græci dicunt) de Scientijs ſiue Artibus liberalibus, oſtendamq́; in animis hominum nihil ſcientia eſſe pretioſius: & hoc fortaſſe plurimumq́; & ab hominibus, & ab dijs artibus liberalibus conſequar tributum eſſe, ut & q ad diſcendum incitati ſunt in propoſito magis cõfirmentur, & qui ſemiſopiti & quaſi nolentes ſtudia literarum paruifaciunt, exciten tur, & in ſententiam noſtrã pedibus non eant modo, ſed tanquam alipedes ſtipulati percurrant. Si qua tamen de Homero & de literarum Græcarum excellentia à nobis dicentur, ea quaſi in tranſcurſu recitabuntur, ita ut non dicta, ſed libata eſſe uideantur. Quantum immortali Deo rerum omnium parenti debeant homines etiam (ut in prouerbio eſt) Cæci uident. nam præterquam quod à brutis eos in ſermone ſeparauerit, diuinitatis etiam participes animum tribuendo eſſe uoluit. Quare & Hebræus Poëta, & Athenienſis Philoſophus recte dixiſſe iudicantur. ille enim cum de homine loqueretur ſic ait, Minuiſti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & cõſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia

ſubie-

*ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues, uniuerſa inſuper pecora
campi, uolucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas ma
ris hic aũt dijs gratias agebat, quod ſe hominẽ nõ brutũ animal fe
ciſſent. Quidã etiã Græcus Sophiſta, qd eſſet homo interrogatus: fa-
ceret reſpõd ſſe fertur, θεὸς θνητός. καὶ τί ἐστι θεός, ἄνθρωπος ἀθά
νατος, id eſt, Deus mortalis. qd deus? homo immortalis: quaſi homo
à Deo, & Deus ab homine nulla alia re niſi mortalitate et immorta
te differrent. Sed hic quæ altioris doctrinæ uidẽtur eſſe omittamus,
minora & quæ magis humeri noſtri ferre poſſent ſcrutemur. Om
niũ animaliũ ſolus homo ſciẽtiæ ſuſceptibilis eſt, & artiũ plurimarũ
inuentor ſiue imitator. Alia enim animalia ferè ἄτεχνα, id eſt, in-
artificioſa ſunt præter pauca quædã, quæ tamen magis natura quã
electione artiũ cõſecuta ſunt. Homo uero non ſolũ brutorũ æmulus
eſt. texit enim ut aranea, fingit ut apes, & natat ut piſcis: uerumetiã
deos ſtudet imitari: nã medicatur ut Aeſculapius et Apollo, et nõ tan
tum in hac arte Apollinis eſt æmulus: ſed in alijs quoq; quas ille ha-
bet, hoc eſt ſagittatione, Muſica, diuinatione. Homo etiam Muſarum
inuẽta ediſcit, Geometriã ſcilicet, Arithmeticã & Aſtronomiã: & ut
ait Pindarus, q̃ infra terrã ſunt, et ſupra cœlũ re intelligere & ſcire
conatur, ut ſophos, id eſt, ſapiẽs euadat, & maximũ diuinorũ bonorũ
philoſophiã adipiſcatur: propter quã et ſi quibuſdã alijs animalibus
ratio cõtingat, tamen per excellentiã ſolus homo rationalis dicitur.
Et cũ cuilibet animali qddam propriũ à natura datũ ſit, ut ceruis cur
rere, auibus uolare, piſcibus natare, hominis propriũ eſt ſcire: quod
etiam nouit Philoſophus. Omnes homines natura ſcire deſiderãt, &
meritò quoniã ſciẽtia pficit animã. Anima enim ſine ſciẽtia tãquã ca
put ſine cerebro dici põt. Præterea cũ cæterarũ rerũ ſimilitudo aut
multitudo faſtidiũ faciat. nã nimia corporis pulchritudo interdũ mi
ſeria eſt, & omnifariæ uoluptates, & ingẽtes diuitiæ, & potẽtatus,
interdũ homini graues ſunt: ſola ſciẽtia, nunquã grauis eſt, nũquam
faſtidio afficit. ſemper homo ſcire, ſemper diſcere ſemper noua*

*audire*

*audire exoptat. Maximũ certe ſtudium acquirẽdæ ſcientiæ maioribus noſtris fuit. Pythagoras Philoſophus è Samo in Aegyptum tranſiuit: & Perſarum Magos adijt, à quibus ſtellarũ curſus & ſiderum motus cognouit: in Cretam deinde & Lacedæmonios nauigauit, quorum leges & mores inſpexit: demum in Italiæ partem quæ Græcia Magna dicta eſt, perrexit, ubi ad extremum uitæ plenus uenerationis philoſophatus eſt. Plato non contentus Socrate præceptore, non Athenis homine & loco doctrinæ fertiliſſimis in Italiã uenit, poſtea Aegyptum peragrauit: iterum in Italiam ad Archytam etiam Pythagoreos redijt, ut omnibus ex locis literarum copiã magnam colligeret: demũ uno & octogeſimo anno ſcribens mortuus eſt. cui Magi qui forte tunc Athenis erant immolauerũt defuncto, (ut ſcribit Seneca) amplioris ſortis quam humanæ rati, quod cõſummaſſet perfectiſſimum numerum, quem nouem nouies multiplitata cõponunt: Archimedes Syracuſanus tanto Geometriæ flagrauit ſtudio, ut cum miles qui captis Syracuſanis prædandi gratia domum irruperat interrogaret, quisnam eſſet? nomen ſuum indicare non potuerit, τὰν κεφαλὰν ἐφη ϰ̀ μὴ τὰν γραμμήν. Demoſthenes uero maximæ eloquentiæ nomen cũ. ρ. literã proferre nõ poſſet, tanto ſtudio oris ſui uitiũ expugnauit, ut quodã die exclamauerit, ἥκω φέρων τὸ ῥῶ ῥερητορευομενον. magnũ quoq; laborẽ in ſcribendis orationibus conſumpſit, ut interrogatus quomodo ad tantum eloquentiæ culmen perueniſſet, reſpondet, ὅτι τῷ ἀγρυπνεῖν ϰ̀ τῷ πλέον οἴνων ἀναλίσκειν ἐλαιόν. Tranſeo Carneadem, Anaxagoram, Democritum, Critolaum, Ariſtotelem, aliosq; penè innumerabiles Philoſophos, qui ſcientiam quærentes extra patriã è uita diſceſſerunt. Quid dicam de Medicis, qui nullam arborem, nullam herbam, nullam radicem, nullum piſcẽ, nullam auem, nullũ deniq; animal, nullũ elementum reliquerunt, quorum naturam non ſcrutati fuerint. non puduit eos montes aſperrimos ligonibus & ſarculis fodere, ut radicem aliquam humanis ægritudinibus ſalubrem eruerent. Non puduit Hip-*

*pocra-*

pocratem (honos ſit auribus) merdam guſtare, ut inde morbi naturā perſentiſceret: quod tamen alij ad Aeſculapium referunt. unde & ab Ariſtophane σκατοφάγος dictus eſt, id eſt, merdam comedens. Quid miramini? hoc etiam uocabulum à Galeno ſcriptis mandatum eſt: ſed noſtri literarum Græcarum ignorātes Barbarum uocabulum nihil ſignificans pro mero Græco ſuppoſuerunt. De Latinorum uirorū ſtudio & induſtria uultis'ne pauca audire? Cato Cenſorius qui Originum librum cōpoſuit, & rerum ruſticarum peritiſſimus fuit, inter tot opera militiæ, ut refert etiam Quintilianus, & tātas domi cōuentiones, ætate iam declinata literas Græcas didicit. eius pronepos qui poſtea Vticenſis dictus eſt, dum Senatus cogeretur in Curia libros Græcos lectitare ſolitus erat, ne tempuſculū illud abſq; ulla exercitij parte honeſta elaberetur: in Cicerone uero tantum diſcendi ſtudium fuit, ut poſt multas iam cauſas peroratās quamuis infirmo corpore eſſet, & amici & medici eum hortarētur, ut cauſas agere deſiſteret, tamen in Aſiā proficiſci ſtatuerit, & cum ueniſſet Athenas ſex menſes cum Antiocho ueteris Academiæ nobiliſſimo Philoſopho fuit, ſtudiumq; Philoſophiæ nunquam intermiſſum hoc autore & doctore renouauit: eodem etiam tempore Athenis apud Demenium Syrum ueterem dicendi magiſtrum ſtudioſe ſe exercuit, poſt totam Aſiam cū ſummis Oratoribus peragrauit, quorum princeps fuit Menippus Stratonicenſis. his non cōtentus uenit Rhodum, ſeq; ed eundem quem Romæ audiuerat, Molonem applicauit, unde biennio rediit, ut ipſe de ſe ſcripſit non modo exercitatior, ſed propè mutatus. Nónne legimus Auguſtū Cæſarem in Mutinenſibus difficultatibus oppreſſum quotidie & legiſſe, & ſcripſiſſe, & declamaſſe. multaq; proſa oratione & librum etiam hexametris uerſibus cōpoſuiſſe? Quid dicam de Plinio? qui ſeu lauaretur, ſeu cœnaret, ſeu iter faceret, ſemper aliquid audiebat aut dictabat: ita enim ſciendi auidiſſimus fuit, ut omne tempus perire arbitraretur, quod ſtudijs nō impartiretur. Quid de diuo Hieronymo, qui ſe

*cano capite uirum dicit fuiſſe diſcipulum qui Græca, Hebraica ac Latina ita calluit, ut qua lingua magis excelleret, iudicare difficile ſit. Quid de diuo Hadriano qui Græcis literis ita impenſe eruditus fuit, ut à pleriſque Græculus uocaretur, & apud Alexandriā in Muſeo multas quæſtiones profeſſoribus propoſuerit, & ipſe propoſitas diſſoluerit. Quid dicam de M. Antonio Cæſare in quo tantum philoſophandi ſtudium fuit, ut aſcitus iam in imperatoriam dignitatem tum ad domum Apollonij Chalcedonij Stoici diſcendi cauſa uenerit. Omnes igitur hi laudandi, & eorum memoria celebranda: ſicut contrà uituperandus eſt Licinius Imperator, qui propter iuſticiam literarum eas uirus ac peſtem publicam nominabat. Quid de Poëtis loquar? qui totum orbem peragrauere, ut operibus ſuis aliqd memorandū poſſent inſerere. Dies me omnino deficeret, ſi ſingulorum ſtudia ac labores uellem recenſere. Tria fuere celebrata apud antiquos literarū Gymnaſia, Academia, Lyceum, & Cynoſarges. Noſtra tempeſtate plurima quidem ſunt, ſed unum reliquis antiſtat & præcellit Bononiēſe ſcilicet & doctorum uirorum copia, & literarum præſtantia, & indigenarum probitate. Bononienſes enim philoxeni ſunt. Vbi tot prudētiſſimos q̄ quotidie aliquid cōponunt Iurecōſultos: ubi tot acutos Philoſophos, tot experientiſſimos Medicos, tot Poëtas, tot Oratores iuuenes, quot habet Muſeum Bononienſe? Certe non ſine cauſa Prouerbium illud in uulgus emanauit, Bononiam docere. & uere quicunque in aliqua doctrina princeps fuit, aut eſt, Bononiæ didicit aut docuit, & docendo uitam finiuit. Cernere pro palàm licet clariſſimorum uirorum monumenta atque pyramides memoria atque omni ueneratione dignas. Bononienſis ager non poſſet eſſe amœnior, hinc montes frugiferi ſurgunt, hinc campi fertiliſſimi patent. Libertas publica florentiſſima eſt ab ſereniſſima Bentiuolorum familia defenſa, & illuſtrata. Aër ipſe tenuis, & acutus, & acutorum ac tenuium ingeniorum parens & generator. Solent enim ingenia ſequi aëris*

qua-

qualitatem. Vnde & Bœotios craſſi ingenij propter craſſum aërem fuiſſe legimus: & illo taxatos Prouerbio, ὗς Βοιωτία, id eſt, porca Bœotia: & biantes populos Bœotiæ à porcino ſenſu dictos Commentatij memorant. Laudandi ergo ſunt relicta Britania, Gallia, Hiſpania, Germania, Pannonia, Græcia alijſqúe regionibus, Bononiam literarum gratia ſe conferunt, & in ea multos annos ſe exercent, ut domum, hoc eſt in patriam doctrina graues reuertantur. quod multos in hoc auditorio ſedentes facere ſcimus, & uidemus. Contrà uituperandi, qui Bononiam relinquunt, & loca paludoſa & peſtilentia petunt: ac ſic à luce in tenebras, à uia plana & facili in lamas ſalebroſa loca ſe conijciant. Vituperandi ſunt etiam illi qui paruo admodum tempore Bononiæ commorati, tota ſe Bononienſem doctrinam hauſiſſe profitentur, & in patriam ueſte caudata tanquam conſummati aut Iureconſulti, aut Medici reuertuntur. hos ego ſimiles eſſe exiſtimo puero illi Barbaro, qui cum Athenis tres literas didiciſſet α, β, γ, reuerſus in patriam magno popularium fauore exceptus, contra Prætorem quendam, qui Græce concionabatur poſitus eſt: ille puer poſtquam Prætor orationem ſuam finiuit, ut erat magnæ uocis exclamare cœpit, α, β, γ, quo clamore territus Prætor tacuit: Barbari uero ſuum conterraneum uiciſſe exiſtimantes, illum magno plauſu domum reduxerunt. Opus eſt igitur longo tempore in literarum ſtudijs manere, atque uerſari multum, & diu audire, diſputare, commentari: ſi quis doctrinæ uerum nomen ſibi uelit uendicare. Præterea magni æſtimandum hoc in ſe habent artes liberales, quod ſtabiles & firmæ ſunt poſſeſſiones: cætera autem omnia, ut diuitiæ ut pecuniæ, ut magiſtratus, ut regna, ut corporis uires, ut pulchritudo inſtabilitati Fortunæ ſubiecta ſunt. quæ quamuis non omnino ſpernenda ſint, utpote commoda Naturæ & Deorum munera, tamen præ uirtute & ſcientia nihili facienda ſunt. Subijcerem uobis exempla Crœſi Regis Lydorum, & Polycratis Samiorum,

quorum alter habebat Pactolum fluuium aureas arenas profundentem, alter etiam piſces ſibi fauentes inuenit: & tamen ambo infeliciter amiſſo regno perierunt. Subijcerem Priamum, qui Troianorum potẽtiſſimus Rex cecidit ante aram ſummi Iouis, ut uetulus bos. & Dionyſium Siciliæ tyrannũ, qui Vix humili duram repulit arte famem. ex quo natum Prouerbium, Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ: niſi in Italia has Fortunæ mutationes noſtra ætate fuiſſe uidiſſemus, & quotidie uideremus. Quare bene Antiqui Fortunã pinxerũt fœminam, quo ſolo argumento inſtabilem eam poſſumus cognoſcere, & temonem in manibus ei dederunt, & pedibus ſuppoſuerunt rotulam. fecerunt etiam ipſam cæcam his omnibus demonſtrantes Fortunæ incertitudinem: quemadmodum ſi quis in tempeſtate maris in naui eſſet, quæ gubernatorem cœcum haberet. magna aũt multitudo uirorũ ignorãtium hanc ſequitur: & illa hos ſurſum deorſumq; ducit & præcipitat, & inuocãtes & lamentantes deridet. Mercurium uero tanquam artium magiſtrum & dominum & Fortunæ contrarium finxerunt iuuenem pulchrum natura non arte, lætum, oculis acutis, & forma cubica, id eſt, quadrata, qua etiam Deum ipſum ornare Antiqui ſolebãt. habet aũt ſecum ſaltantes, & lætos artifices eum ſequentes, non de eo lamentantes, quemadmodum illi qui de Fortuna queruntur. Laudandi ſunt ergo, qui non uſquequaq; Fortunam ſequuntur, ſed artes liberales totis ulnis amplectuntur: ſicut contrà uituperandi, qui omnem ſpem ſuam, omnem curam in Fortuna fixerunt ac locauerunt. cum illi ſolidum quiddam ac permanẽs ſe tenere percipiant: hi ne umbram quidem, ſed nomen quoddam inane ac euanidum conſectentur. Et quamuis una ars ſiue ſcientia altera pulchrior & nobilior eſſe uideatur, uel propter τὴν ἀκρίβειαν, ut dicit Ariſtoteles, id eſt, propter euidentiã demonſtrandi, ut Geometria: uel τῶν βελτιόνων ἢ θαυμασιωτέρων εἶναι, id eſt, quia ſit de rebus melioribus & admirabilioribus, ut Aſtrologia & Theologia: tamen omnes laudandæ ſunt, omnes magnificendæ. ἢ

ἑκατερ

*κακοτεχνία, id eſt, mala ars, ut magica, incantatoria: aut ματαιοτεχνία, id eſt, ſuperflua artis imitatio, ut Quintilianus interpretatur, quæ nihil ſane neq; boni, neq; mali in ſe habeat, ſed uanum laborē. qualis fuit illius qui grana ciceris ex ſpacio diſtātē mittebāt in acum, & tota die ſe illo delectabat exercitio: quod cum uidiſſet Alexander ridēs, donaſſe dicitur illum eiuſdem leguminis modio, ut ille ſe ſuo exercitio longe poſſet delectare. nec mihi placent hi qui laudantes Medicinam, uituperant Leges: ut laudantes Leges, Medicinam cōtemnunt. quiſq; ſuam laudet artem, alienam ne carpat. nec ego iſtos probo, qui eruditius ſortiti ingeniū Grāmaticam calumniantur, ut uilem inſectantur Grāmaticos. hos lacerant, de his triumphant: & tamen à Grāmaticis ipſi didicerunt: & hi prudentiſſimi Iureconſulti & experientiſſimi Medici inde principia hauſerunt non cōtemnenda. Si quis aut maturas uuas, aut dulces ficus & alios fructus tempeſtiuos nobis offerat, laudamus & magna cum uoluptate guſtamus: tamen fructus illi tam ſuaues à radice, quæ ſub terra latet, ducunt originem. Si quis pulchram habeat domum bene materiatam, bene diſpoſitam, gaudet plurimum, & ſe bene habitare omnibus prædicat: & tamen niſi eſſent cementa fundamētis bene compacta, columnæ, & feneſtræ, & ſubgrūdæ, & tecta ipſa corruerent. Præterea in corpore humano dicimus cerebrum & cor, prima eſſe membra, à quibus totum corpus regitur, gubernatur: atqui niſi eſſent & dentes, & lingua, & pedes, & manus, & digiti, & ungues, & muſculi, & aliæ minimæ partes, corpus ipſum non ſatis ſuum officium faceret, aut ſtare diu poſſet. quamobrem bene Hippocrates, τὰ μόρια τοῦ σώματος πάντα ἀλλήλοις ἐστὶ συμπαθῆ: Galenus cōmētator ſic exponit, τουτέστιν εἰς συπηρεσίαν ἑνὸς ἔργου πάνθ᾽ ὁμολογῶ. ſic & in artibus & ſcientijs accidit, omnes ſunt connexæ, altera alteri adminiculatur, alteram altera ornat augetq́;. Et quoniam unguium feci mentionem, quis crederet ab eis magnā corpori præſtari utilitatem? quam non uere ſcripſiſſe Ariſtotelem Galenus*

miratur. nam ut eos taceam qui in pedibus poſiti ſunt, ſine quibus greſſus ſtabilis fieri non poſſet: ungues qui in manuum digitis iacent ſi carni digitorum pares ſint, minima quæque ut pilos & ſpinas facile capere poßunt. quod non facerent ſi aut excederent aut minores eſſent. Corydon ergo paſtor apud Theocritū, cum ſpinam è Batti calcaneo euelliſſet ſic ait, ναὶ ναὶ τοῖς ὀνύχεσιν ἔχω τήνιν. ἅ δὲ καὐτα. quare reprehendendi ignorantiæ ſunt illi qui ungues accipitrum mores longos gerunt, aut intra carnem honeſtatis gratia ſecare cōſueuerunt. multas præterea utilitates alias mediocritas unguium præbet ſcalpēdo ſcilicet radēdo, excoriando, dilacerādo. unde bene Hippocrates monuit, ὄνυχας μήτ' ὑπερέχειν μήτ' ἐλλείπειν δακτύλων κορυφάς, hoc eſt, ungues neque ſuperare neque deficere digitorum extremitates. Videtiſne Magnifice Rector, uoſq; Præſtātißimi uiri quemadmodū ego triuialis præceptor, multos qui fortaſſe hoc ignorabant, modum tondendorum unguium edocui. Omnes igitur bonæ artes laudandæ ſunt, omnes amplectandæ, omnes honorandæ. quod maiores noſtri & non tantum homines, ſed & Dei feciſſe leguntur. pleni ſunt codices, plena exemplaria tam Græca quā Latina, ex qbus pauca excerpere utilitatis & uoluptatis cauſa, nō erit abſurdum. quo facto, noſtræ orationi ſubinde finē imponemus. Beroſo Aſtrologo ob diuinas prædictiones Athenienſes publicè in Gymnaſio, ut ſcribit Plinius, ſtatuam inaurata lingua ſtatuerunt. Hippocrati medico, quia uenientem ab Illyrijs peſtilentiam prædixerat, & diſcipulos ad auxiliandum circa urbes dimiſerat Herculeos honores Græcia decreuit. Platoni ſapientiæ antiſtiti Dionyſius Tyrannus uittatam nauem miſit obuiam. Ipſe quadrigis albis egredientem in littore excepit. Alexander Magnus ſcrinium unguentorum Regis Perſarum gemmis ac margaritis auroque pretioſum librorum Homeri cuſtodiæ dedit: cuius quidem Homeri ita ſtudioſus fuit, ut eum unà cum gladio dormiens

ſub

ſub ceruicali ſemper tenuerit. Lacedæmonijs olim Thebanam urbem comburentibus Pindarus hunc uerſum pro foribus ſuis poſuit, πινδάρου τοῦ μουσοποιοῦ τὴν στέγον μὴ καίετε. quo lecto à domo Pindari incendium Lacedæmonij auerterunt. Quod etiam Alexandrum poſtea feciſſe cum Thebas raperet, dicunt familiæ enim Pindari Poëtæ parci iuſſit. Apollo autem quanti fecerit Archilochũ Poëtam ex eo apparet, quod cũ Archilochi interfector templũ intrare uellet, cũ his uerbis Deus prohibuit, μουσάων θεράποντα κατέκτανες, ἔξιθι νηοῦ, id eſt, Muſarum miniſtrum interfeciſti, exi templo. Necnon idem magnum uirtutis teſtimonium Lycurgo dedit, cum illi ad oraculum profecto ſic reſpondit, ἥκεις ὦ λυκόεργε ἐμὸν ποτὶ πίονα νηὸν ζηνὶ φίλος, καὶ πᾶσιν ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχουσιν. δίζω ἤ σε θεὸν μαντεύσομαι ἢ δὲ καὶ ἄνδρα, hoc eſt, uenis ô Lycurge ad meum optimum templum Ioui carus & omnibus cœlum habitantibus. Dubito an te Deum dicam an hominem. O magna laus legum latori Lycurgo data. Gaudebunt ſane hi doctiſſimi Iureconſulti & meritò Iureconſultum charum eſſe Ioui, & dijs reliquis & Apollinem dubitare, an ille Deus ſit an homo. num ne pulchrius, num excellentius eſt quam diuitẽ, quam formoſum, quam uictorẽ, quam Imperatorẽ dici? Plurima alia exemplum ſe mihi offerũt narrãda, nec Græca modo ſed & Latina, ut Ennij, Varronis, Ciceronis, Vergilij. quæ in præſentia omitto, quoniam tẽpus eſt, ut receptui canamus, & orationi noſtræ finem faciamus. Si ergo ſcientiæ ſuſceptibilis eſt homo, ſi proprium eius eſt ſcire, ſi perficit animã ſcientia, ſi maximum acquirendæ ſcientiæ ſtudium in maioribus noſtris fuit, ſi Bononienſe gymnaſiũ omnibus gymnaſijs omnibus antiſtat, ſi artes liberales certæ ſunt ac ſtabiles, ſi maximus honor ab hominibus, dijsq́; uiris doctiſſimis datus eſt, ut abũdè ſuprà à nobis eſt demonſtratum: excitemur, expergiſcamur omnes, & arteis liberales ſtrictis ulnis amplectemur, inſudemus, immoremur

literis

literis, quæ nobis diuitias, famam, gloriam, immortalitatem largiuntur. Non defuerunt Philoſophi, qui ſummum bonum ſcientiam eſſe dixerunt: ſicut contrà ſummum malum ignorantiam. uolumus'ne in hoc eſſe ſummo malo, ut ignorantes ſcimus? uolumus'ne humanæ naturæ repugnare? & proprium hominis abnegare? uolumus'ne Muſeum Bononiēſe dehoneſtare? uolumus'ne caduca pro ſtabilibus, mortalia pro æternis, uilia pro pretioſis tota mente diligere atq; conſectari? abſint iſta, abſint à generoſis animis. per Deum immortalem, ignorantia mors eſt, ἡγοῦ τῶν ἀκουσμάτων πολλὰ πολλῶν χρημάτων εἶναι κρείττω. τὰ μὲν γὰρ ταχέως ἀπολείπει τὰ δὲ πάντα τὸν χρόνον παραμένει. σοφία γὰρ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον, id eſt, exiſtima auditiones multas multis pecunijs eſſe meliores: hæ nanq; celeriter deficiūt, illæ uero toto tempore permanent. Sapientia enim ſola poſſeßionum immortalis. Itaq; philotechni & literati maximas gratias debent parentibus ſuis, ſiue his qui eos literatos ferunt, & idem etiam Regibus & Principibus, qui magnis philologiæ dulcedinibus inducti egregias ad cōmunem uſum inſtituere bibliothecas. qualis fuit Pergamenorum Rex Attalus. qualis & Ptolemæus Alexandrinorum Rex, qui etiam Muſis & Apollini ludos dedicauit. quales multi Romani Pontifices fuere: quales Malateſta nouellus fuit Cæſenæ Princeps, & Federicus Vrbini Dux & Princeps inuictus: quales etiā multi alij & in Italia & extra Italiā populi ac Principes, quorū monumēta extāt pulcherrima et in perpetuum ut credo, extabūt. Debet etiā plurimū Galeatius Bentiuolus uenerabilis Protonotarius & Archidiaconus noſter patri ſuo patriæ parenti, qui illum nō armis, ſed literis mancipauit, cognoſcens artē militarem eſſe quidem excellentem, ſed literas multo certe excellentiores: quibus ita ille operam dedit, ita inſudauit, ita eruditus eſt, ut Legationis princeps ad Alexandrum Pontificem ſummū merito delectus fuerit. apud quem Pontificem ille ita intrepidè, ita eleganter mandata expoſuit, & patriam, & patrem cōmendauit, ut & patria

&

& ( dicam audacter) pater ipſe illi reciprocè plurimum debere uideatur. hoc fuit ſcientiæ, hoc doctrinæ opus: quod non feciſſet ſi rudis, ſi literarum expers omnino fuiſſet. Nos quoq; ſiue doctores, ſiue Magiſtri, ſiue Poetæ, debemus huic florentiſſimæ reipub. quæ laboribus noſtris congrua ſalaria retribuit, & multo magis deberemus, ſi plures pecunias nobis ſuppeditaret. Tria hominum genera ſcribit Heſiodus:

οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει
φρασσάμενος, τάκ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ᾖσιν ἀμείνω.
ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
ὃς δέ κε μήθ' αὐτῷ νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων
ἐν θυμῷ βάλληται, ὁ δ' αὖτ' ἀχρήιος ἀνήρ.

Qua ſententia uſus eſt, ut ſcribit Liuius ab Vrbe condita lib. 22. Minutius ad milites ſuos: Sæpe ego inquit, audiui milites eum primum eſſe uirum qui ipſe conſulat, quid in re ſit: ſecundum eum, qui bene monenti obediat: qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum extremi ingenij eſſe. Quamobrem adoleſcens egregie, qui ad me audiendum hodie conueniſti, ſi primam laudatorum ab Heſiodo ſortem habere nō potes, pudeat te extremo cenſeri loco. mediam igitur teneas, & mihi bene monenti, aut potius Iſocrati obedias. μὴ κατόκνει μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι πρὸς τοὺς διδάσκειν τι χρήσιμον ἐπαγγελλομένους. αἰσχρὸν μὲν γὰρ τοὺς ἐμπόρους τηλικαῦτα πελάγη διαπερᾶν ἕνεκα τοῦ πλείω ποιῆσαι τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν, τοὺς δὲ νεωτέρους μηδὲ τὰς κατὰ γῆν πορείας ὑπομένειν ἐπὶ τῷ βελτίω καταστῆσαι τὴν ἑαυτῶν διάνοιαν, hoc eſt, ne torpeſcas longam uiam ire ad aliquid utile docere profitentes. turpe eſt enim mercatores longinqua maris pertranſire, cauſa amplificandi præſentem ſubſtantiam: iuniores uero neq; per terram iter tolerare ad mentem meliorem conſtituendam. Eia ergo bono animo eſto, ego Græcas literas tibi exponā, & præcipuè diuinum Homerum, à quo ceu fonte perenni, ut ſcribit

Naſo, Vatum Pierijs ora rigantur aquis. ab Homero Grammaticam diſcere poteris, ab Homero Rhetoricam, ab Homero Medicinam, ab Homero Aſtrologiam, ab Homero Fabulas, ab Homero Hiſtorias, ab Homero mores, ab Homero Philoſophorum dogmata, ab Homero Artem militarem, ab Homero coquinariam, ab Homero Architecturam, ab Homero regendarum urbium modum percipies, & in ſumma quicquid boni quicquid honeſti animus hominis diſcendi cupidus optare poteſt, in Homero facile poteris inuenire.

## ANTONII CODRI VRCEI SERmo XIIII. habitus in laudem Virtutis.

*Poſtquam cunctis ferè noſtris auditoribus & mihi quoq; placuit, ut ego Valerij Maximi libros hoc anno publicè profiterer, tũ propter ſtili maturitatẽ, q̃ uiris etiã eruditis plurimũ confert: tũ uero propter inſtructionẽ uitæ, q̃ fit ex memorabiliũ exemplorũ q̃bus liber hic totus ſcatet imitatione: non alienũ à propoſito mihi facere uideor, ſi hoc in principio à Virtute incipiẽs in uirtutẽ noſtra deſinat oratio, ut & hi qui hanc lectionem optauerint, intelligant ſe nihil rectius, nihil melius, nihil utilius optare potuiſſe: & ego cum uideam me, & recte, & utiliter his conſuluiße, ex hac lectione laboris mei non mediocrem fructum ac iocunditatem capiam. Quanquam non ignoro, quã graue debilibus meis humeris onus aſſumpſerim polliceri de ea re me dicturum, quæ omnium rerum maxima eſt, de qua multi tam Græci quam Latini ſcriptores, Dialogos, Libros, uolumina conſcripſerunt. præcipue cum non me lateat oportere eum optimum in ea re eſſe, de qua uelit optime diſputare. Nam ut de numeris Arithmetici, de menſuris Geometræ, de aſtris Aſtrologi, de iure, Iureconſulti, de bellis milites: ſic de uirtutibus*

*ſui prædıti uirlute optimè norunt diſputare.* Ego uero *qui non ipſam uirtutem, ſed uirtutis potius ſimulachrum quoddam gero, quo nam pacto promiſſis ſtare poſſim, non facile uideo. Verum promiſſa noſtra præſcribamus, ut quantum ingenij noſtri imbecillitas ferre ualebit, tantum dicturi intelligamur: mellificas imitati apes, quæ non omnes, ſed ſelectos quoſdam decerpunt flores: & non omnem ſelectorum florum ſuccum, ſed quantum ea die ad aluos ferre poſſunt, alijs deinceps ad eandem expeditionem diebus rediture. De uirtute igitur diſputaturi trifida diuiſione utemur: nam primum & quid ſit, quamúe multiplex ſit: & quantarum uirium, atque præſtantis excellentiæ ſit: tertio quomodo acquiri poſſit exponemus. Vos autem ante omnia obteſtor, ut quod duobus annis ſuperioribus feciſtis, & adhuc facitis, me deinceps attentè & libenter audire uelitis. Ego uero me ita carptim, ita dilucide, ut ſoleo dicturum polliceor, ut uoluptatem potiuſquam faſtidium mea uobis paritura ſit oratio: ſed iam ad rem ipſam pedem conferamus. Virtutis definitionem non ſoli Philoſophi qui à Cicerone magiſtri uirtutum nominantur: ſed & ipſi Poëtæ, quos neſcio quo iure Plato ex urbe ſua pepulit traddere. In primiſqúe Lucilius ad Albinum ſcribens ſic determinauit, ſiue deſcripſit, Virtus, Albine, eſt pretium perſoluere uerum, Quîs inuerſamur, quîs uiuimus rebus adeſſe Virtus eſt homini ſcire, quid quæque habeat res. Virtus ſcire homini rectum, utile, quid ſit honeſtum,*

*Quæ bona, quæ mala: item quid inutile, turpe, inhoneſtum.*

*Virtus quærendæ rei finem ſcire modumqúe. Virtus diuitijs præmium perſoluere poſſe. Virtus id dare, quod re ipſa debetur honori. Hoſtem eſſe atque inimicum hominum morumqúe malorũ. Contrà defenſorem hominum morumq́; bonorũ, Hos magnifacere, his bene uelle, his uiuere amicũ. Cõmoda præterea patriæ ſibi prima putare, Deinde parentũ, tertia iam poſtremaq́; noſtra. quanquã inuenti ſunt, qui has deſcriptiones ex parte falſas*

eſſe conati ſunt aſtruere, quibus non eſt nunc reſpõdendi locus. hæc alias uidebimus. ſatis ſit has fuiſſe à Marco Cicerone probatas, quod inde bene uiuendi officia Panætium Philoſophum ſecutus contraxerit. Audiamus nunc Philoſophos, quorum frequẽs occurrit examen: ſed pro cunctis unus, & quidem peritiſſimus & ſolus ferè legi dignus audiatur. Ariſtotelem dico peripateticorum principem, qui in Ethicis libris ſic Virtutem terminauit, ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένῃ λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε, id eſt, Virtus certe eſt habitus electiuus in mediocritate conſiſtens, quo ad nos terminata ratione, & ut ſapiens terminaret. mediocritatũ autem intelligit duorum extremorum, alterius quidem ſecundum exceſſum, alterius ſecundum defectum: hunc tam egregium tamq; præſtantem Philoſophum imitatus. Horatius in Epiſtolis ſuis ſic decantauit, Virtus eſt medium uitiorum. u.r. & in Sermonibus illud idem fermè dixit, Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines, Quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum. Intelligamus autem uirtutem ethicam, id eſt, moralem à nobis eſſe definitã. nam & uirtutem aliam ſcimus eſſe intellectiuam, ut ſapientiam, ut ſolertiam, ut prudentiam. Nonnunquam uero & abuſiue Virtus perfectionem, ſeu ut nunc dicitur bonitatem cuiuslibet rei ſignificare uidetur. unde uirtutem oculi, uirtutẽ membrorum ſolemus uſurpare. ſed eam de qua nunc diſputamus, maiores noſtri ut uiro dignam, à quo nomen ipſum mutuata eſt, à uiro enim dicta eſt Virtus, quadrifariam diuiſerunt, in prudentiam, tẽperantiam, fortitudinem, & iuſtitiam. & prudentiæ officium eſſe dixerunt, Macrobius autor in primis eruditus, ad rationis normam, quæ cogitamus, quæq; agimus uniuerſa dirigere, ac nihil præter rectum uel laudabile facere. ex qua naſcuntur ratio, intellectus, circumſpectio, prouidentia, docilitas, cautio. Fortitudinis aũt animum ſupra periculi metum agere, nihilq; niſi turpia timere, tolerare fortiter uel aduerſa uel proſpera. ex qua fiunt magnanimitas, fiducia, ſecuritas, magnificentia

centia, conſtantia, tolerantia, firmitas. Temperantiæ uero, nihil appetere pœnitendũ, in nullo legem moderationis excedere, ſub iugũ rationis cupiditatem domare. hanc ſequuntur modeſtia, uerecũdia, abſtinentia, caſtitas, honeſtas, moderatio, parcitas, ſobrietas, pudicitia. Iuſtitiæ poſtremo eſt, ſeruare unicuiq; quod ſuum eſt. de qua ueniunt innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas. hæ uirtutes à politicis uiris qui ſeipſos & rempublicam regere cõſtituerunt ita intelliguntur, & ſeruantur: à Philoſophis uero qui ſe à rebus publicis ſequeſtrauerũt, & ſe totos ſpeculationibus tradiderunt, aliter ut alias dicemus conſiderantur. Nunc iam de Virtutis præſtantia diſſeramus. Virtutis præſtantiam licet ex prælibatis officijs non parum poſſimus animaduertere. nam quid pulchrius quam prudentẽ? quid honeſtius quam temperatũ? quid maius quam fortem? quid æquius quam iuſtum eſſe dici poteſt aut optari? tamen & præter hæc & illa, quod Virtus nec eripi, nec ſurripi poteſt, neque naufragio, neq; incendio, ut Philoſophus noſter ait amitti nec ui tempeſtatum, nec perturbatione temporum mutari: illud in primis admirandum, illud excellens fertur & eſt: & ipſa Virtus dea eſt, & ſe poſſidentes, deos facit: nunquam Stygias fertur ad umbras inclyta Virtus, ut ait Tragicus noſter. ex uirtute gloria naſcitur immortalis, qua quid præſtantius? quid excellentius dici aut optari poſſit, non datur. Hæc eſt illa Dea, cui templum ſimul cum honore Romani porta Capena regione prima dedicauerant. Hæc eſt illa Dea, quæ coronas gemmatas, aureas, uallares, murales, roſtratas, ciuicas, triũphales, ac gramineas ſiue obſidinales fieri ac donari iuſſit. Hæc illa Dea, quæ ſtatuas marmoreas, æreas, argenteas, itemq́; uexilla ac tropheа, triũphumq́; ipſum adinuenit. & ut aliquid priuatim dicamus. Hæc eſt illa Dea, quæ Libero patri, Herculi, Mercurio, Palladi, Quirino, multisq́; Cæſaribus templa fecit dedicari. Hæc eſt illa Dea, quæ Cepheum Regem cum Caſſiopea, cum Andromeda filia, cũ Perſeo genero, itemq́; Erichthoniũ cũ Chirone, & geminos inter

*aſtra collocauit. unde Græcis ἀρετὴ dicta eſt ab ἄρω, quod eſt tollo.*

*Non ergo uirtus quos ardens & cætera. Hæc eſt illa Dea, quæ L. Sicinium dentatum haſtis puri duodeuiginti, phaleris uigintiquinque, in torquibus tribus & octoginta, armillis centum ſexaginta, coronis trigintaſex, ciuicis quatuordecim, aureis octo, muralibus tribus, obſidionali una donari fecit. Hæc eſt illa Dea, quæ Socratem Athenienſem ab oraculo Apollinis ſapientiſsimum, & Scipionem Naſicam Romanum à Senatu optimum fecit appellari. Hæc eſt illa Dea, quæ Sulpiciam Paterculi filiam, ut ſimulachrum Veneris ex Sibyllinis libris dedicaret: & Claudiam, quæ matrem deum Romam induceret, dignas haberi iuſsit. Hæc eſt illa Dea, quæ Clœliam inter obſides puellam Romanam, & Horatium Coclitem, C. Duillium qui primus ex nauali bello triumphum meruit, ſtatuis decorauit. Sed quid ego ad excellentiam Virtutis probandam, tot externos uiros, tot Romanaſque fœminas perſcrutor, quaſi omnes duces, omnes artes, omnia ornamenta, quæ nec ſcio nec poſſum exponere uelim, cum unico Senatus Romani decreto propoſitum meum ſatis patere poſsit: ſi uerum eſt, quod ipſa Philoſophia uero uerius dictum fertur, Contrà ſuis contrarijs oppoſitis maximè elucеſcere. nam ſi nouerimus quantum mali ſecum ferat iniuſtitia, quantum boni ſecum ferat iuſtitia, noſſe poterimus & hac ratione à contrario argumenta, quæ inter alios argumentorum locos Oratores reponunt. Ita ſi nouerimus quanto odio, quanta indignatione, quanta uituperatione Principes Romani uitia perſecuti ſunt: econtrario quanto amore, quanta lęticia, quanta laude Virtutem perſecuti ſunt, poterimus noſcitare, & obiter Virtutis excellentiam ponderare, qua nihil (ut Cicero ait) amabilius eſt, utpote quæ etiā quos nunquam uidimus, ubicunq; terrarum ſint nos amare compellat. Nunc reliquum eſt, ut quo nam modo acquiri poſsit Virtus exponamus. hanc autem partem tribus, ut aiunt uerbis explicabimus. Hæc Dea, quam tam præſtantem, tam nobilem,*

tamq;

*tamq; ſublimem deſignauimus comprehendi quidem, ſed non facile poteſt: ut illud Vergilianũ dicere poſſumus, Superasq; euadere ad auras, Hoc opus hic labor eſt, pauci quos æquus amauit, id eſt, aut a. e. a. æ. u. acquiritur enim Virtus, non cibo, non cõmeſſationibus, ſed abſtinentia & fame: non ebrietate, ſed ſiti & ſobrietate: non ſomno, non plumis Sardanapali, ſed uigilijs & duro cubili: non ocioſitate, ſed cura: non uoluptatibus, ſed laboribus. Quo circa non uerbis, ſed re: non diſpoſitione, ſed longa conſuetudine. Aſcræus ille Poëta, qui propter ſententias ſuas ab antiquis habitus ſapientiſſimus, ſic de Virtute locututus eſt,* τῆς δ᾽ ἀρετῆς ὑδρῶτα θεοὶ ϖροπάρειθεν, *& cætera. quos uerſus Guarinus Veronenſis uir Latinæ Græcæqúe linguæ eruditiſſimus, à cuius fonte noſter quoque riuulus emanauit Latinos fecit. Ita medius fidius eſt. ubi enim quiſpiam uigilando, laborando, ſudando ad aliquod uirtutis culmen peruenit: tanto gaudio, tanta uoluptate, tanta animi dulcedine captus afficitur, ut ſe non hominem, ſed ſemideũ eſſe arbitretur. Non immeritò igitur Poëtæ, qui figmentis ſuis Theologiam miſcuerunt, Virtutem eſſe aiunt Deam quandam ſeueram, fronte hirta, incompoſita coma, gradu & ore uirili, altis humeris, ueſte candida inſignitam, habitantem uero in domo caſta & in monte arduo ſita: cuius comites ſint honor, laus, gloria, decus, uictoria, & triumphus, ea ſcilicet ratione quæ nobis pauloante demonſtrata eſt. Verum iam finem faciamus orationi noſtræ, uel ut uerius loquamur farragini. nam ex multorum Poëtarum & Philoſophorum floribus ac ſuccis uideor mihi confuſaneã quandam compoſitionem ſeu moretum confeciſſe. quæ quidem compoſitio ſi guſtum ueſtrum permulſit, ac uobis grata fuit, ego laboris mei non mediocrẽ capio uoluptatẽ: Sin minus, animũ dicentis põderate: aut ſi id non placet, nolite deinceps amplius tam cupidi tam frequẽtes ad Codrũ audiendũ cõuolare. quod ſi ille à uobis contenderit,*

*iubeto*

*iubetote illum inter diſcipulorum ſuorum carhedras plorare. Vos aũt adoleſcẽtes ac iuuenes egregij ad hanc Deam cõprehendendam ac perpetuò poßidendam inuito uos & exhortor. & quamuis uiam aſperam eſſe uobis Heſiodus propoſuerit, & ego confirmauerim: tamen exemplum Herculis uobis proponit qui adoleſcens cum ad biuium illud, quod à Pythagora in formam literæ Y figuratum eſt perueniſſet, repulſa uoluptate, totis ut aiunt ulnis Virtutem complexus eſt. Imitamini iſtos prudentißimos duces, quos ante oculos habetis, Venerabilem ſcilicet uirum ac eruditißimum Florianum & Philoſophos ſtudioſißimos. quorum uirtutes mihi mallem ab immortali Deo nunc elargiri, quàm omnes Perſarum gazas, omnesq; Midæ ac Crœſi theſauros incõparabiles. quod quidem ſi conſequerer, illud certe Vergilianũ uobis audatius offerrem, Diſce puer Virtutem ex me uerumq; laborẽ, Fortunam ex alijs. Sed iam me ſatis audiuiſtis, deinceps ipſum Valerium audietis.*

## ANTONII CODRI VRCEI SERmo pro Iuuene cõpoſitus ad Magiſtratus Bononienſes.

*NOn ſum tam ineptus, nec tam parui ingenij puer, Reuerendæ Præſul, ornatißimi, ſapientißimi Optimates Tribuniplebis & ciues præſtantißimi, ut non intelligam, magna doctrina, magno ingenio, magna dicendi exercitatione opus eſſe his, qui hũc tam auguſtum tam amplum locum cum dignitate, ac honore aſcendere nituntur, ac deliberant. propterea quod huc nihil, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria, dignum auditoribus afferri oportere nemo non mediocriter in rebus humanis expertus intelligit. Ego tamen hodie in frequentem ueſtrum cõſpectum huc prodiui, non ingenio fretus, quod exiguum in me eſſe ſentio: non arte dicẽdi, quam*

per

per ætatem adhuc profiteri non poſſum: ſed quoniam multos in hac ætate, qua ego cõſtitutus ſum, & mei ordinis & principales pueros fauorabiliter, & cũ laude à uobis exceptos & auditos eſſe cognoui & uidi. Ego quoq; & per me natura excitatus, & præceptorum meorum monitis hortatus, pauca uerba in hoc tam celebri conſeſſu facere decreui non fortaſſe illis æquãda, qui ante me alijs temporibus dixerunt, quibus equidem cedo & cedere ſtatui, donec meliore doctrina & maiore eruditione me inſtructum ac armatum ſſe ſenſero: ſed ut quæ cogitaui uerba poſsim audacter & ſine animi terrore aliquo proferre. quanquam mihi puero liberaliter educato, & adhuc præceptoris uultum & minas pauefcenti hoc difficile fore perſpicio, uos oratos uolo ut hilari uultu, quod alijs feciſtis, me libenter audiatis. Sermo enim meus breuis erit, & qui uobis delectationẽ afferret potiuſquam faſtidium. De tribunitia igitur poteſtate ſi ue ordine multi, qui ante me dixerunt, quædam ualde antiqua & ferme iam oblitcrata quærere, & quæſita narrare conati ſunt, dixeruntq; à Romanis plebeijs qui in monte ſacro tribunos creauerunt, hanc dignitatem ad nos fluxiſſe. Alij Romanos à nobis accepiſſe, ſi Felſina, hoc eſt Bononia ante Romam conditam Aeneæ dedit cõtra Turnum auxilia, cum caput eſſet Hetruriæ. Alij, quot à principio creati fuerunt, & quare tribuni dicti, & qua poteſtate muniti ex T. Liuio præcellenti hoſtoriographo, & ex Marcello de re militari ſibi orationes cõpleuerunt. Ego uero iſta illis relinquo, qui res geſtas à principio mundi ſcire laborant, & tenere ſe arbitrantur: ea tantũ ſcire & dicere cupio & uolo, quæ nobis proſunt, quæ nutriunt, quæ laudem & gloriam pariunt. ſunt aũt hæc prudentia, conſilium, concordia, & huiuſmodi dotes, q̃ in animo bene exculto ſunt atq; reperiuntur. Nam per Deum immortalem, quid prodeſt ciuitatibus ſcire, quo tempore, qua poteſtate creati ſunt Pretores, Tribuni, Imperatores, Pontifices, Principes: ſi mali uiri, ſi diſcordes, ſi inſani eas regant ſeu potius regere uelint? quales ſæpenumero apud Romanos

*fuerunt, qui concionibus ſuis ſeu imperijs ita turbulentis Rempu-
blicam uexauerunt & diſturbauerunt, ut multæ cædes & ipſis & q
eos ſecuti ſunt obtigerint. Quouſq; igitur Athenienſes, Lacedæmonij,
Carthaginenſes, Romani, & alij populi qui rerum potiti ſunt ſe
concordia, conſilio, prudentia, fide, rexerunt: euſque principes
& magni ſtatus fuerunt imperantes. deficientibus uero his reipu-
blicæ adminiculis, & ut ita dicam neruis & roboribus omnia in præ
ceps & peſſum ſine auxilio ierunt. Hanc igitur concordiam, hoc
conſilium, hanc prudentiam, in his Tribunis, Optimatibus, Princi-
pibus, & Conſulibus & Senatoribus noſtris hodie laudo, hodie
commendo & quoad uox mea ferre poteſt in cœlum tollo. hæc
nobis opulentiam, & omnium rerum copiam ſeruant & augent,
hæc ſtudia literarum florere, hæc ingenia nouas res inuenire & in
uentas docere & propagare ſtimulant, & præmijs inuitant & co-
gunt. Atqui nos uno capite, uno duce regimur & gubernamur. Fa-
teor equidem & Deum immortalem obſecro ac obteſtor, ut nobis
illud ſanum, longæuum, & ſi concedere uellet, immortalem nobis
ſeruet & efficiat. Verum & manus, & pedes, & alia mēbra ſana
caput ſanum adiuuare poſſunt & conſeruare: ſana uero membra
ſeu corpus ſanum his maxime ſeruatur, frugalitate uitæ, labore
mediocri, uigilantia, & ſomno modeſto, & memborum ipſorum
inter ſe colligantia, quam Græci συμπάθειαν uocant. Eodem fe-
rè modo membra ciuitatis, hoc eſt, magiſtratus ipſi pro republica
laborando, uigilando & oportunè quieſcendo, abſtinendo & ſum
ma inter ſe concordia utendo, totam ciuitatem & ciuitatis ipſius
caput integrum, ſanum, ualidum ſeruant atque cuſtodiunt. hinc
nec diuites pauperibus ſuperbè dominantur, nec pauperes diuiti-
bus obedire dedignantur: uerum omnia æqua, omnia communia
his eſſe uidentur, nulla iniuria, nullæ inſidiæ, nullæ rapinæ, nulla
uiolentia in hac animorum & uoluntatum concordia fit aut fieri
permittitur. Quare fortem & magnum populum hæc ciuitas ha-
bet,*

*bet, quem neq; uicinæ urbes bello tentare audent, & ab alijs tentatæ ſubſidia ab hoc ſæpe petere ſolent. Ad hanc igitur frugalitatem, laborem, uigilantiam, abſtinentiam, qua uſi ſunt ſuperiores tribuni, uos uoco, uos hortor, Tribuni noui & ciues Reipublicæ amantiſſimi. ſortitio enim publica uos elegit & populus & patres confirmauerunt. Elaborandum ſanè uobis eſt, & ita ſcio facietis, ut quemadmodum maiores noſtri pluribus annis bellum, diſcordias, inopiam, famem à nobis propulſauerunt, eo ſtatu ueſtram urbem, ueſtros ciues quantum conſilio & ingenio fieri poteſt conſeruetis, ut uicinæ quidem urbes Bononienſibus: Bononienſes uero nulli uicinarum urbium poſſint inuidere. Hæc ſunt illa pauca, quæ uobis dicere conſtituerã, & uobis bene audientibus dixi. Vobis itaq; quæ oro ac deprecor, ut quemadmodum hæc puto animo & puerili ingenio dicta ſunt: ita uos accipere uelitis, ut ego ciuis ueſter obſeruantiſſimus ueſtrorum animorum alacritate adiutus & confirmatus alias hunc locum aſcendens, & maiore eloquentia fultus pro ueſtro hoc ſummo beneficio, quo me hodie libenter affeciſtis, maiorem animi gratitudinem reddere queam, & uos libentius & ſæpius & maiore auiditate meam orationem audire poſſitis.*

## Antonius Codrus Angelo Politiano, Salutem plurimam dicit. ἐπιστ.

IN *magnis Iulij caloribus redditæ fuerunt mihi literæ tuæ Angele doctiſſime. quibus non grauatus es ad me mittere pauca quedã Græca ex multis q̃ cõpoſueras epigrãmata cum Græcis & Latinis certantia. Ego q̃bus uerbis iſti tam prõpto ac tam liberali in me animo gratias agam nõ reperio. Dedſti enim mihi ſeneſcenti quid cõparare & q̃d cõparando diſcere poſſem. & certe mihi uiſus es & Latinus uir terſiſſimus, & Græcus facundiſſimus. Quod aũt ſcripſiſti*

*ſiſti te cogitaſſe libellum ipſum Epigrãmatum publicare, modo non diſſentirem quid eſt quod fieri aut cogitari à Politiano poßit, in quo diſſentiat Codrus? Equidem non ſum tam ſocors, nec tam mihi placeo, ut uerbis tuis elicitus prodeam, aut tanquã criſtatus gallus cantaturus exultem. Egóne paucis admodũ literis & mediocri ingenio dotatus, tibi uiro in omni doctrinæ genere peritißimo cõſilium dabo? μὴ γένοιτο, & certe miratus ſum non parum, quæ te ratio ad hoc ſcribendum exhortata fuerit, niſi forte meus erga te ſingularis amor, & uitæ meæ pluſculi anni cõmouerunt. quod ſi ita eſt, ſcribam lubens quod ſentio, ea tamen lege ut ſi quid inconditum aut inſuaue hic tuas aures mordaci aceto lotas offenderit, nõ me, ſed teipſum accuſes, qui tacentem ac pene ſopitum excitaueris. Contuli igitur ut iußiſti epigrãmata tua cum Græcis, & tãtum abeſt ut Græca uitupe rare uelim, ut illa plurimum cõprobem. Verum in tuis uerſiculis neſcio quid plus gratiæ & dulcedinis mihi eſſe uidetur, quod magis ſentiri quam mõſtrari poteſt. Præterea non eo inficias, uerſus hexametros ex paucis quidem, ſed longioribus particulis compoſitos, ſuam in tempore ſeruare autoritatem. qualis eſt apud Heſiodum ἀμάνδαρ ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων, & apud Vergiliũ, Paſtorum Muſam Damonis & Alpheſibœi. & alij huiuſmodi plures tam apud Græcos quam apud noſtros Poëtas. Sed uerſiculi ſanè ex pluribus dictionibus cõpacti ſcatentibus dactylis, elegãtiores, rotundiores ac leniter magis currentes, iudicio meo exiſtimandi ſunt, ut ἄνδρά μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον ὃς μάλα πολλά. Et ſi quis in hoc artem populo non nouit amandi Me legat & l.c.d.a. Et hoc præcipue in Elegis ſeu Epigrãmatis apparet. In pentametris uero longas dictiones libenter audio, ut τὴν ἀναδυομένην. & ἃς λακεδαιμόνιος. habent enim neſcio quem Græcienſis con ſuetudinis modum. Poſtremò quantum decoris ac gratiæ uerſibus præbeant epitheta non tãtum perpetua, ſed & nouæ excogitata, & argutæ ſententiæ nemo non eruditus intelligit. In tuis uerſibus ( ut*

*ad te*

*ad te redeam) hæc omnia inueniuntur. Nam ipſi & partibus multis apte cohærentibus & dactylis frequentibus leguntur, ac ſcandun tur & ſententijs fortaſſe argutioribus quam Græci uerſus concluduntur. Quanti me putas feciſſe epithcton illud ὄμφακα μαζόν. & eponymam illam ῥόδον μόνος. & alia id genus multa, quæ multiplicem in ſe habent doctrinam & uoluptatem. Sed quibus uerbis laudabo illam ſententiam, qua in fine Veneris anadyomenes uſus es: ubi ſcripſiſti, Si mars ligatus talem habuiſſet Venerē noluiſſet unquam uinculis Vulcanijs diſſolui. Angele mi obſeruande non tibi blandior, ſed ex animo loquor. In alijs quidem non es Græcis inferior, in hoc uero etiam es ut ſentio, ſuperior. Quare non te tantum hortor ut edas quæ ſcripſiſti: ſed rogo & obteſtor, Ede ede quam celerrime, ut & tu gloria & literarum ſtudioſi doctrina tua frui poſſint. nam uel euoces uel irrites ad ſcribendum eos quos noſti uel non, bene audies omnino, & ſummopere laudaberis: ſed tecum in hoc ſtadio currentibus licebit, mihi crede, potius terga tua quam pectus uidere. Et ſi nulla alia te ad hanc editionem cauſa moueret, uel hæc te impellere debet, Rumpantur ut ilia, non dico Codro, qui tuus eſt: ſed illis, quos ego ſane non uideo: tu fortaſſe cognoſcis tibi eſſe non amicos, ut intelligant te, quod iam Latine feciſti Græce non minus poſſe, & indoctis prodeſſe & doctos ſummopere delectare. & ſi non uis alijs prodire, prode mihi, qui rerum tuarum, ut ſum, ſic ſemper ero lector ſedulus ac amplificator. Sed hæc ſatis ſint in his præcipue caloribus: qui neſcio quomodo uobiſcum, certe uobiſcum grauiter agunt, ἐπεὶ κεφαλὴν καὶ γούνατα σείριος ἄζει, ut ſcipſit Heſiodus. Vale, & memento nos Epigrammatum Græcorum uolumen integrum expectare. Tibi me cōmendo, & ſi Picus Princeps noſter iſtic eſt, me illi ſeruum eſſe inſinuato. Bononiæ, quinta luce Iulij. M CCCCXCIIII.*

## Antonius Codrus Vrceus, Ioanni Butio Salutem plurimam dicit.

*Accepi ſuperioribus diebus à te literas, quibus magnis & multis negotijs impeditus, non tam mature ut fortaſſe cupiebas & ego uoluiſſem reſpõdi. Nũc etiã uix hæc pauca potui exarare. quanquã in cauſa, quam ſcire cupiebas, quantum poſſem, quantumq; uellem ex D. Mathæi Martinelli patre intelligere potuiſti. nam cũ idem Mathæus me de eadẽ re pcunctatus fuiſſet, mandaueră ei & rogaueră ut & patri ſuo & tibi, uoluntatẽ meã ſignificaret, ipſeq; ſe id facturum mihi recipit: tamen ut ex me quoq; accipias, paucis rẽ expediam. Vellem eximie mi Doctor & Comes ſplẽdiſſime, uellem inquam, tantorũ uirorum qui de me cõducendo uerba fecerũt, uotis poſſe ſatisfacere: ſed cum non poſſim Bononienſibus obſtrictus, obſecro te & reliquos præſtãtiſſimos uiros, uelitis meã accipere excuſationem. Fortaſſe alio tẽpore me habere poteritis, quo uobis non minus gratus ac utilis quam nũc eſſe potero, quamuis non ſim ita Græcis & Latinis literis excultus ac refertus, ut ciues iſti prædicauerũt. nam mecum habito, ut monet Perſius, & noui quã ſit mihi curta ſupellex. ſed iam habes. Reliquum eſt, ut tibi clariſſimo uiro reliquiſq; præſtantiſſimis uiris, qui me tanta beneuolentia cõplexi, ad honorem & utilitatẽ inuitare dignati eſtis, meritas agam gratias: ſed quo ingenio, quibus uerbis, qua eloquentia id agere potero? neſcio certe. tanto enim munere affectus à uobis mihi uideor, ut parem meritis ueſtris gratulationem non reperiam: uos aũt & ingenio & prudentia ualetis. ab Antonio ueſtro id accipietis, quod uerbis monſtrare non poteſt, ſed tantum animo ſentit: Bene uale Comes ornatiſſime.*

## Antonius Codrus Vrceus, Baptiſtæ Palmario ſuo Salutem plurimã dicit.

*Nos ſub Alexandri Bentiuoli auſpicio Mediolanũ peruenimus tuti et ſoſpites. propediẽ ut puto, regredimur. Interea*

*cõmen-*

cõmendo tibi res meas, & in rebus tuis & meis, ſi quid opus eſt, ad Reuerendiſſimum Archidiaconum noſtrum confugias. ille liberalißimus eſt & uirtutum amantißimus. in nulla re tibi deerit. & ut rebus meis ſatisfacere poßis ualetudinem cura. Nihil adhuc inuenio hic, quod poßit tibi & honori & emulumento eſſe. Libros Græcos quos emere potero, emam. Commenda me accurate Principi noſtro Galeatio, & Thomæ Gambaro prudenti Iureconſulto, & Andreæ Magnanimo amœni ingenij uiro. Mediolani 23 Nouembri. MCCCCXCIIII. Accepimus Picum Mirandulã uitam cum morte cõmutaſſe. Quid credam, adhuc neſcio. ſi uerum eſt quod accepimus, male hoc anno agitur cum literatis.

## Antonius Codrus Vrceus, Baptiſtæ Palmario ſuo ſalutem plurimam dicit.

ALexander Sartius tuas mihi literas reddidit, in qbus præcipue illud erat ſcriptũ, Aldũ ſcilicet uelle, ut ego illi fidẽ habere, & perſoluerẽ id quod librorũ Græcorũ nomine ei deberẽ. ita feci, accepi à Sartio libros Ariſtotelis de Animalibus & Vocabularium unũ. Ego illi numeraui biſilacos quatuor & libras octo ſed prius uẽdiderã duo opuſcula de Morbo Gallico ſolidis decẽ & duos Theocritos: unũ ſolidis quadraginta quinq;, alterũ quadraginta. Ego nihil ei deberẽ pro his libris emptis & uẽditis, ſi ille mecũ amicè agere uellet: ſed intelligo & cognoſco tantã eſſe in eius ſocijs auariciã, ut nihil cõmodi ab eo ſperẽ. Te rogo, ut illũ cõuenias, & rẽ cõponas. ſed ſcito me nihil ab eo deinceps empturũ eſſe, ut credo, propter caritatẽ (ut ad eũ ſcripſi) rei paruæ, quam ipſe & ſocij magnã faciũt, multum papyri in chartis fere uacuis ſcriptura conſumentes niſi forte minoris pretij ſeu tolerabilioris res ſuas exiſtimauerint. Atqui magnus eſt labor, & magni ſumptus impenduntur in illis imprimendis. non nego. ſed reliqui labores in acquirendis pecunijs non ſunt magni? Vides nunc in maiore pretio eſſe pretium quam unquam.

unquam antea. Ego tibi ingenue uerum fatebor, gaudeo quidem e miſſe libros illos Ariſtotelis, ut poßim dubitantibus interdum Philoſophis noſtris de Translatione reſpōdere: ſed multo magis doleo, cum cogito me tantum pecuniæ in illis conſumpſiſſe, quantum ſatis mihi fuiſſet emere uel decem optimos codices Latinos & magnos. Sed utinam poßim dubitantibus & rogantibus recte reſpondere, cū multos errores in illis uoluminibus Græcis iam cōpererim, adeò ut de ſingulis uocabulis mihi non omnino notis, dubitare cogar. Atqui fieri non poteſt, quin in opere longo & difficili aliquando non dormitetur. quod & in Latinis fieri uidemus, & in alijs impreſſoribus Græcis, in alijs urbibus. Concedo, & do ueniam, cum eiuſmodi fiant errores, qui ſint etiā mediocriter doctis cognoſcibiles: ſicut ſi quis ſcribat τέασεξα pro τέσσαρα. & πρῶτι pro πρώτη. & alia huiuſmodi: at in uocabulis permutatis, ſeu quæ ſenſum uariant non facile fero. ut in primo libro de Animalibus, charta 12. ὑπὸ δὲ τὸν πνεύμονά ἐστι τὸ διάζωμα τὸ τοῦ θώρακος, αἳ καλοῦνται φλέβες. ecce hæc φλέβες, id eſt, uenæ pro φλένες, id eſt, præcordia. qua dictione plenus eſt Homerus & Plato notauit in Timæo diaphragma uocari etiam φρένας. miror iſtos Græcos non animaduertiſſe. taceo hic Pliniū & noſtros. Accipe & illud. Politianus in quodam annotamento ſuo (ni fallor) ita illum uerſum Vergilij legendum eſſe cenſet, Quod fieri ferro liquidóue poteſt electro cum electrum ſemper primam habeat productam: non aūt poteſtur ut alij legebant. Ecce quidam librum de Mundo percurrens, reperit charta 222. uerſiculo ultimo hæc uerba ita ſcripta ſiue ſigillata χρυσῷ καὶ ἐλεκτρῷ. & lætabundus in Politianum inuehi cœpit, quod electrum etiam primam haberet correptā, cum e pſylon ſcriberetur: alter cum huius temeritatē aduertiſſet pro Politiano reſpondit, illum locum corrupte impreſſum eſſe, cum apud Homerum & alios Poëtas per η ſemper ſcriptum ſit. hei mihi, de quanta ſpe ille decidit. Cum rogaret qđ ſentirē, dixi me dubitare. uideto tu & mihi reſcribito,

bito, ſed uiri docti facile hunc errorem cognoſcent: ſed non omnes
poſſunt eſſe docti, qualis es tu Baptiſta mi amantiſſime. Sed hæc mi-
nora omittamus, illud quod maius mihi uidetur attingamus. in libro
de Animalibus, charta decima hæc uerba habentur, ἐντὸς δὲ τοῦ
αὐχένος ὅτε οἰσοφάγος καλούμενός ἐστιν ἔχων τὴν ἐπωνυμίαν
ἀπὸ τοῦ μήκους καὶ τῆς στενότητος. Translatio uetus ſic habet:
Intra collum aũt œſophagus uocatus eſt habens denominationem à
longitudine & arctitudine. uideamus an hæc ſententia uera ſit.
Oeſophagum, id eſt, gulam qua cibus atq; potus deuoratur, poſitum
eſſe intra collum & arteriã non inficicior, & ego uidi ſæpe in diſſe-
ctionibus cadauerum longitudinem habere cum ſtrictura: ſed ab
ſtrictura, & longitudine cognomen ſeu denominationem habere
non intelligo. & puto hoc eſſe falſum, cum à delatione cibi in uentri
culum nomen habeat. nam à futuro huius uerbi φέρω, quod eſt οἴ-
σω & φάγω comedo, compoſitum eſt hoc nomen οἰσοφάγος.
quid ergo dicemus. erraſſé ne Ariſtotelem? minime. impreſſores? ne
quaquam: quoniam tale habuerunt exemplar, in quo hic error inue
teratus erat, ut ex antiquiſſima patet translatione. quid ergo? Dicam
tibi quod ſentio, οἰσοφάγος uocabulum eſt à Medicis uſurpatum.
puto ergo Medicos uocabulum ab Ariſtotele poſitum gloſſula decla
raſſe ſiue ſupraſignaſſe. & ubi Ariſtoteles ſcripſerat ὅτε ἰσθμός.
illi deſuper fecerunt οἰσοφάγος. & paulatim obliteratum eſt hoc
nomen ἰσθμός, & loco eius ſucceſſit οἰσοφάγος. at qui paulo in-
frà etiam nominatur οἰσοφάγος ab Ariſtotele, & in tertio libro de
Partibus animaliũ ſæpius, ubi deſcribit collum & partes colli. idem
dico illic eſſe factum quod hic. aut corrige ſeu lege ſic, ὅτε οἰσοφά-
γος καὶ ἰσθμὸς καλούμενος. ut ἔχων referatur ad illud ultimum
ἰσθμος. ſcis autem iſthmum eſſe longum & ſtrictum, quod aũt ἰσθ-
μὸς ponatur pro faucibus ſeu œſophago, cognoſcitur ex eo quod
παρίσθμιον dicitur iuxta iſthmum. aliqui transferũt tonſillas. quo
uocabulo utitur Ariſtoteles in primo de Animalibus, charta octaua.

*hoc ſcripſi ut facilius queas reperire: ſed uide ne charta falſo ſignata ſit, ut eſt. eo uocabulo utitur etiam Paulus Aegineta. ſi haberem in præſentia Pollucem quem iam habui, fortaſſe & ipſe meam affirmaret ſententiam. Translatio uetus pro pariſthmio habet interſtitium. Atqui mirum eſt Ariſtotelem non uſum fuiſſe hoc uocabulo iſthmi alibi: fortaſſe uſus eſt, ego totum non legi Ariſtotelem. Dicet fortaſſe alius: hic Ariſtotelis locus non poſſet eſſe caſtigatior. nam ſic eſt intelligendus, intra collum eſt uocatus* οἰσοφάγος, *habens denominationem ſcilicet aliam à ſtrictura & longitudine. &* ἰσθμὸς *eſt alia denominatio. ô pulchrum inuentum, ô callidam interpretationem: ac ſi Latine diceremus in capite ſunt capilli habentes denominationem à diſcretione, ſed capilli non à diſcretione nomen habent. habent ſcilicet aliam dicet aduerſarius, nam dicuntur crines. Hæc pluribus ad te ſcripſi, ut tu, & tui Græci inueniretis aliquid, in quo ignorantiā meā taxaretis, ſeu potius quod me doceretis. fortaſſe enim aliquis ueſtrum excogitabit œſophagum denominationem à ſtrictura & longitudine habere. Audi alium errorem, charta nona de Animalibus,* τόδε περιξ δέρμα ὁ καλεῖται ὀχεύς. ὀχεὺς *ut puto, eſt uectis uel lorum ſeu ſera: quod etiam* κατοχεὺς *dicitur, non pellis teſticulorum. pellis autem teſticulorum dicitur* ὄσχεος *ni fallor. Cornelius Celſus in ſeptimo ponit, ſed neſcio, an bene, an male poſtquam uidi librū Aldi. Tranſlatio uetus bene habet oſcheus: ſed de his & alijs multis alias. Scripſiſti ut tibi ſignificarem, an Ferè poßit habere ultimam breuem. Ego cum id legißem, cœpi ſuſpicari, an ita in aliquo meo uerſu ad te miſſo poſitum eſſet: & tu latenter & honeſte me uelles mordere. ſi ita eſt corrige, & mihi ſignifica. quare aūt id ſuſpicatus ſim accipe. Superioribus iam menſibus, rogaueras me, an Græcienſis dici poßet Latine: ego nihil aliud ſuſpicans, reſcripſi neſcio quid. poſtea cum epiſtolam meam ad Politianum percurrerem, id uocabulum in ea repperi. tūc dixi. hem hæc erat illa dubitatio ſeu quæſtio,*

quam

*quam ſcripſerat Palmarius. habeo te. de hac re reſcribe mihi an ita ſit. Scripſeram ad te ſuperioribus menſibus de quodam iuuene Græco, ut mihi ſignificares an ex patria reuerſus fuiſſet: reſcripſiſti non reuerſum fuiſſe, ſeu nihil de eo accepiſſe. & ego nunc audio illum eſſe cum Aldo. iam tres ſunt menſes. uide Baptiſta mi, qua diligentia in rebus amici uteris. ſed dices, eſt alius qui eſt cum Aldo: ego illum ex ſignis mihi dictis eſſe intelligo quem quæro. nomen eius eſt Michaël Spartiates patria, iuuenis eſt longo collo. ſed quid hæc ſcribo. rogato tu illum Michaëlem, an unquam fuerit Bononiæ: & an me norit, an alium Bononienſem, an Nicolaum illum noſtrum qui obijt mortem. & qua ætate ſit mihi reſcribe te obſecro quam primum. item an uelit redire Bononiam unquam. noli autem illi dicere hæc à me tibi ſcripta fuiſſe. Placet mihi te accepiſſe uerſus illos de Mendaci hominum uita, & iam indignari incipiebam credens te non accepiſſe, cum commodum redditæ mihi litteræ tuæ fuerunt, quæ me lætitia affecerunt. Vocabularium mihi ab Aldo miſſum uendidi ſtatim, cum uidiſſem illud nihil ad meum. Tabula etiam illa, quæ eſt in ultima parte libri deridetur à doctis uiris. eodem enim labore quo factum eſt charta prima uel ſecunda uel tertia potuiſſet ſcribi dictio illa Græca, quæ illo numero quæritur. Differentias uocabulorum ſimilium uel penè ſimilium iam uideram in quodam libro, qui erat Alexandri Strozæ, & in meo notaueram. Neſcio an habeas Ariſtotelem de Animalibus. ſi non habes, inuenias qui tibi conmmodet, & inſpice in tertio libro, charta ultima tertij quinternionis, ubi inuenies hæc uerba, ἠδ᾽ ἔλαττον ἐν τοῖς ἀριστεροῖς, ἣν καλοῦσι τινὲς ἀορτήν. hæc uerba intelligo, illa quæ ſubinde ſequũtur, non intelligo, ἐκ τοῦτε θε ἄσθαι κὴ ἐν τοῖς τεθνεῶσι τὸ εὐρῶδες αὐτῆς μόριον. Vult Ariſtoteles docere rationem ſeu etymologiã, unde dicta ſit aorte, & obſcure mihi loqui uidetur. ſi per te non intelligis, quære ab iſtis Græcis ſeu doctis uiris & mihi reſcribe: ſed memento. In fine huius libri de Animalibus, in*

*eo libro qui poſtea additus eſt, ſunt aliquæ chartæ tranſpoſitæ, ut
ex tranſlatione ueteri reperio. Conſiderato & hoc. uoluit Alexan-
der Sartius relinquere mihi duas Ariſtophanis comœdias & exige-
re unum aureum. ego nolui, quia futura non noui. Vidi in quodam
Athenæi principio uerſiculo decimo octauo. μανσούριος νόμων
ἐξηγητής ſi hic eſt ille de quo Perſius: Maſuri rubrica notauit. &
habetur in Digeſtis de Origine iuris: Maſurius non Manſurius ſcri
bendum eſt. & illum eſſe reor quia Athenæus legum expoſitorem
eum appellat. Si uis hæc omnia quæ tibi familiariſſime ſcribo, refer-
re Aldo, per me licet: ſed ne literas ipſas in manus alicuius ſinas per
uenire. O quam dulce eſt ad amicum ſcribere, qui non quærat no-
dum in ſcirpo, & apud quem poſſis interdum ſolœcizare. De Lati
nis libris cupio ſcire, ſi quid noui emerſit. Super uocabulo Fere cogi
tabo ſi quã cõminiſci rationẽ, aut reperire ubi corripiat ultimã. Di-
camus de ſtudijs noſtris & hominibus. Philippus Beroaldus Maior
factus eſt nouus maritus: & quã ducturus eſt uxorem? Filiam excel
lentis uiri & Iuriſconſulti optimi Vincentij Palæoti, puellam pul-
chram & decem & ſeptem annorum, quam ſi uideas dicas florem
eſſe ipſum. Ego uocatus ad cœnam, illi & affinibus gratulatus ſum.
At Philippus Beroaldus Iunior quem maxime amas, profiteri publi-
cè incœpit qui exceptus eſt omnium plauſu in primisq; mei. nam &
in noſtro ludo ſed. t. Aldus ſcribit Hammoniũ ſine aſpiratione tam
Græce quàm Latine: cu ab hammonie fiat hammonius, & hammon
habeat aſpirationem. ſed Græci ſcriptores id negant. contrà Bapti
ſtam Guarinum audijſſe debuerat Aldus cum ille Vergilianum illud
exponeret, Hic Hammone ſatus. ſed unde id nouerat Guarinus con
tra omnium Græcorum ſententiam? ex Plinio, qui in libro ultimo, ca
pite de quibuſdam gemmis, per alphabeti ordinem ponit hammonis
cornu in his quæ incipiunt à litera h, ſiue ab h, id eſt, aſpirationis no
ta h litera non eſt. & tu forte audiuiſti à me. Memento reſcribere
quid mihi ab illo Græco iuuene intellexeris & an ſit ille quẽ quæro,*

*Diſceſſe*

Diſceſſerat enim in patriam circa Iulij mẽſis finem uel Iunij potius, ut reor. Amiſimus Laurentium Rubeum.obijt enim mortem.nũquam accepi περὶ κουροτρόφου. De epiſtola mea ad Politianum ſcripſe ras ad me multa in quibus ſuadere mihi uolebas,ut pene totam mu tarem.ego & laborem fugiens, & ueritus ne de mala epiſtola fa cerem peiorem,nihil mutaui, imò ſcripſi ad uos ut aut ita ut erat im primeretis aut cõbureretis. At ſi mihi ſcripſiſſes, Dubitant hi uiri docti de uocabulo Græcienſi an ſit Latinum, an Inſinuare rectè à te poſitũ ſit & proprie,& aliqua huiuſmodi:reſpondiſſem leuiter,fa ciendũ eſſe qcquid uobis libuiſſet.hoc te rogo facias in uerſibus quos ad te mitto,ſi quid eſt improprie poſitum, notes & mihi ſignifices. ego ſi potero,corrigam:ſin minus,non utar in poſterum eo quod no tatum fuerit.Illuſtris & magnanimus Princeps & Archidiaconus Reuerẽdus Galeatius Bentiuolus me in camera ſua exprimi per Frã ciam fecit. ego illi quibuſdam uerſiculis egi gratias. inter quos eſt hic, Ille inhiat gemmas,atq; auro congerit aurum.quem dum relege rem ſeu recantarem mecum, ut ſoleo animi cauſa,noui ſeu percepi illum mẽdoſum eſſe. nam Vergilius dixit,Pecudumq; recluſis Pecto ribus inhians.ſp. c. c. & Horatius,Congeſtis undiq; ſaccis Indor mis inhians.at Pectoribus recluſis,& Congeſtis ſaccis,poſſent eſſe ablatiui caſus abſolute poſiti.require aliud exemplum Codre.recur re ad Plauti Aulularíam.memineram enim illic eſſe Euclionem ſoli citũ de aula auri. & inueni pro me hæc uerba,Id inhiat:ſed erat ap poſita gloſſula ex Nonio Marcello,id pro ei.dum in hac uerſor me ditatione,ecce uenit ad me Hercules Crucius uir literatus, & quid agis inquit,Codre? ſemper literis Græcis inhians.habebam enim in manibus Ariſtotelis opera. tunc ego mecũ.en hic te reprehendiſſet, ſi tuos uidiſſet uerſus.poſtero die afferuntur ſeu redduntur mihi lite ræ tuæ,in quibus præter cætera & illud erat ſcriptum, Sed literas ſemper omnibus antepoſuit, illis nunc inhiat.His lectis tunc ego me uehemẽtius cœpi reprehẽdere,ubi Codre hãc didiciſti Grãmaticam,

*ut inhiare illã rem diceres? ecce illi docti uiri te latenter caſtigant. Quare motus, ubi ſcriptum erat gemmas deleui .a. & ſcripſi i, ut eſſet gemmis. Poſt aliquot dies cũ legerẽ, ut ſoleo familiariter, ſedẽs non celſa ſede ſed humili, diſcipulis meis Vergilij Georgica, incidi in illum uerſum, Nec uarios inhiant pulchra teſtudine poſtes. tunc arrexi animum, & ad Seruium recurri. ubi inueni, Inhio illam rem dicimus. tunc exultaui, & mihi fauere cœpi Vergilium amplectens. alios damnare, & ueterem ſcripturam meam refeci: ut ſic legeretur, Illc inhiat gemmas. uerſus ipſos aut hic ſubiungã, aut alias ſcribam. ſunt enim pluſculi. tu quid ſentias uideto. De Græcienſi uocabulo ut aliquid ſcribam, lege Pliniũ in quarto capite de Thracia in fine illius capitis hæc uerba inuenies, Græcienſe qua Græciam alluit. Facias mihi tranſcribi Dialogum illum ſeu Libellum Plutarchi de Seruanda ſanitate. non fidis auariciæ meæ, atqui ego pauloantè triginta libras & plures enumeraui in libris ab Aldo acceptis. Nihil reſcipſiſti mihi περὶ κουροτρόφου: non quid ſignificet, ſed in quo libro ſit apud Homerum. & pro cuius Deæ epitheto ponatur. Vale, die decimaquinta Aprilis. MCCCCLXXXXVIII.*

## Antonius Codrus Vrceus, Aldo ſuo ſalutem plurimam dicit. 5.A

*TVa ſingularis humanitas, qua cum iſtic eſſem, erga me uſus es non ſane merebatur, ut & tam diu in literarum mearũ expectatione tenerem: uerum id euenit non obliuione nec negligẽtia, ſed plurimis occupationibus & curis, quæ me ſuperioribus diebus oppreſſerunt, & etiamnum opprimunt adeò ut ne nunc quidem poßim liberè ea quæ uolo tibi ſcribere. doleo certe. uellem enim exponere ac enarrare quicquid mihi poſt meum à te diſceſſum accidit, & ſermones quos ego & Nicolaus Leoniceus unà de noſtris ſtudijs habuimus. ſed poſtquam non datur ocium, in aliud tempus differamus.*

*Primum*

*Primum accipe quæ ad mandata tua ſpectant. deinde de rebus meis loquar. Opera Græca, quæ flagitas, non potes nunc habere, quoniam Nicolaus Græcus occupatus in alijs eſt. cum perfecerit quæ in manibus habet, tui memor ero. Verſum Theocriti qui eſt in Helenæ Epithalamio corruptum habes, ideo intelligere nõ potes. ego integrum habeo, & manu Andronici uiri doctiſsimi & eloquentiſsimi. ſic aũt iacet,* παίσδειν ἐσβαθὺν ὄρθρον ἐπεὶ καὶ ἔναρ κἠς ἀῶ. *ubi* ἔναρ *legis poſitum pro* ἔνην *Dorice.* ἔνη *aũt ſignificat finem & principiũ menſis uel lunæ: dicitur tamen coniunctim* ἔνη καὶ νέα. *ſed Theocritus primam tantum partem poſuit. lege Ariſtophanis Nephelas,* εὐθὺς μετὰ ταύτην ἐς ἔνη τε καὶ νέα. *& infrà etiam ſæpe. Iulius quoq; Pollux hæc dicit libro primo, ubi de partibus menſis loquitur* ὁμοίως ἄχρι τοῦ τριακάδος, ἣν οἱ ἀττικοὶ καλοῦσιν ἔνην καὶ νέαν. *hoc aũt eſt quando luna uetus eſt & noua, ut dicere nunc ſolemus. plura ſuper hac re ſcriberem, niſi te plura apud Ariſtophanis Cõmentaria lecturum exiſtimarem. pulcher certe eſt hic Theocriti locus, & ratio metri quadrat. Imperſonale uerbum quod eſt apud Ouid. ũ cum accuſatiuo, cum inuenero ad te ſcribam. nunc* οὐ δύναμαι: *Quod de ratione metrica, quæ eſt in odis Pindari ſcire cupis, res longa eſt, difficilis ſcriptu. nam ſunt aliquæ odæ quæ habent 23. uerſuum ſpecies. aliquæ quæ 18: aliæ alium numerum. & Cõmentarium meum admodum uetus eſt, ita ut uix legi poſsit: curabo tamen, ſi iuſſeris, quoquo modo potero tibi ſatisfacere. Nũc quid in rebus meis te facere uelim accipe. ſi Apollonius tranſcriptus eſt, placet. mitte. ego tibi pecunias numerari iubebo, uel aliquod opus Græcũ quod uolueris tibi rependã: ſin minus, omitte. ego enim Patauij habeo qui illum exarari facit. Boëtij opera quanti ueneant, ſcire cupio. Et ſi Dionem hiſtoricum uel Græcũ uel Latinum iſtinc habere poſsim. Vale, tibi me cõmendo, & rogo ut me cõmendes Demetrio Moſcho uiro docto, M. Antonio Sabellico uiro elegãti ac diſerto, Raphaëli Regio uiro emuncto, D. Danieli uiro humano*

*&,*

& alijs noſtrorum ſtudiorum ſtudioſis. Georgium Vallam non audeo dicere, quoniam illum mihi ſubiratum eſſe, cum iſtic eſſem ſenſi. Et certe niſi ille me quamlibet triuialem Grāmaticum contempſiſſet, nonnulla cognitu pulcherrrima ex me accepiſſet. ſed ſtultus qui hæc ſcripſi, cum modicè, aut etiam intra modum literatus ſim. Alde mi humaniſſime poſſem illud Iuuenalis dictum in hanc rem de qua loquor cōuertere, Hic uiuimus ambitioſa Paupertate omnes. ſumus literarum pauperes & uolumus uideri omnia ſcire. Recte igitur Paulus Apoſtolus Corinthios monuit, ἡ γνῶσις φυσιοῖ, ἡ δὲ ἀγάπη οἰκοδομεῖ. itaq; officium noſtrum eſſet non ſuperbire, ſed alterum ab altero diſcere, & nos inuicem amare. & hominem ignotum, ter & quater priuſquam contemnas, uerſare. Bononiæ, 14. Octobris. MCCCCLXXXXII.

## Antonius Codrus Vrceus, Dario Tiberto Salutem plurimam dicit.

ACcepi literas tuas cum mandatis à Iacobo noſtro. quibus me oras, ut libellos tuos qui de Legitimo amore inſcripti ſunt emendandos ſuſcipiam: & id adeò copioſe, adeò eleganter & enixe facis, ut me ſuppudeat à tanto uiro orari, & quod ægrè fero ſupra modum laudari. Certe ſplendidiſſime mi Eques & Poëta terſiſſime, nec tua dignitas hoc facere debuit, nec mea tenuis doctrina id merebatur. quod ita eſſe luce clarius magnanimitati & excellētiæ tuæ his literis oſtendiſſem, ſi Iacobus Cæſennas noſter plus temporis ad reſpondendum mihi reliquiſſet: uerum cum feſtinaret, me raptim hæc ſcribere coēgit. quare oro, ut his paucis hoc tempore contentus eſſe uelis. Quod ad libellos tuos ſpectat, ſcito me multos uerſus una uigilia percurriſſe ex ordine, nōnullos etiam paſſim. & ut ſcribam quod ſentio, & ut fieri cupis, primum mihi operis materia, & narrationis ordo perplacuit: deinde ipſa facilitas, quā ego in ſcriptore plurimi

rimi facio & cõmendo ſummopere. In illis tamen uerſibus quos legi, nonnullas maculas ſeu næuos offendi qui non adeò multum illos dehoneſtant, & facile elui ſeu tolli poſſunt. De his ego alias ad te ſi dabitur, ſcribam. interea poteris illum uerſum corrigere, Corda furans hominum. cum Vergilius ſcripſerit, Suppoſita de matre nothos furata creauit. & illum qui eſt circa operis finem, Namq; tuus quicquid pumex læuigauerit. Nam læuigare primam habet diphthongo productam. & hoc Palladius affirmat hoc uerſiculo, Læuigat, & pulchris ueſtit adulta comis. Ille aũt uerſus pro Damone licet. d. p. o. me dubium facit, an putem illum claudicare, an non. de quo aliâs. Nũc uero tibi immortales ago gratias, quod utilitati meæ facultatẽ & officium tuum liberaliſſime obtuliſti: ſed nihil eſt quod à te hoc tempore petam, niſi ut me claritatis ac præſtantiæ tuæ amãtiſſimum ames, ac tibi commendatum habeas. Vale, Bononiæ XVIIII. Augusti. MCCCCLXXXXVIII.

## Antonius Codrus Vrceus, Andreæ Magnanimo triſtiſſimo ac mœſtiſſimo ſalutem plurimam dicit.

QVibus enim alijs uerbis Andrea mi potius appellare te licet in hoc tuo acerbiſſimo caſu: qui Iacobum Magnanimum patrem tam prudentem, tam utilem, tam facundum tibi & tuis abſtulit? Deſideraſti forſitan his proximis diebus conſolationem & præſentiam meam. equidem ſi potuiſſem dolorem tuum uel præſentia mea, uel uerbis mitigare aduolaſſem protinus ad te nihilq; uel uerbis uel opera reliquiſſem quo dolor tuus mitior fieri potuiſſet: uerũ me quoque tantus dolor inuaſit cum patris tui obitus mihi nunciatus fuit, ut neq; mens neq; uox ſuum ſatis apud me locum tenuerint. ſubijt enim mihi ipſius patris tui facies honeſta, uultus lætus, uox facunda: ſubierunt & ipſius erga me & meos beneficia & promiſſa ſæpiſſime ab

*eo repetita. Subijt occidiſſe eum uirũ qui non tantũ filijs, ſed toti patriæ charus erat & utilis in ea ætate, quæ plurimũ cõſilio ualet & autoritate. & ut uerum ingenuè fatear, adeo eram triſtis, adeo iratus, ut cõſtituiſſem edere Orationẽ non conſolatoriã, non quæ dolorem tollere conaretur, ſed indignabundam & quæ ad dolendum potius excitaret, in qua quidẽ inuecturus eram in mortem, in fata, in ipſos Deos qui tã graues, tam neceſſarios uiros nobis inuiderent. uolebam deniq; & Ciceronẽ, & alios Oratores & Philoſophos omnes qui mortẽ bonũ eſſe prædicaſſent, ac eloquentiæ uiribus ſecundũ naturã optandũ eſſe dixiſſent carpere, diffamare, & tanquã mendaces, futiles, nugatores, facundiæ gloria iactabundos, bouinatores, blaterones ac omnia præter uera faſtu uerborũ inculcantes publice enũciare. ac ſi non affuiſſet ingenium, ſaltem nõ defuiſſet indignatio: & ſi eloquentia non affuiſset, at loquentia non defuiſſet. Et per Deũ immortalem, quis adeo durus, adeo ſaxeus, tantam iniuriam tolerare poſſet ut ea amittat quæ ſibi cariſſima ſunt eo præcipue tempore, quo maxime ſunt neceſſaria. Cæterũ Andrea mi amãtiſſime collegi ipſe me, ac ſenſu & ratione inter ſe altercãtibus, faciendũ mihi putaui, ut rationi adhærerẽ, & quid illa ſuaſiſſet efficerẽ. ne ſi animi ſolos motus turbatos ſecutus eſſem, nõ pro rei ueritate, ſed ira ac dolore pulſus dixiſſe uiderer: ne ue aliqd homine indignũ Oratione mea cõplexus eſſem. q quidẽ eo nomine tũc dignus exiſtimatur, cũ aduerſa magno animo tolerare nõ recuſat: cõtrà effœminatus ac potius nihili putatur, cum ſe ab humanis peſſundari ſinit, ac non illis etiã ſponte occurrit. Præterea quæ à ratione proficiſcuntur, ea ſolida ſunt & quodammodo adamãtina ac æterna: quæ à uero ſenſu effutita ſunt, fluxa, caduca, & tanquam bullæ è ueſtigio euaneſcunt. Quare ut ad id quod collecturus ſum, propius pedem conferam, Amiſiſti patrem integerrimum, ſapientiſſimum, facundiſſimum, tibi & patriæ plurimum utilem ac neceſſarium. hæc iactura immenſa eſt, dolor ingens, ac uix conſolabilis, fateor: uerum non tibi ea ſatis uulgata.*

& ego quoque amicum imò beneuolentia patrem clariſſimum amiſi. Solatia nunc ſubijciam, quæ docent nihil mali eſſe in morte, nihilq́; patri tuo incommodè potuiſſe contingere, quæ tibi uiro doctiſſimo non ignota ſunt, quod ex hac iactura detrimentum accidit, uerbis extenuabo. quod puto multos feciſſe, qui oſtenderunt te tam bene educatum & instructum, & ſapientem & literis refertum, ac exemplis munitum, à patre relictum ut non te tantum ſed & fratres & ſorores optimè regere ac gubernare ſatis ſis ac idoneus. qui ſi & rationi & conſilio tuo acquieſcent, nihil aut non multum amiſiſſe ſe cognoſcent. Illud tantum tibi ſignificabo, quod ego deinceps facere decreui: poſtquam uideo ita neceſſum eſſe, ut corpus hoc mortale exuamus, & id quidem breui, & ad immortalitatem poſtea ad quam uere nati ſumus duci, ſtatuo hac luce potiri, & me rebus ſecundis, hoc eſt, perpetuæ uitæ lætiorem ſeruare, & omnia humana, omnia aduerſa ſusq́; deq́; ferre ac tolerare. fiant terræmotus, ingruant bella, peſtilētiæ, fames. accidāt parentū, fratrū, amicorū mortes. totus deniq; mūdus ruat: ego quoad me fieri poterit ſtrictis, ut aiunt, dentibus ea tanquam nihil ſint æſtimare conſtituo, nihilq́; amplius euitare niſi culpam, dum nemo ſit qui ſe à me læſum aut re, aut uerbo, aut alia qualibet ratione dicere poſſit. quid eſt quod ego in malis eſſe debeā reputare? hoc mihi quidē arduū uidetur, & fere contra naturam, quæ lachrymas homini dedit: ſed tamen ſi equos ad bella, ſi canes ad uenandum, ſi animalia etiam fera ad domeſticos uſus aſſuefacimus, cur non ego quoq; poſſe debeo animū meum ad aduerſa aſſuefacere? cur omnes homines, omnes cicures, omnes feras, omnem deniq; terrarū orbē aggredi & uincere audemus? hoc ego facere cōſtitui. tu Andrea mi amātiſſime, q maiore prudētia, maiore uſu rerū polles, ſi qd habes melius, ut Horatiano uerſu utar, Candidus imperti, ſi non, his utere mecum. Ego in parentis tui memoriam hoc breue elogium edidi. quod equidem quo animo factum ſit ſcio, an uero tibi placiturum ſit neſcio.

*Epitaphium Iacobi Magnanimi.*

*Si fera Magnanimum cogebant fata Iacobum*
*Nondum maturo reddere membra rogo,*
*Conſilium, grauitas, facundia, gratia, iuſtum,*
*Debuit in ſeros, hoc prohibere dies.*
*Sed Parcæ nequeunt ulla uirtute moueri,*
*Cum tibi Fatalis uenerit hora, Vale.*

## Antonius Codrus Vrceus, Eugenio Mengo Salutem plurimam dicit.

*EGo mi Reuerende Eugeni poſtquam editus ſum in hanc uitæ lucem ſeu potius tenebras, ſi Platoni & Vergilio credimus, qui aiunt animas tenebris clauſas & carcere cæco. modo rebus aduerſis exagitatus ſum, modo lætis releuatus, ut ſeſe res humanæ ferunt. aduerſas res omittamus, quid enim nobis lucri cum illis. de lætis loquamur, & his præcipue quæ à uirtute aut cum aliqua uirtute fiunt: Natus ſum ex Corteſio & Gerardina parentibus modicis quidem, ſed ingenuis & legitimis legitimeq́; coniunctis, patre etiam literato circunſpectoq́; in rebus quæ ad uſum ciuilem moribus & legibus conſtitutæ ſunt. Herberia oppidulum in agro Regienſi mihi eſt patria, quæ ſi nobilitate, uetuſtate literis, arte militari, magnis oppidis conferenda non eſt, at non cedit aëris ſalubritate, non cedit loci amœnitate, non incolarum probitate. At illud inter minima non eſt reputandum, quod mihi in celeberrima ſtudiorum ac literarum urbe doceri contigit, Ferrariæ ſcilicet & ab eo inſtitui, qui linguæ Latinæ Græcæq́; decus & ſpecimen, uno omnium literatiſsimorum ore fertur & prædicatur, Baptiſta Guarini Veronenſis filio, qui famam ingenij, re ipſa exuperat: & à me ſemper ſumma prædicatione ſummoq́; honore colendus eſt ac obſeruandus. Adde & illud quod patriæ tuæ publicus literarum præceptor decem annis fui tanto ſtipendio*

*pendio ac ſalario conductus, quanto ante me fortaſſe nullus: in qua diſciplina honeſtiſsimos ingenioſiſsimos & mei amantſsimos erudiui diſcipulos, & te in primis, qui me ſingulari beneuolentia, pietate, ac officio proſecutus es, ut tibi ex eo plurimum debeam. recordor enim qua diligentia primus ludum literarium frequentabas, qua attentione me legentem audiebas, qua fide dicta mea cõprobabas, & alijs præferebas: qua modeſtia me percũctabaris, ſi quid in lectionibus obſcuri te offendiſset: qua aſsiduitate me comitabaris, ſi quò mihi eundum erat: quo animo me defendebas, ſi quid erat quod in decus ac honorem meũ fieri uideretur. magna ſunt hæc nec obliuioni mandanda. Cõtigit mihi & illud in eadem patria tua, quod non ſine animi dolore uerbis conſequi poſſum, & tamen in aduerſis mihi lætandum magnopere eſt. quod Principalis præceptor fui in ea illuſtri & antiqua domo, quæ liberalitate & magnanimitate ſua, armorumq; præſtantia multas ætates in patria tua principatum poſſedit. & e us adoleſcentis præceptor fui, cui neſcio quis ingenio, humanitate, acrimonia, uultu, facie, liberalitate noſtra tempeſtate conferri poſsit. hunc terris inuida Fata ſuſtulerunt, ut toti Italiæ notum eſt, cuius dulcem memoriam in pectore habeo. & ut ſuprà dixi in rebus lætis hoc pono, quod tanti adoleſcẽtis fuerim ab prudentiſsimo Principe Pino Ordelapho de multis electus præceptor. Ex patria demum tua ſeu noſtra (nam pro Foroliuienſi potius appellor & cognoſcor quam pro Herberienſi) tandẽ Bononiam me recepi, ubi & optimorum uirorum ſuffragio & literulis meis ad lectionem Grammatices ac Rhetorices publicè conductus fui. hoc non paruum mihi uidetur in tanta tamq; magnifica ac celebri ciuitate, quæ priſcis illis Athenis conferri poteſt, publice legere, docere, diſputare. Vnum Reuerende mi Eugeni bonis his ex inſpirato adiectũ nuper eſt, quod ſuperiora bona cumulaſſe mihi certe uidetur. quomodo enim unquã crediſſem, me tuo primo ſacrificio tuæ nouæ miſſæ intereſſe cũ iam diu ubi eſſes neſcirẽ? & tamen interfui, quomodo unquã crediſſem in nu-*

*in nuptijs tuis apud te ipſum nouum ſacerdotem in menſa diſcumbēre? & tamen diſcubui & opiparè prandi, duplici cibo ſatiatus animi ſcilicet & corporis: ita ut ex ea re maxima ſim conſolatione delinitus. ô diuina bonitas, ô diuina clementia. quibus pſalmis, quibus odis, quibus cantibus, quibus hymnis poſſem ego indoctus & peccator, tuæ maieſtati gratias agere, & pro tanto beneficio eā cumula tè magnificare. Si facundiam Leonis Pontificis, ſi mores Gregorij, ſi acumen Auguſtini, ſi eloquentiam Hieronymi, ſi profunditatem ſcientiæ Pauli mihi elargireris, ne minima quidem in parte tibi ſatiſfacerē poſſem ô benigniſſime Rex noſter & redēptor. quare te rogo, tibi ſupplico, Eugenij uir caſtiſſime, & bene literatæ, ut tu, qui per ſacerdotij dignitatem Domino noſtro Ieſu Chriſto iunctus es, ac illi ut ita dicam familiaris, quiqúe & doctrina & moribus ab ſancti Saluatoris patribus eruditus ac inſtitutus es: qui qudem patres tui ſynceritate, integritate, ſanctitate, bonis exemplis, caſtiſſima officiorum celebratione Chriſtianam fidem, plurimum exornant, extollunt, ac amplificant, dignari uelis ſic pro hoc beneficio omnipotenti Deo nomini meo gratias agere, ut huius meæ lætitiæ ac uoluptatis cauſa fuiſti, rogareqúe ac potius exorare illius infinitam benignitatem, ut me pro ſua erga genus humanum beneuolentia, ſuis beneficijs dignum facere non dedignetur.*

Ioannes Garzo Antonio Codro Vrceo,
ſalutem plurimam dicit.

*NVnquā pudebit Garzonem fateri ſe in diſcēdis literis uſum eſſe opera & præſidio tuo, cum ſis liberaliū diſciplinarū ſtudijs expolitus: ut me hac cura, hoc onere liberes, non ſolum oportet, uerum etiam neceſſe eſt, tum ipſe tibi immortale ac diuinum beneficium debebo. Vallenſis noſter in Boëtium Seuerinum, quod Latine loqui neſcierit, in eo libro, quas Elegantias uocat, acerbe inue-*

*bitur*

bitur: affirmat illum è recta uia deflexiſſe, quod Perſona dixerit eſſe ſubſtantiam, non qualitatatem. an Vallenſis ſententiæ accedere debeam, non parua mihi inijcitur dubitatio: cum Cicero duodecimo Philippicarum libro, dum diſſuadet ne legati ad Marcum Antonium mittantur, neque ipſe mittendus ſit, illa ſcribat, Quod ſi habenda cum Antonij latrocinio pacis ratio fuit, mea tamen perſona ad iſtam pacem conciliandam minime fuit deligenda. ſi Perſonam ad qualitatem referat, haud ſatis intelligo, qua qualitate ad componendam pacem opus fuerit: ſin ad ſubſtantiam, bene eſt. haud negauerim nonnunquam à Cicerone Perſonam pro qualitate ſumi. Extat eius Oratio in Lælium Piſonem, in qua excuſatione cum uſus eſſet, grauiſſimam inquit perſonam hi uidentur ſuſtinere, qui Philoſophiam profitentur. Quod uero pro qualitate Perſona ſemper accipienda ſit, non poſſum adduci. Vtcunque ſit opinioni tuæ acquieſcam. quare cum ocij paululū nactus fueris. non grauaberis me de ſententia tua certiorem facere. Vale mel ac delitiæ meæ.

## Antonius Codrus Vrceus, Ioanni Garzoni Oratori eloquentiſſimo, & Medico prudentiſſimo S.P.D. 10.

SVperioribus diebus literas tuas accepi Doctor mi diſſertiſſimé, qbus eueſtigio pro iure beneuolentiæ noſtræ debui reſpōdere: uerū dum illud Perſianū repeto, Cras hoc fiet. recraſtinādo ad hūc diem expectationem tuam protraxi. doleo ſane, ſed ætati feſſæ & curis & laboribus oppreſſæ ignoſcendum eſt. quare & ſi fortaſſe meas literas tanquam nimis ſeras aſpernaris, tamen ut eas uel una leui lectione digneris te oro. Diſcendi ſtudium ſemper laudaui magnifeciqúe, & etiamnum laudo & magnifacio, arbitrorqúe id omni ætati conuenire, & non ſolum uoluptatem, ſed

uerum

uerum decus & ornamentum nobis afferre. & quamuis Plato grandes iam natu philoſophantes derideat, tamen ut rectè ſentit Gellius non illam improbat Philoſophiam. quæ uirtutum omnium diſciplina eſt, quæq; in publicis ſimul & priuatis officijs excellit. qualē præ te fers uir eruditiſsime, & ægrotis medendo, & patriæ & clarorū uirorum res geſtas deſcribendo: ſed illam quæ futilis eſt, & argutiarum puerilium plena, & quæ nihil ad uitam humanam tuēdam, atq; ordinandam pertinet. Quinimò ipſe Plato poſt multas orbis terrarum partes diſcendi ſtudio luſtratas altero & octogeſimo anno decedens Sophronis Poëtæ uerſus ſub capite fertur habuiſſe. quare illud Solonis dictum amplectantur, γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος, id eſt, ſeneſco aūt ſemper multa diſcens. Verum ab his diſcendum cenſeo, qui doctrina quadam ſingulari ſummaq; eruditione præſtare dicuntur. non ab his qui à te docendi eſſent ac cuperent. Sed de his hactenus. non enim ea cauſa ut diſcendi ſtudiū laudaremus uenimus ad ſcribendū: ſed ut tuæ (quoad in nobis eſſet) rectiſsimæ dubitationi reſponderemus. ſcribis enim Vallenſem noſtrū acerbè inuehi in Boëtium Seuerinum, qui dixerit Perſonam eſſe ſubſtantiam non qualitatem: te uero reperiſſe in Philippicis Ciceronis hæc uerba, Mea tamen perſona ad iſtam pacem conciliandam minime fuit deligenda. ubi Perſona pro ſubſtantia potiuſquam pro qualitate poni tibi uidetur. Poſſem ego tibi uir eruditiſsime duobus, ut aiunt, uerbis reſpondere & affirmare Vallenſem rectè ſenſiſſe, Ciceronem uero impropriè Perſona eo loco uſum fuiſſe, ut ſæpe fit, & ab eo & ab alijs ſcriptoribus, qui non ſemper uerborum ſeruant proprietatem. Cæterum uolo beneuolētiæ gratia tecum plura diſſerere, & primo de natura uocabuli diſputare, deinde ad obiectionē tuam ſermonem meum referre. Accipe ergo primum non te fugit Perſonam ſignificare faciem fictam, ſeu faciei tegumentum. ex qua Perſonati noſtra quoq; tempeſtate dicuntur, & à perſonando habere nomen, ut C. Baſſus lepidè compoſuit. quoniam tegumentū ſeu indumentum

mentum illud oris clareſcere, & reſonare uocem facit mutata breui uocali in longam: ego aũt puto eſſe à Græco deductum uocabulum πρόσωπον enim Græce dicitur perſona, quoniam πρὸς, id eſt, ad, & ὤψ ὠπὸς facies uel uiſus dicitur, quaſi ad faciem tegendam factum inſtrumentum. huius inuentores exiſtimant aliqui fuiſſe Athenienſes, qui ut placarent manes Icari & Erigones eius filiæ, quæ ſe propter patrem ab Athenienſibus interfectum ſuſpenderat, Ora ex corticibus cauatis facta ſumebant, & oſcilla ex alta ſuſpendebant mollia pinu. ut Vergilianum uerſum aliqua, ex parte longiorem faciam. Aeſchylum uero Poëtam Tragicum certũ eſt ad actores ſeu recitatores Fabularum tranſtuliſſe, cum prius peruncti ora fecibus recitarent. quare Horatius in arte Poëtica, poſt hunc, Perſonæ pallæq; repertor honeſtæ Aeſchylus. Deinde non te latet ueram eſſe illam Ariſtotelis ſententiam in Elenchorum. libro 1. quod nomina finita ſunt, & uerborum multitudo, res aũt ſunt infinitæ. hoc uerum eſſe uidere licet ex multis quæ habemus homonymis, ut eſt lupus piſcis, lupus quadrupes animal, lupus uiri proprium, ſimul merula, canis, gallus, taurus, & alia id genus multa una uoce plures res ſignificantia. idem ex multis translatis & improprie ſumptis cognoſcere poſſumus, quorũ exempla ponere ſuperuacaneũ eſt. Poſtremo illud quoq; non te præterit primam & ueram ſubſtantiam eſſe rem indiuiduam, ut Socratem, Platonem: ſpecies uero & genera, ut hominem & animal eſſe quidem ſubſtantias, ſed nõ ueras & primas, ſed potius qualitates quaſdam prouenientes ex illis indiuiduis & primis ſubſtantijs. quare omnia appellatiua, id eſt, plura ſignificantia uni uoce ſunt lato modo qualitates: ſola uero ſubſtantia eſt, quæ indiuidua eſt. his ergo ſic habentibus ad rem redeamus. Perſona eſt, ut ante dixi, oris tegumentũ. & quoniam hiſtriones ſub illis perſonis, quas ſumebant, & uiros, & fœminas, & reges, & ſeruos, & diuites, & pauperes repræſentabãt, idcirco perſona metaphoricè ſeu per ſimilitudinem pro hominum qualitatibus ponitur. unde unum

hominem plures gerere perſonas dicimus,cũ plura officia,ſeu pluresſimilitudines agit,ut rectiſsime Laurentius Valla ſenſit, & tu non diffiteris. ſed quoniam ille negat non dici Latine Perſonam pro uiro, id eſt, ſubſtantia aliqua,ut tres perſonæ me expectant,& hic eſt bona perſona:& tu Ciceronis autoritatem obijciens, nonnihil dubitare uideris accipe meam ſuper hac re ſententiã,Ciceronis uerba, quæ à te obiecta ſunt,prima facie pro perſona ſubſtantiã indiuiduã uidetur ſignificare:uerũ ſi recte & tui acumine ingenij rem librare uolueris,inuenies perſonã in ea Ciceronis autoritate ſignificare qualitatem non ſubſtantiam indiuiduã ipſius Ciceronis. nã ſi ſubſtantiã ſignaret,nõ recte diceretur pſona Ciceronis. quoniã nõ aliter dictũ eſſet ac ſi diceremus Cicero Ciceronis: nemo aũt dicit Ciceronis de eadẽ ſubſtantia,quemadmodũ dicit Marcus Cicero,quoniã eadẽ eſt ſubſtantia.Quam ergo qualitatẽ,aut quid dicit Cicero cũ ſcribit pſona mea?tantum diceret autoritas,dignitas mea, conditio mea uel ſtatus: ut plebecula loqui ſolet.nónne ita uulgo dicere ſolemus? Reuerentia tua uenit ad me. ſolemus quidem: ſed reuerentia tamen non ſubſtantiam indiuiduam, id eſt, carnem tuam cum anima ſignificat, ſed qualitatem illam quam tibi doctrina tua ſingulari deferimus. colligamus ergo Vallenſem rectè de perſona ſenſiſſe, & Ciceronem nihil Vallenſi repugnare. Quare autem ſeu qua autoritate motus Boëtius bene de Philoſophia Latina meritus perſonam pro ſubſtantia poſuerit,ſi libellum illius quem contra Eutychen & Neſtoriũ ſcripſit legeris,cognoſces. in eo enim Græcos ſcriptores uidetur ſecutus, q̃ πρόσωπα,id eſt,perſonas inter diuina nomina uſurpant. & certe Baſilius in Sermone cõtra Sabellianũ,& Arcum: & in Sermone de Spirituſancto ſæpe perſonarum mentionem facit. utrum uero pro ſubſtãtia an pro alia re ,non eſt meum iudicare: ne ſupra crepidam,ut aiunt. illud tamen in excuſationẽ, ſeu Boëtij ſeu Theologorum Græcorum dicere poſſemus,quod cũ nomina ſint finita, & res infinitæ,ut ex Ariſtotelis ſententia ſcripſi ſupra,propter

hanc

*hanc nominū inopiam ſcriptoribus interdū abuſiue loqui cōceditur. quod non ſoli Grāmatici,ut Quintilianus,ut Diomedes: ſed & prudentißimi Iureconſulti annotauerunt. Marcelli Iureconſulti grauißimi uerba ponam, quæ 32. libro Digeſtorum inſerta ſunt, Non enim ( inquit ) in cauſa teſtamentorū ad definitionem uſque deſcendendum eſt, cum plerique abuſiue loquantur, nec proprijs nominibus ac uocabulis ſemper utantur. Vale iam & me, ut facis, ama. His commodum ſcriptis, uenit in manus meas Athanaſij Symbolum de Fide catholica. in quo non legi τοῦ προσώπου, id eſt, perſonæ factam mentionem, ſed ubi noſtra interpretatio repoſuit, non confundentes perſonas, Athanaſius ſcripſit ὑποστάσεις, id eſt, hypoſtaſes. & ubi nos dicimus, Alia eſt perſona patris: ille pro perſona dicit ὑπόστασις. hypoſtaſis autem ſubſiſtentia transfertur à quibuſdam, hoc eſt pro indiuidua ſubſtantia. uerum hæc iam omittamus. Et poſtquam Perſona huius noſtri ſermonis cauſa fuit, ſi audire ſeu legere non grauaris de Perſona, quandam meam dubitationem tibi uicißim referam, nec uerebor epiſtolarem modū excedere. quoniā inter amicos, nec breuitas ſermonis, nec prolixitas reprehēdenda eſt. Extat Ariſtotelis problema in eo capite, quod inſcribitur. De his quæ ſunt circa oculos, circa nares, & circa auditum huiuſmodi, Quare in dextram partem utrunque oculum conuertere poſſumus, & in ſiniſtram & ad naſum: alterum uero oculum in dextram. alterum in ſiniſtram ſimul: ſeu ſurſum. alterum deorſum. alterum ſimul non poſſumus. & in cauſæ expoſitione illa uerba ſubiūgit, ὅσαι δ' ἐπὶ ταὐτοῦ σημείου λάβωσι τὰς ὄψεις ἀδιάστροφοι μέν εἰσι, διαφέρουσι δ' ἀλλήλων. καί τοι κρύπτεται τοῦ μέλανός τι καὶ τοῖς ἄνω βάλλουσι τὰ λευκά, οἷον μελλεπίαρμοι, ἕτεροι δὲ εἰς τὸ πλάγιον, ὥσπερ οἱ μανικοί, οἱ δ' εἰς τοὺς μυκτῆρας ὥσπερ τὰ τραγικὰ πρόσωπα καὶ οἱ στρυφνοί. σύνεισι γὰρ τὸ βλέμμα. Theod. Gaza q habitus fuit noſtra tēpeſtate & Græce & Latine peritiſ in trāslatione illorū uerborū ὥσπερ τὰ τραγικὰ πρόσωπα,*

dicit ut tragicis laruis hominibusq́; acerbis ſeuerisq́;. ego hic dubito utrum Theodorus ſane interpretatus fuerit an non. quod ſane interpretatus fuerit, autoritas uiri facit, ut credam. nam illius doctrinæ excellentia potuit aliquid in Ariſtotele uidere, ad quod mei ingenij debilitas aſcendere nõ poteſt. quod exiſtimem illum erraſſe, non illud facit, quod laruam ab Horatio Poëta ſemel improprie dictam pro perſona, ipſe pro uſurpato poſuerit. hoc enim erratum facile illi concedo: ſed illud, quod neſcio quo modo perſonæ Tragœdorum, hoc eſt recitantium Tragœdias, uertant oculos ad nares, cum foramina quidem oculorum, oculos uero non habeant niſi ita illa foramina ficta eſſent & formata, ut qui perſonas illas inducerent oculos ad nares uertere uiderentur. illud aũt me nõ præterit perſonas Tragœdorum fuiſſe terribiles, & ex affectibus eorum quos repræſentabant formatas, ut uidetur in 11. libro. Quintilianus aſſerere. ego uero ut ſententiam meam tibi aperiam, exiſtimo Ariſtotelem pro tragica proſopa intellexiſſe facies hircinas, hoc eſt, hircorũ, qui oculos habent ad nares conuerſos. quod ego uidere uolui, & ita eſſe, ut Ariſtoteles dixit mihi uidere uiſus ſum. quod etiam Vergilius in Bucolico carmine affirmauit, Tranſuerſa tuentibus hircis. quamobrem te plurimum oro, ut quando tibi ocium datur, hanc rem trutinare uelis: & ſi pro Theodoro ſtandum putabis ego quoque idem faciam libenter: ſi pro me, tunc lætabundus meritò gloriari potero, ſi non ſanam interpretationẽ Ariſtoteli Latino reddidiſſe propter ueterẽ translationẽ & Aponenſis Cõmentatoris expoſitionem, quam poſt hanc meam ſententiam legi, & ea meeum ſentire uiſa eſt, ſaltem Vergilianum ſenſum ignotum Seruio, ignotum alijs multis Cõmentatoribus noſtræ tempeſtatis uiris eruditis expreſſiſſe. atqui res eſt hæc minima nec gloria digna. minimaſ quam Natura rerum parens fecit, quam Philoſophorum Græcorũ princeps animaduertit, quam Poëtarum Latinorum ſummus referre non erubuit, minimam dicis: at ego confido ſi recte ſenſiſſe, ſeu excogitaſſe iudicabor, uiros doctiſſi-

ctiſſimos hanc meam argutiam alijs autoritatibus approbaturos. raro enim accidere ſolet, ut quod ab uno dictum ſit, ab alijs ſcriptoribus, aut iiſdem, aut alijs uerbis non repetatur. quod ſi Theodorus & ego idem ſenſiſſe ex æquiuoco tibi uidebimur, ô qualem in riſum gloria mea deſinet. utcunque futurum ſit, iudicium tuum expecto. Vale.

FINIS.

# PHILIPPVS BEROALDVS Iunior, Hermæ Bentiuolo Principi clariſſimo Salutem.

MAgnum prouentum Poëtarum noſtra etiam ætas attulit Princeps Inclyte, neu credamus naturam progenitoribus noſtris parentem indulgentiorem, nobis uero nouercam triſtiorem extitiſſe. exemplo interim ſit unus & alter, Marullus, Codruſq; (aliquanto enim uerius de mortuis cenſura peragetur, quando nec adulatio illis adijcere, nec liuor detrahere quicquã poteſt) ille homo tranſmarinus noſtrates uerſu prouocauit, atq; in hoc ſtadio ita enituit, ut cum quolibet non ſuæ modo ætatis uati, ſed etiam antiquorum conferri poßit. Epigrammata ſcripſit quibus humanos affectus, mores, actioneſq; mirè cõplexus eſt: executus iucũda lepidè: grauia ſeuerè, mœſta flebiliter, taxanda mordaciter, grandia audacter, ſentẽtioſa ſapienter, omniaq; hæc pari ingenio: Hymnos uero primus apud Romanos, & eo quidem ſpiritu cõſcripſit, ut ab ipſis Dijs quos celebrauit quodam numine afflatus fuiſſe uideatur. At uero hic noſter Codrus numeros omnes eminentis Poëtæ adeptus eſt. Nam cum multa cõſummatus Poëta noſſe debet, tum hæc maxime, Heroicũ metrũ, Fabulam allegoricam, Hiſtoriã, & dictionũ quantitates. quæ omnia qui non tenent ἐποποιοί, id eſt, Verſificatores tantum nũcupantur. Nouimus aũt non ſtatim Poëtam eſſe, qui ſit Verſificator: Codrus certe

quiddam grādius ſonat, fabulatur lepidè, narrat diligēter, metitur ad normā. ſed & in omni fere carminuū genere ſummus deprehenditur. uideas iliū heroico ſublimius detonantē, Lyrico ſuauiter canētem, Elego & mœſte & amatoriè conquerentē, Epigrāmate nōnunquam laſciuientē, & ne lōgum faciam omnia proprijs, & propria omnibus reddentē. Non deſunt etiā ingenia uiuentiū, q ſi hos nō præcedunt, ſaltē exæquant. Poſſem multos in teſtimoniū adducere: uerū ne quā in ſpeciē adulationis incidā, diſſimulāter ꝑtranſibo, ſat per ſe noti ſunt, ſuomet præconio mōſtrabiles. fuerit nobis ſatis demōſtraſſe naturā non effœtā hāc in parte, ſicut nec in alijs neutiquā defeciſſe. Illud ſane ſilentio prætereundū non eſt, Codrū non uſquequaq; Poēmata hæc ſua emēdaſſe morte præuentum. indicio ſunt eius pugillares, in quibus multa quaſi à cogitante exarata ſunt. ita multa inducta & deleta ſunt. quo magis illi ueniā præſtandā cenſeo, ſi qd parū excoctū offendes. Tibi aūt potiſſimū Hermes Bentiuole Poëmata hæc Codri dedicare cōſtitui, gnarus factur ū me rem gratā Codri umbris, quæ ſcio geſtiūt ſi intelligunt paratū eſſe te ſibi patronū. quo nullus neq; maior neque melior excogitare poſſet. nam mihi uideris nomen Hermæ non tam nomine quàm rebus ipſis referre. cum enim ſis adoleſcens, ſenilē tamen prudentiā in obeundis Principalibus negotijs oſtentas, ita ut Bononienſiū ora in admiratione tui cōtrahas, ac pro certo ſit Bētiuolæ familiæ maximū eſſe te momentū, trāquillitatiſq;, qua urbs noſtra fruitur, autorem. Iudicauit hoc pridem clariſſima Vrſinorū familia, nobilitate, fortunis, & quod maximū eſt, uirtutibus in urbe Roma princeps, dum te affinitate ſua dignū putauit. Sed hæc hactenus. nec enim inſtituti noſtri eſt anguſtia epiſtolari laudes tuas cōplecti, quæ iuſtum uolumen ſibi depoſcunt. Habes igitur Poëmata Codri, quæ quia tibi dicata ſunt, magnam quidem accipient autoritatem. ſed etiā tibi ac Bentiuolis omnibus aliquid nominis apud poſteros ( ni fallor ) dabunt. Vale.

Anto-

# ANTONII CODRI VRCEI, SILVARVM LIBER PRIMVS.

## Ad Ioannem Bentiuolum Secundum, de Oſtentatione armorum.

*QVis nouus hic furor eſt, ſubito qui noſtra calore*
*Membra capit? maior ſolito, cur Phœbe minaris*
*Frena mihi ſæuasq; faces? Iam parce ſequenti*
*Quo me cunq; rapis. nil tecum ferre recuſo:*
*Seu me Caſtalia totum uis mergier unda,*
*Mergar, & arentes ſatiabo liquoribus artus:*
*Seu me criſtatis uolitare draconibus alto*
*Aëre præcipies, ipſum ſuperabo Chimæræ*
*Vaſtatorem equitem, & ſublimi Perſea monſtro.*
*Nec non ſi Stygias me iuſſeris ire ſub umbras,*
*Perſephonen Orciq; patrem Plutona feroci*
*Ore petam, ut Bacchum non dicas fortius iſſe*
*Aut Heracleis ſtatuit qui Cerberon oris.*
*Sed quid nam uideo? quis tantus pectora clamor*
*Noſtra ferit: quid uult ſibi tantus in urbe paratus*
*Felſineæ? cerno galeas conosq; micantes*
*Mille modis, gladios, chlamydes, ſaga, ſpicula, peltas,*
*Arma & equos. uideo florentes ære cateruas*
*Ire. præit quatiens immani robore pilum*
*Centurio, ſtringitq; nouis ueteranus in armis*
*Tironem, & canos iubet inſpectare Magiſtros.*
*Ordine pòſt alij pedites, equitesq; ſequuntur,*

Pars clypeos geſtant .hos umbræ lancea longæ
Armat,uos equites ferro pugnatis & arcu.
Interea horriſonis petit ærea machina bombis
Sydera reſpondentq; tubæ,reſonantq; propinqui
Montes,& pariter tellus,mare,ſydera clamant.
Hos inter ſua Bentiuolus quatit arma pudici
Oris Alexander,cui pulchram Gratia compſit
Cæſariem: pulchriſq; oculis afflauit amores
Cypris: & audenti ſummiſit pectore robur
Pallas,ut adducto contortum haſtile lacerto
Mitteret atq; feri foderet calcaribus armos.
Hunc ſequitur frater præclari nominis Hermes
Et puer & pulchris ſpectandus in armis.
Quales ſe geminæ ſub matris uertice quercus
Contollunt,cœloq; caput iam ferre uidentur.
Ecce autem morum ſplendor patriæq; Patronus
Bentiuolus Princeps medijs in milibus altus
Spumifero portatur equo,quem purpura ad imos
Fuſa pedes totum prætexens aurea ueſtit,
Munera Felſinei populi teſtantia amorem.
Hunc aurata præit cum pictis lancea flammis,
Et criſtis galeæ inſignes phryliſq; decoræ.
Quarum una ingenti fuerat quæ condita luxu,
Suſtinet in medio reſidentem pardalin igne.
Mox intertextis meritoq; & tempore uerbis
Ante ducem fertur ferrata cuſpide ſignum
Imperij,& donum felic s militiai.
Ipſe mutem forma & præſtanti corpore ductor
In cuius uultu bellum pacemq; uidere
Cuiq; licet populo,placet acclamatus ab omni.
Qualis Rex Macedûm poſt magni fracta tyranni

Agmi

*Agmina, proceſsit magno comitante tumultu.*
*Poſt aliiq; duces, quos iam ſibi pignore dulci*
*Bentiuolus Princeps generos aſciuit euntes*
*Exhortantur equos, aut duro calce fatigant.*
*Mille uiri uaria protecti corpora ueſte*
*Certant, his Scythicis illi ſplendere ſub armis*
*Auſoniis, adeo tot uerſicoloribus haſtis*
*Et ſcutis ueniunt, ut non ea cuncta tueri*
*Sufficiant oculi, nec uelox lingua referre.*
*Tales Cæſareas acies, & talia Gallis*
*Cæſa fuiſſe reor, cum pro ſe quiſq; micaret*
*Virgatis miles ſagulis. & talia quondam*
*Agmina per noſtros Galeatius anguiger agros*
*Duxit, dum extorres dux Colleo milite Tuſcos*
*Redderet in patria. Sed dic age Phœbe rogatus,*
*Quid petit hæc ſibi tanta hodie & tam ſplendida pompa*
*Armorum? quid nam illa ducis uexilla ſuperbi*
*Bentiuolo donata duci? bellum ne minantur*
*An pacem? iam iam uideo, cauſasq; latentes*
*Accipio, Superum noſco ſecreta Deorum.*
*Quæ fauet ingeniis magno generata tonante*
*Pallas præcipua eſt tam clari muneris autor,*
*Huius & æternæ pars prima & maxima famæ.*
*Hæc ſibi Bentiuolum primis aſſumpſit ab annis*
*Indole conſpecta pueri, ſignisq; notatis*
*Ingenii, per quæ prudens ſolertia creſcit,*
*Quem bello magnum faceret, quem pace uerendum.*
*Qualem ſub Troiæ Tydiden mœnibus altis*
*Aut Laërtiaden nunquam, Dea fortis Vlyxem*
*Deſeruit comes ingenii, comes atq; pericli.*
*Ille autem ſemper ſolerti lumine Diuam*

*Pallada ſuſpexit, coluitq́;, & numine Diuæ*
*Fultus reiecit longè noua crimina Martis*
*Dum ſereret circum miſeros Bellona tumultus,*
*Et ſibi Pontifices, Reges, populosq́; propinquos*
*Concilians opibus, uerbis, & amatus ab omni*
*Italia, Latios tranquilla pace colonos*
*Seruauit patriæq́; & libertatis amator.*
*Huius magna fides cauſa eſt, ut ſtirpe domoq́;*
*Scriptus Aragonia fuerit, ſortitus ab ipſo*
*Sphorciade pridem notum cognomen in orbe.*
*Magna etiam ducis eſt huius ſuccurrere feſſis*
*Principibus pietas, & prompto pectore uirtus.*
*Nam dum clauſiſſet Galeotus, Principe ſecum*
*Ordelapho ueniente, ſuum ſine robore fratrem*
*Arce Fauentina, nec ſpes opis ulla daretur*
*Obſeſſo: tum Bentiuole rem Carolus omnem*
*Commiſit fidei, ſeq́; & ſua pignora natos.*
*Quo duce captiuis tutus diſceſſit ab agris.*
*Nec non cum fleret crudeli funere fratrem*
*Occiſum Medices Laurentius, omnia promptus*
*Auxilia, & quicquid populoſa Bononia poſſet,*
*Mitis Ioannes produxit. at inde ſuperbus*
*Nonnihil Herculeam dum curreret hoſtis ad urbem*
*Hadriaci armatus protexit ab ore leonis,*
*Opponens clypeos clypeis atq; enſibus enſes.*
*Et tibi iam puero lugenti, ac cuncta pauenti*
*Profuit Octaui multum, cum fortibus armis*
*Expulit urbe, tui maculatos ſanguine patris.*
*Quid dicam quali (nam magnis ſæpe parantur*
*Inſidiæ ducibus) fortunæ tela retorſit*
*Ingenio aut clypeo? cautus uitare latentes*

Ipſe

*Ipſe dolos, fortisq́; etiam ſi fata negarint*
*Credere, læto animo quæcunq; pericula ferre.*
*Præterea uigil eſt huius prudentia multum*
*Principis, & meritò. nam totam ſtertere noctem*
*Qui populos urbesq́; regit, deforme putatur.*
*Tanta igitur uirtute ducis Tritonia uirgo*
*Mota è uerticibus ſummi defertur Olympi,*
*Et Regem anguigerum ſecreta in ſede mouentem*
*Res Italas ſecum compellat uocibus iſtis:*
*Maxime Dux, multo quem dulcis gloria belli*
*Maiorem faciet, modo ſit Tritonia tecum,*
*Non tibi mille acies, non deſunt mille talenta,*
*Non urbes opibus ualidæ ferroq́; potentes,*
*Si bellare paras, ſiue omnem pace tenere*
*Italiam, prudens opus eſt tibi ductor. ego illum*
*Nunc tibi proponam, quo non prudentior alter*
*Viuit in Heſperia. quantum prudentia bello*
*Poßit, adhuc meminit Mauors me tendere contrà,*
*Auſus & è longo iacularier Aegida telo.*
*Illum ego ſublato percuſſum marmore terræ*
*Explicui & multo turpaui puluere crines.*
*Hic eſt Bentiuola natus de ſtirpe Secundus*
*Mitis Ioannes, & aui cognomine Magni*
*Sforcia iam dictus. quo tu duce, & arma gerente*
*Victor eris: ſi pace tamen gaudere quietus*
*Malueris, poterit ſecuram tradere pacem.*
*Hic utroq; ualet. gentes habet ipſe feroces*
*Aſſuetas pluuijs cunctisq́; laboribus, & quæ*
*Non tantum maria & terras perrumpere: uerum*
*Quæ cœlo pugnare queant. hunc Pallade dextra*
*Qui tuus eſt, ſemperq́; fuit præpone merentem*

*Iam caſtris Dux ſumme tuis, duplicaq; laborum*
*Præmia, & imperij uexillum mitte potentis*
*Seruatamq; extolle fidem. ſic dixit: at illi*
*Sfortiades paucis reſpondit uocibus heros.*
*Armipotens Dea magna, tibi quæ ſacra parabo?*
*Quæ tibi dona feram meritis pro talibus? ut quæ*
*Obtuleris mihi te tam clara luce uidendam,*
*Conſilioq; tuo curas abſterſeris omnes*
*Mente mea? quæ me diuerſum, & multa putantem*
*Ac ſuper imperio meditantem hinc inde trahebant.*
*Quem mihi ductorem belli paciſq; peritum*
*Proponis? (dignus lauro eſt) cupioq; uoloq;*
*Præceptis parere tuis. ſic fatus: at illa*
*Protinus ad doctam Rheni ſe tranſtulit urbem,*
*Atq; Antoniaden dictis heroa petiuit.*
*Bentiuole ex animo nobis dilecte, parumper*
*Pone alias curas, operamq; impende Mineruæ.*
*Agnoſcis'ne Deam? quæ te iam ſumpſit ab annis*
*Mollibus, & multo te fecit numine plenum:*
*Pallas ego ingenijs ſoleo quæ ſemper adeſſe,*
*Te uirtute tua maiorem reddere nitor,*
*Et faciam. quando Iouis eſt mihi prona uoluntas.*
*Anguigero nuper Regi tibi tradere primam*
*Militiæ partem perſuaſi: fortia dona*
*Accipito lætus, diuiſq; ex more litatis,*
*Cum natis generiſq; tuis, ut cuncta iubeto*
*Agmina eant tecum, ſeſeq; oſtendat in armis*
*Quiſq; ſuis miles, Latium miretur ut omne*
*Bentiuolo accipiens tantum ſub principe robur.*
*Sic ait, atq; ducem medio ſermone reliquit.*
*Et procul patrias uelox ſe ſuſtulit arces.*

*Ille Deam læto Glaucopida corde ſalutat,*
*Expectans promiſſa animo non uilia magno.*
*Paruit exemplo Dux anguiger, & ſua miſit*
*Bentiuolo uexilla Duci. quibus ille receptis*
*Reddidit Aethereo primum ſua ſacra tonanti*
*More ſuo Patrij ueneratus numinis aras.*
*Et mox per magnam ſecum circuntulit Vrbem*
*Inſtructas acies populo gaudente, ſuosq́;*
*Contemplante duces patrem natosq́; benignis*
*Perſimiles Diuis. animorum gaudia uates*
*Quis numerare queat? uel tantum æquare canendo?*
*Talia gramineo ſpectauit Equiria campo*
*Roma uetus, lætas fundens ad ſidera uoces.*
*Iam furor omnis abit, uatemq́; relinquit Apollo:*
*Nec cantare ualet mea mens, nec ſcribere plura.*
*Ergo age magnanime ô Princeps, nunc adijce factis*
*Maxima facta, tuamq́; domum per ſæcula cuncta*
*Extendas uirtute tua famamq́; per orbem,*
*Vt tibi præſenti diuinos reddere honores*
*Pro meritis, quod iam facimus, cœloq́; locare*
*Aeternum nomenq́; tuum laudesq́; queamus.*

## Contentio Marti & Pacis Deæ ſuper Hanniba le Bentiuolo. Mars alloquitur Hannibalem.

*MAgne uirûm Princeps, dulcis quem gloria belli*
*Maiorem faciet, ſummo deſcendit Olimpo*
*Mars tuus, armorum ut totas tibi tradat habenas:*
*Si frenare libet Saturnia regna, uel extra*
*Imperium proferre tuum, uictisq́; Sabæis*

*Addere Gallæcos. etiam non digno ſedes*
*Natales. tranſcurre Getas celer ipſe feroces*
*Grata mihi facture, tuo qui ſemper honori*
*Et faui, & donec reſtabunt arma fauebo.*
*Quippe mihi hæc de te cecinerunt fata ſorores*
*Lanificæ, primis cum te tua ſedula mater*
*Suſtulit à cunis: Puer hic uirtute ſuoq;*
*Ingenio ex imis paulatim aſcendit ad alta.*
*Sed cum iam fortes ætas intrauerit annos*
*Mars erit iſte tuus, Romanam protinus urbem*
*Ornabit, belloq; potens maiora parabit.*
*Spectatum iam tempus adeſt, iam fortibus armis*
*En habiles ueniunt anni, me reſpice, per me*
*Pompeio maior fies, & Cæſare maior.*
*Hoc quoq;, qui Pharijs urbem fundauit arenis*
*Quid dubitas: an te Pax hæc ignaua moratur?*
*Quæ quamuis per me toto pellatur ab orbe,*
*Me ſequitur tamen, & ſcelerata reponere quærit.*
*An tibi par uideor, cui decertare labores*
*O bona Pax, populos quos tu complecteris omnes*
*In luxum labemq; trahens? an ſcilicet iſtis*
*Obſiſtent armis, cum molli ignauia ſomno*
*Blanditiæq; leues & amantes ocia nugæ?*
*Tu caue, cui populos fas eſt frenare feroces,*
*Ne te Rhetoricis ſeducat ad ocia uerbis,*
*Ne tibi ſexcentos melius cumulare Philippos.*
*Ac unctis cœnare epulis, & ſtertere tutum*
*Suadeat, horriferis quam te uigilare ſub armis*
*Hoſtibus oppoſitum & patientem tela, ſitimq;*
*Atq; famem. Mars non didicit ſuadere: colores*
*Martis, equi clypeiq;, & acutæ cuſpidis haſta*

*Arma*

*Armataq; manu uerum monſtrare neganti.*
*Sed tamen hoc certum eſt, luxum pacemq; beatas*
*Deſtruxiſſe urbes, pro multis una probatum*
*Exemplum tibi Roma dabit, quæ uoce Catonis*
*Deleta prorſus Carthagine, nobile mundi*
*Deſijt eſſe caput: quod ſi Mauortia ſemper*
*Arma eſſent populis utriſq; agitata, uideres*
*Vincere Romanos orbem, rerumq; potiri.*
*Præterea ſacris totum tractarier orbem*
*Legibus aut pactis. mihi non Pax ipſa negabit.*
*At ſi quis nolit temerarius, impius, exlex*
*Iuſticiæ dare ſe, nec pactum reddere cenſum:*
*Quis coget? quis colla iugo manſueta ligabit?*
*Nempe arma: arma ſuo cogunt ſe quenq; tenere*
*Fine, nec alterius iuſtos ſorbere labores.*
*Hoc multi, ſed præcipue ſenſere bilingues*
*Sidonij, noſtris auſi ter fœdere rupto*
*Arma armis conferre. uides Dux inclyte quantum*
*Nunc quoq; ſit tumidas gentes frenare neceſſe.*
*Quippe ubi ſe dominum rerum miſeriq; clientis*
*Fecerit uſuris finem non ponit auarus.*
*Hic non æra miſer, nec equos, nec tela, nec arma*
*Miles habet, quondam phaleris & torquibus aureis*
*Suetus in hoſtilem armatus procurrere campum.*
*Prò pudor, hic totus (uolumus ſi uera fateri)*
*Mundus auariciæ regnum eſt: ea ſola gubernat*
*Cum Ducibus Reges, ſola hæc Regina uocatur.*
*Sed durare diu nequeunt malefacta neceſſum eſt*
*Detur auariciæ rabies prouincia Marti.*
*Quare age Dux ſapiens ignauam reijce Pacem*
*Meq; animo totum complectere. ſpes mihi certa eſt,*

Romu-

*Romuleæ quicquid ſurreptum eſt reddere genti.*
*Sed labor & ſudor mortiſq; pericla minantur.*
*Confiteor.non ergo mori contingit in ipſa*
*Pace? meus Cæſar,multiq; à Cæſare norunt,*
*Quantum Pax nocuit uitæ:ſed fata timere*
*Turpe uiro forti.certe nil pulchrius eſt quam*
*Aeternam bellis moriendo acquirere uitam.*
*Quo ſibi magnanimi titulum qui uendicat? audet*
*Ni pro laude ſua uenienti occurrere fato?*
*Quid fecere boni Decij? quid nobilis ille*
*Curtius, & Codri paucis incognita uirtus?*
*Nempe ſibi peperere etiam poſt ſecula nomen.*
*Sed tu tutus eris dextro Ioue natus,& inter*
*Innumeras ibis me defenſore ſagittas.*
*Tu modo quam ſortem tribuit Deus arripe,& arma*
*Militibus diſperge tuis.tua nomina clamant.*
*Non audis? te non aliud quàm bella precantur.*
*Nunquid deeſſe tibi ſentis? quid? cuncta recenſe*
*Es grauis argento,grauis auro,conſilioq;*
*Arteq; bellandi præſtas,iuuenilibus annis*
*Lætus es,& diuum portas in bella fauorem.*
*Flos tecum Italiæ eſt duris aſſuetus in armis*
*Miles,Legatus Quæſtorq;, equitumq; Magiſter,*
*Centurio,& ualidæ complent tua caſtra cohortes.*
*Ducito per montes Italos,per fœta procellis*
*Aequora, per ſiccam Libyen,ad rura Syenes,*
*Ad Meroën Niliq; caput te quiſq; ſequetur:*
*Flectere ſi libeat curſum Nabatæaq; regna,*
*Et Scythicum tranſire gelu,uel ad uſq; Britannos*
*Tendere iter miles nullus tua ſigna relinquet.*
*Cumq; alij Reges armis timeantur,habebis*

*Hoc*

*Hoc proprium, quod te populus tibi uictus amabit*
*Gaudebitq; Duci iuſto parere, rapinas*
*Damnati, & nulli populo ſua iura neganti.*
*Tunc quoq; ab iniuſtis tellus releuata tyrannis*
*Omnia fertilius nullo cogente creabit.*
*Surge age, quid dubitas? Mauors iubet ille potentes*
*Qui ſternit Reges, & totum territat orbem:*
*Quo duce nomen habent humili de plebe Quirites,*
*Tot populi uicina premunt confinia, totq;*
*Induperatores ponunt ſub legibus orbem.*
*Gloria quanta tibi dabitur clariſsime Ductor?*
*Quantus honor? cum læta tuos Victoria poſtes*
*Captiuis opibus clypeis curuisq; carinis*
*Ornabit? cum te uiridanti ſcandere lauro*
*Roma triumphantem Capitolia celſa uidebit?*
*Et ne quis paribus tibi congrediatur in armis,*
*Accipe Vulcani manibus thoraca politum,*
*Et galeam rubra minitantem uulnera criſta,*
*Accipe equos currusq; meos. hic Dimos, & ille*
*Eſt Phobos, Ira, Furor, Cædes, Diſcordia, uosq;*
*Ite alij comites bellorum, tradere ſummam*
*Huic placuit. currus impellite. iamq; per omnem*
*Teſſera ſpargatur campum. non fallor: habebis*
*His ſocijs celerem Dux ô metuende triumphum.*

Pax.

*NE moueare precor Dux prudētiſsime, donec*
*Audieris quæcunq; refert, quæcunq; refellit*
*Pax populis optata quies. primum mihi per te*
*Sit tutum quæcunq; loqui. Mars iſte cruentus*
*Ne noceat primo ſuctus crudeſcere morbo.*
*Me uocat ignauam Mauors fortiſsimus in quem*

*Tydides ualida diſtrinxit uulnera dextra,*
*Qui putat eſſe pium( prò mens ignara) laborem,*
*Sanguineam monſtrare manum, populiq́; ſubacti*
*Colla ſuper tranſire, grauem uel ducere currum*
*Qualis per Pharias gentes fuit ille Seſoſtris.*
*Quid mihi Romanos memoras? quid Cæſaris arma?*
*Cui plus dedecoris tribuit rabioſa poteſtas*
*Quàm laudis. qui ſi mentem uertiſſet ab armis*
*Ad nos, Theſſalicis nunquam cœnaſſet in agris*
*Inter Romanæ miſeranda cadauera gentis*
*Nunquam Pompeia fallax ſe cæde Pothinus*
*Iactaſſet, fortes & Cæſaris arma ſecutus.*
*Hei mihi non poſſem, nec fas eſt dicere quanta*
*Tarquini campum maculauit Sylla cruore,*
*Et quantum Marius, quantum ciuilia bella*
*Fuderunt. Tabulas, proſcriptaq́; nomina, cædes,*
*Vulnera, ſtupra, dolos, ignes, domuumq́; ruinas*
*Cum laribus ſtatuiſq́; Deûm labentia templa*
*Quis lachrimet ſatis? ô Martis ſcelerata cupido*
*Et cædis ueſanus amor, natura parauit*
*Nil homini melius, nil manſuetudine maius:*
*Et tamen hunc illum ritu lacerare ferarum*
*Gradiuo placet, atq; epulas guſtare neſandas.*
*O quantum uitæ iocundum lumen, at ipſe*
*Mars dulces animas miſeris mortalibus aufert.*
*Deniq; nulla fides armatis nulla Deorum*
*Relligio, nulluſq́; pudor qui, caſtra ſequuntur.*
*Et quia me pulſam memorat, neſcire uidetur*
*Si noſtra cecidiſſe manu, cum templa Bifrontis*
*Ter mihi clauſa Dei, centum uinxiſſe catenis*
*Terrorem mundi, & uertentem cuncta recordor.*

Non

*Non fuit hic luxus, non ocia mollia, non quæ*
*Obijcit iſte mihi, dicam licet ipſe minetur*
*De populis Mauors: ſed Pax de Marte triumphat.*
*Ocia ſi perdunt urbes & regna, quid ad me?*
*Quæ mea culpa manet? non ocia mollia nobis*
*Sunt comites, non luxuriæ mala ſemina: uerum*
*Relligio, ſanctusq; pudor, legesq; ſacratæ.*
*Si tam pulſa feror, cur me coluere Quirites?*
*Romulea ſtatuit cur templum Pacis in Vrbe*
*Flauius è Solymo rediit qui puluere uictor?*
*Si neſcis, ego prima fui, cum conderet orbem*
*Terrarum cœliq; parens: quo tempore rebus*
*Semina diſtribuit naſcentibus omnia cœlum:*
*Aurea Saturnum memorant quo tempore ſecla*
*Pacificis feciſſe uiris. O tempora læta,*
*O populis optata quies, niſi bella uetarent,*
*Longius & nullo carpenti uiſcera uoto*
*Spiraret mortale genus, diſcordia uitæ*
*Cauſa breuis, mortemq; bonis diſcordia ſæpe*
*Regibus & populis affert dulciſsima rerum.*
*Libertas ſic ſæpe perit. Quæ gaudia? quos'ue*
*Enumeras per te fieri Gradiue triumphos?*
*An'ne putas, quod fulgenti cingimur enſe*
*Nos neſcire loqui? falſisq; reponere uera?*
*Scilicet ignarusq; tui rerumq; tuarum*
*Paci uerba dabis? quæ ſemper floruit almis*
*Gymnaſijs, mouitq; capax quæcunq; ſub aſtris*
*Mundus habet, ſupraq; etiam ſi dicere fas eſt.*
*Ergo ſi quis habet dextra uictrice triumphum,*
*Autor ſolus eris? nullam uictoris partem,*
*Nullum Conſilium, nullam Fortuna tenebit?*

*Et nihil in tantis numerabitur inclyta Virtus*
*Muneribus, Mauors communis miſcet utraſq;*
*Hinc atq; hinc acies. dat Virtus ipſa triumphum.*
*Quod ſi quis recta penſat ratione, triumphi*
*Pax erit una datrix. nam ſi mens turbida ſolo*
*Marte tumens fuerit, ſolo'ue furore referta*
*In præceps ruet, atq; hoſti ſe Pace regenti*
*Terga dabit. ſed iam Marti ſatis iſta ſuperq;*
*Reſpondi:* Redeo nunc ad te, ô maxime Princeps,
*Et paucis tibi nota uelim diſcrimina mundi*
*Eſſe, quibus facile eſt tibi ſaltem obſtare uolenti.*
*Non Libycæ gentis clades, non Parthica damna,*
*Non quæ ciuiles ſtrauerunt corpora dextræ*
*Nec mihi Gotthorum uacat enumerare ruinas,*
*Quas ſentimus adhuc: noua ſunt ploranda uel hoſti*
*Quæ uidiſſe potes, cum multo ſanguine fuſo*
*Gens fera Turchorum Byzantia regna ſubegit,*
*Illyriumq; ferox, & te quoq; Meſia ad oras*
*Italiæ penetrans, uiuum ſorbere cruorem*
*Et uiuam lacerare animam per mille parata*
*Vulnera, non templis parcens non matribus ullis,*
*Non ſenibus, pueris'ue ullis, rudibus'ue puellis.*
*Quis ſcelerum formas ſatis, aut quis nomina poſſet*
*Scribere? dicta mihi nondum milleſima pars eſt.*
*Hic Aſiæ abſorptas gentes, hic Cimbrica fata*
*Prætereo, & clades Italas, Italoſq; tumultus.*
*Dic ubi Cæſarea natus de gente domoq;*
*Cardineus deficit honos? qui primus in hoſtes*
*Miſſus, Pannonijs uitam exalauit in oris:*
*Dic qua Bertoldus, dic qua Brunorius, & qua*
*Morte duces alij perierunt? hei mihi quiſnam*

*Milia tot procerum rapuit? quæ nempe capaces*
*Quinquaginta urbes poſſent complere? profecto*
*Humani generis Mauors homicida cruentus*
*Hæc dedit, hi pulchri reditus, pulchríue triumphi?*
*Hac igitur rabie bellorum cernimus urbes*
*Iam uacuas, agros etiam cultoribus ipſis*
*Deſertos, ubi templa Deûm pretioſa fuere,*
*Nunc rubus, & denſi dominantur in aggere uepres.*
*Et niſi maieſtas Veneti reuerenda Senatus*
*Conſilioq; armisq; ſuis pro Pace ſtetiſſet,*
*Vix Latij nomen reſtaret: at impius iſte*
*Italiæ populos accendit nuper ad arma,*
*Arma illis ſubicit, belli cædisq; furorem,*
*Vindictamq; probat. cui ſi non pectore toto*
*Et manibus pedibusq; tuis Rex inclyte Regum*
*Obſiſtatur, erit de cunctis gentibus actum.*
*Quare age tu totam Princeps ô maxime Pacem*
*Complexare. nihil tibi Pax iubet, imò precatur*
*Seq; tuæ fidei ſupplex cōmendat. honeſtum eſt*
*Quod petit illa, potes: poſtquam te gratia ſummi*
*Cœlicolûm tanto rerum decorauit honore.*
*Iam ualidas urbes Princeps iuſtiſſimus unus*
*Summa pace tenes, & plures pace tenebis*
*Quàm bello. fama Pacis morumq; tuorum*
*Confugient ad te populi tua ſceptra uolentes,*
*Confugient iuriſconſulti turba uerenda,*
*Arma inter quorum leges & iura ſilebant.*
*Non ego te ſegni ſuadebo tradere ſomno,*
*Non putri luxu, aut epulis marcere ſolutis:*
*Quod uirtute tua peragas, quid mente retractes*
*Pax habet. ecce tuum eſt uacuas ſarcire ruinas*

*Vrbis & inſtantes caſus fulcire Deorum*
*Reddere iūra foro, Virtuti præmia; ſtultis*
*Pœnas, & uitam ſupponere legibus omnem.*
*Sic creſcent artes, ſic fiet terra colonis*
*Fertilior, ciues gaudebunt ciuibus, omnes*
*Concordes, creſcent conſanguinitate propinqui:*
*Tu quoq; cum terras poſt ſæcula multa relinques,*
*Ante Iouem ſtabis flaua redimitus oliua,*
*Inuiſus tantum Marti, laudatus ab omni*
*Diuorum cœtu. ſed nec tibi terra negabit*
*Aeternos, & qui Paci redduntur honores.*
*Sed templis iungēre meis, quotienſq; uocabor,*
*Tu totiens aderis Paciſq; uocabere Princeps.*

Hannibalis Reſponſum.

*Non tali titulo, nec tanto dignus honore*
*Veſter erat, celeres ad quem ueniſtis alumnus*
*Rectores mundi, cœleſti ſede relicta.*
*Nec ueſtro æquales, ſi reſpondere uelimus,*
*Eloquio ſumus. & quia nos breuitatis honeſtæ*
*Cultores, ideo pro re nunc pauca loquemur.*
*Magna quidem pro parte ſua narrauit uterq;,*
*Non leuiter penſanda tamen. quam ſemper habebo*
*Ipſe meam mentem uobis, aduertite, pandam.*
*Te Gradiue potens non odi, claßica quando*
*Iuſta moues, populoſq; ruis domitare rebelles:*
*Sed tamen inuentrix rerum cuſtoſq; uidetur*
*Pax potior meliorq; mihi, quam propter ad arma*
*Sæpe ſuperba uiri coëunt, certantq; furentes,*
*Cuilibet ut liceat ſecuros carpere ſomnos,*
*Et requie regnare domi. quam numina ſummum*
*Eſſe bonum uoluere pijs mortalibus, ergo*

*Poſtquam*

*Poſtquam me ſummo Patri cœleſtibus armis*
*Eſſe ducem placuit, ſi quis male ſanus & excors,*
*Et tumidus ſacris iuſſis parere negabit*
*Illum ego per terras, illum per cerula ſtagna*
*Perſequar, & mitem faciam uictricibus armis.*
*Sin uere requie placida ſe quiſq; modeſtus*
*Rexerit atq; Patri ſummo donabit honores,*
*Ille mihi charus per me ſine more togatum*
*Spectabit ſumma tractarier omnia Pace.*
*Hæc ſunt, quæ paucis dixi. ſacra Numina noſtram*
*Mentem animo rogo uos, ne ſuſcipiatis iniquo.*
*Nam breuia effinxit, ſed libera uerba loquentem*
*Me natura potens & ueri ſemper amicum.*

## De Renouatione Bononiæ.

*THuſca quæ quondam fuit, & colonis*
*Aucta poſt Thuſcos profugos Latinis*
*Vrbs uetus, magnæ noua nunc reſurgit*
*Aemula Romæ.*
*Ante quæ rugis fuerat ſituq;*
*Plena ſuſtentans baculo ſenectam,*
*Pulchra nunc pandit, renouatq; fortem*
*Felſina uultum.*
*Sic ſui campis redeunt honores*
*Vere dum ſpirant Zephyri tepentes.*
*Sic ſuos fertur reparare mitis*
*Cynthia uultus*
*Sic & Auguſtus ueterem refecit*
*Patriam: ſic populo Quirini*
*Reddidit Cæſar prius occupatam*
*Flauius urbem.*

*Iam licet latis ſpacijs uiarum*
*Obuios currus,equites,equosq́;*
*Ire: nec ſtrictis iter ang'portis*
*Carpere durum.*
*Nullus hinc diras metuere ruinas*
*Nullus & cœni putridos odores.*
*Cuncta iam lucent ualidisq́; ſurgunt*
*Tecta columnis*
*Vnde tam lætos recipit paratus*
*Vrbs comis dudum uenerandæ canis?*
*Si pius ueſtros colui receſſus*
*Dicite Muſæ.*
*An nouus mundi redijt Platonis*
*Annus: & quicquid fuerat,peractis*
*Omnibus cœli ſpacijs refertur*
*Ad rude corpus?*
*An magis cernens patriæ patronum*
*Aureum nobis reuocare ſæclum,*
*Nititur Regi ſimilis nitere*
*Bentiuolco?*
*Codre te præter dubitat Poëta*
*Nemo,qui ſacras Heliconis undas*
*Ebibit: ſeu qui uiridante cinxit*
*Tempora lauro.*
*Hannibal magni noua cura patris,*
*Spes & audentis populi ſecunda*
*Iam parat ſacris hymenæa dulcem*
*Iungere fulcris.*
*Iam lupi promit noua nupta pingue,*
*Flammeum Nymphæ,Charites pudici*
*Pectoris zonam,reficitq́; currum*
*Pronuba Iuno*

# Ad Galeatium Bentiuolum de imagine Codri.

*Ditibus in thalamis quos tu clariſsime Princeps*
*Ornaſti uiuis nuper imaginibus,*
*Me quoque iuſsiſti ſapientum uiuere cœtu*
*Et meditabundo dicta notare ſtatu.*
*Me noſcunt, plauduntq́; mihi quicunq; tuentur,*
*Inuentumq́; probant uir memorandæ tuum.*
*Aſt ego quid contrà faciam? quæ dona rependam?*
*Quod dignum tanto munere munus erit?*
*Si uatum nunquam pereunt monumenta piorum,*
*Si rapiunt Stygia, quos uoluere domo.*
*Tu quoq; de noſtris ſemper cantabere chartis,*
*Deq́; meo ſemper carmine uiuus eris.*
*Bentiuolus mihi carmen erit Galeatius ille,*
*Cui ſimilem non fert Auſonis ora uirum.*
*Per mea te noſcent brachati carmina Medi*
*Per mea te noſcet carmina ſuris tiber.*
*Et Notus & Boreas gaudebunt nomina tanti*
*Principis in populos miſſa fuiſſe ſuos.*
*Mille canes alij quærunt, totidemq́; biformes*
*Mulas, tu claros quæris habere uiros:*
*Quæſitos & habes, & ſcis retinere paratos*
*Muneribusq́; tuis, ingenioq́; tuo.*
*Ille inhiat gemmas, atq; auro congerit aurum*
*Pauper, & aſsiduo ſtat uigil uſque metu.*
*Tu tua firma locas in amicis horrea fidis,*
*Atq; tuas illos eſſe fateris opes:*
*Tu ſequeris prudens hominum ueſtigia, at ille*
*Stultus de ſtulto carpere diſcit iter.*
*Nil igitur mirum ſi ſe fratresq́; paterq́;*

*Laudant, & de te gaudia magna ferunt.*
*Nec mirum, ſi præcipuè te ſtipat euntem,*
*Qui ualet arte aliqua, qui ualet ingenio.*
*Tu certe tanquam ſis funis Homericus ille*
*Aureus è cœlo miſſus in arua nites:*
*Aut tanquam Phœbo cum deſcendente, coruſcum*
*Heſperus ardenti ſpargit ab ore iubar.*
*Obruitur Codrus tanto clariſsime Princeps*
*Splendore, & cæco lumine tentat iter.*
*Aut Iouis, aut Phœbi rutilantis lumen habendum eſt*
*Codre, tui ſi uis cernere facta Ducis:.*
*Aut alio flectenda acies, ne more uolantis*
*Pyrauſtæ in magnam lampada forte ruas.*

## Sylua ad Ioannem Bentiuolũ ſuper menſam recitata.

*ANnua iam totiens celebrat conuiuia Princeps*
*Bentiuolus, ciuesq; ſuos ludisq; iocisq;*
*Exhilarat lætus, læta conſpectus ab Vrbe*
*Et tu Codre taces? tecumq; hæc gaudia tanta*
*Concepiſſe potes, nulloq; expromere cantu?*
*Ah pudeat Vatem egregium ſiluiſſe tot annos,*
*Nec meminiſſe unquam tantorum feſta dierum.*
*Callimachum modo miraris Dictæa canentem*
*Antra Iouis, Phœbiq; comas, & tela ſororis,*
*Quæ ſibi cornigeras gaudet ſubiungere ceruas:*
*Nunc ueteres faſtos & cœli ſidera tractas*
*Matutina oculis, an ueſpertina uideri*
*Illa tuis poßint: errantem diſcis Vlyxem*
*Et Cererem, magnoq; tibi ſudore notatur,*

Quæ

*Quæ freta quas terras luſtrauerit Inachione.*
*Cætera de genere hoc taceo, quæ nota. quid ad te?*
*Quam tandem famam poſſunt præſtare laborum*
*Tantorum, aut inopi fructum præbere ſenectæ?*
*Huc demum conuerte oculos? huc dirige mentem,*
*Ingeniumq́; tuum: regali ſplendida luxu*
*Atria nónne uides? non maxima pondera menſis*
*Argenti atq; auri, non quæ ſit copia rerum*
*Cernis Amalthæo, quam deducere cornu*
*Paucis poſſe datum eſt, felici uel Ioue natis.*
*Verum alij mirentur opes, mirentur & aurum,*
*Tu mirare uiros, quorum uirtute fuerunt*
*Iſta parata domi. quid enim pretioſa ſupellex?*
*Quid gēmæ? quid ebur? quid deniq; fulgeat aurum*
*Arte ſua, niſi uir uarios producat in uſus.*
*Solus homo tot templa, dies, tot condidit urbes*
*Ipſe ſibi, & ſacris muniuit legibus illas:*
*Solus homo erexit ſeptem ſpectacula mundi,*
*Solus homo agrorum cultus, totq́; arma, tot artes*
*Repperit, & nouit, quicquid natura creauit.*
*Ille igitur mirandus erit, præq́; omnibus unus*
*Terrarum dominus cœlo tollendus & aſtris,*
*Præcipue ingenio præſtans maiore, tumultum*
*Qui ualet hoſtilem forti propellere dextra,*
*Et dulcem patriam tranquilla pace tuetur:*
*Quales iam multos antiquum protulit æuum,*
*Et noſtri uidere patres, nec deficit ætas*
*Noſtra uiros priſcis aliquot quin proferat æquos.*
*In primiſq́; licet, mihi ſit fas uera referre,*
*Bentiuolum ſpectare Ducem, quem tota ueretur*
*Felſina, cui primæ merito dat ſedis honores,*

*Et Libertatis patrem, patremq́; Senatus*
*Nuncupat. huic Phœbus non eſt ſatis, huic neq; tota*
*Pieridum ſacrata cohors expromere laudes,*
*Quas meruit, quas nuper adhuc meruiſſe laborat.*
*Nam ſi colligeres, teneris quæ geßit ab annis*
*Penè puer, docta munitus Pallade, magnum*
*Surgat opus, ſi rurſus eas per fortia Martis*
*Arma, quibus ſæpe eſt populos tutatus, & urbes*
*Vicinas, alius tibi rerum ſurgeret ordo*
*Maior, & in portum nunquam tua uela redirent.*
*Hunc igitur merito Dux Sphortia ſtirpe domoq́;*
*Prouidus Anguigera decorauit, cum prius idem*
*Ille tamen traheret pulchra de matre ſuperbum*
*Nomen, & Inſubris cognomina magna Philippi.*
*Aemulus huic facto Rex Ferdinandus in armis.*
*Fortis, & Auſonia quondam metuendus in ora*
*Fecit idem, generiq́; ſuo conſcripſit auito,*
*Quod tulit altorum nutrix Hiſpania Regum.*
*Nec non ille Leo Hadriacus terraq́; mariq́;*
*Multa potens huius gaudet prudentia facta*
*Patricijs numeraſſe ſuis, & in agmine tanto*
*Hunc feciſſe ſuum. memorem quid plura? quis autem*
*Neſcit ut ille ſuis hunc magno robore Mauors*
*Conſilio dextraq́; potens aſciuerit armis?*
*Quis neſcit quanto nuper dignatus honore eſt*
*Hunc ipſum Cæſar, germano è ſanguine natus*
*Romanas tribuendo aquilas, & plurima dona*
*Imperij magnam fidei teſtantia famam?*
*Quis neſcit, quanti faciat quam ſpectet ametq́;*
*Hunc Venetum ueneranda cohors, cum uiderit illum*
*Gallis poſſe malis ingentia ponere clauſtra?*

*Et natum tribuiſſe ſuum? quòd flumina Tarri*
*Italicam nobis pugnando reſtituit rem,*
*Et uerſas ſiſtendo acies. quis neſcit ab omni*
*Dilectum hunc numero plebis Regumq́; Ducumq́;*
*Italæ? quantum nunquam fortaßis amari*
*Romulea meruitq́; Cæſar Germanicus Vrbe.*
*Ad propiora ueni: renouata Bononia nuper*
*Cui debet faciemq́; nouam portumq́; ſalubrem?*
*Cui pacem, moresq́; bonos, atq; ocia Vatum?*
*Huic certe, qui fama ingens uirtute, locoq́;*
*Felix & patriam, & ciues feliciter auget.*
*Huic genitor popularis erat, popularis & ipſe*
*Filius, & natos populari protulit aura.*
*Tot natos, fœcunda domus, tot habere nepotes*
*Quæ potuit tantis uirtutibus inſignitos?*
*Qualis in aërio tollit ſe uertice quercus*
*Sub qua aliæ ſurgunt ætate & fronde minores*
*Quatuor, at matris tendunt æquare cacumen:*
*Bentiuolus genitor talis ſe ſparſit in amplam*
*Progeniem, & magnis fulſit ſua tecta columnis.*
*Ergo tuum mirare Ducem bone Codre, nec ullum*
*Quære Iouem, nec quære tuis aſpiret Apollo*
*Carminibus, ualeant Muſæ: ſit Iuppiter iſte,*
*Iſte tibi, tuus iſte unus ſit magnus Apollo.*
*Plus de Bentiuola ueniet tibi ſtirpe fauoris,*
*Plus mentis, plus uocis erit, quam pectora totus*
*Si tua Parnaſſus doctis impleuerit undis.*
*Si uero dulci Muſarum captus amore*
*Nec Phœbum, nec aquas Heliconis colle fluentes*
*Deſeruiſſe potes, lympha bene plenus utraq;*
*Et duplici fundas reſonantia uerba calore,*

*Grata Ioui facturus, eo quaſi carmine cœlum*
*Atq; Giganteo laudaueris ipſe triumphos,*
*Nec non & Chronicos multum placiturus & ipſi*
*Tranchedo: quorum hic Mauri ſecreta peraudit*
*Principis Aonia Permeßi lotus in unda:*
*Ille autem Hadriaci populi gentisq; togatæ*
*Promptus agit partes, & pectore condit operto.*
*Præterea cantare potes, nil gratius iſtis*
*Laudibus huic populo qui fixum pectore nomen*
*Bentiuolum ſeruat, ſolumq; ut numen adorat.*
*Conuiuæ Proceres, & tanto Principe digni,*
*Quos amat, & uoluit pictis accumbere menſis*
*Mitis Ioannes ueſtri ſpectator amoris,*
*Mecum omnes gaudete precor, uotisq; tonantem*
*Vincite, ut æternis hæc gaudia conſecret annis.*

## Sylua ad Magnanimum Principẽ Antonium Galeatium Bentiuolum ſuper menſam pronuntiata.

*TE quoq; Magne canam Galeati uera propago,*
*Bentiuolæ ſtirpis Magnum ſortite parentem,*
*Et Magnum ſortite animum: conuiuia tanta*
*Quæ ſtruis, & multis decorata ſodalibus auges*
*Me uatem fecere tuum ſuper ardua montis*
*Parnaßi proferre gradus, atq; inde referre*
*Carmina, quæ ludis auſim recitare peractis*
*Ante tuos uultus, & tantæ gaudia menſæ.*
*Si Corcyræo cecinit ſua carmina Regi*
*Demodocus: ſi Phœniſſam permulſit Iopas*
*Crinitus, timidæq; dedit ſi gaudia matri,*
*Cantaret dum poſt epulas Chironis Achilles:*

*Cur ego*

*Cur ego non optem dulci modulamine lætus*
*Ante Ducem cantare meum? dapibuſq; remotis*
*Ambroſijs, aliaq; mentes ſatiare ſodales*
*Ambroſia? & quæ ſit raras guſtata per urbes.*
*Dum priſcos laudare cibos ſit prompta, nimiſq;*
*Sedula noſtra ætas: dum Theſea, Pirithoumq;,*
*Alcidam, & primos ſuper æthera nautas,*
*Et Curios, & Fabritios canit, atq; Camillos,*
*Et de Cæſaribus, niſi nullus ſermo putatur*
*Dignus, Athenæo qui collaudetur in antro.*
*Et quid Codre paras? quid tandem pectore carmen*
*Prodere uis dignum his epulis, & Principe tanto?*
*Cui uix ſufficeret Vates Smyrnæus, & ille*
*Qui profugum Aenean Italas produxit in oras:*
*Et tamen ipſe oculis magnum promittis, & ore*
*Neſcio quid, cerno tortus, cernoq; colores*
*Tam uarios, totum ut uidearis ſpargere Phœbum.*
*Tandem effare quid hoc, quod te Parnaſia rupes*
*Edocuit, noſtræq; cupis narrare cateruæ.*
*Non ego diuina fabricatum Palladis arte*
*Durateum cantabo ferum, qui denſa cauernis*
*Armaq; & infenſos Teucris celabat Achiuos,*
*Et tandem excidium Troiæ, Priamiq; ruinas*
*Attulit, excelſam manibus productus in arcem:*
*Non dicam errantem lunam, ſoliſq; labores,*
*Non pluuias hyadas, non ſeptem ſigna trionum*
*Non male thyrſigeri correptos numine Bacchi*
*Nubigenas: non magnanimos in bella Gigantas*
*Cœumq;, Enceladumq; trucem, Briareaq; ſæuum.*
*Verum aliud mihi carmen erit, mihi ſola placebit*
*Hæc domus, hæc ſoboles, hæc tam fœcunda uirorum*

*Progenies, quæ Bentiuolum propagat & auget*
*Germen, & in totas mittit ſua nomina terras:*
*Non tamen ut miror ſublimibus alta columnis*
*Tecta nec in foribus poſitum quod fulgeat aurum,*
*Non thalamos pulchrè pictos, non xyſta, nec hortos*
*Fontibus ornatos, non celſæ culmina turris,*
*Non gemmas auro nexas, non horrea plena*
*Diuitijs, quantas tenuit iam Perſica gaza,*
*Sed genitor, natiq; mouent mea pectora fortes,*
*Meq; ſeneſcentem cogunt cantare, uelut qui*
*Penè puer uiſa uiridanti fronte puella*
*Errantem ueneris tum primum ſentit amorem.*
*Inter quos nitet hic cuius conuiuia multum*
*Lauta tot ingenui laudant, guſtantq; ſodales*
*Magnanimi, doctrina & nobilitate decori.*
*Quis tacitas tranſire queat clariſſime Princeps*
*Antoni, magnis dilecte parentibus, omni*
*Dilectus populo, quem pinguis Felſina nutrit*
*Inſignes animi dotes? quis linquat acumen*
*Ingenij indictum, promptamq; ad martia dextram*
*Bella? nec in dandis ut poſcit gratia, ſegnem*
*Muneribus? quo ſolus auum iam lumine caſſum*
*Exprimis Hannibalē, & populi de abſente dolorem*
*Diminuis, dum te magnis uirtutibus æquas.*
*Hæc ego ſi poſſem, meditabar dicere cantu*
*Mæonio, ſed plura uetant hominesq; locusq;,*
*Et ueſpertini conuiuia temporis, ergo*
*Surgite iam læti proceres cum Principe ueſtro*
*Et meliore lyra cantus ſperate futuros.*

*Ad*

## Ad Galeatium Bentiuolum Codrus rediens Mediolano.

*IAm iam Felſinei colende Princeps,*
*Legati redeunt ab Vrbe magna,*
*Quam Mauors regit anguiger, ſuperbi*
*Ornatus tituli decore nuper.*
*Et læti redeunt, puto peractis*
*Mandatis ſapienter, & ſereno*
*Aſpectu nimium Ducis benigni.*
*Iam munuſcula liberis, propinquis,*
*Cernes, & teneris dari puellis*
*Fauſtæ mnemoſynon regreßionis*
*Et pignus fidei ac honeſti amoris.*
*Hic donabit acus, leuesq; uittas*
*Cultellos, manicas, pilas, locellos,*
*Vmbellas alius, flagella, talos,*
*Auriſcalpia, mille uel catellas:*
*Sed quid pro meritis tuis rependam*
*Princeps magnanime, ac patrone Vatum?*
*Cuius numine me tuus clientem*
*Accipit, ſapiens amore frater*
*Quantus uix poterat dari Poëtæ:*
*Si donem uiridas tibi ſmaragdos,*
*Berillos, adamantas, uniones,*
*Et gemmam Samio datam tyranno:*
*Si cryſtallina uaſa, ſilphiumq;*
*Tradam, de Lybicis quod olim arenis*
*Battus legerat, aut Midæ, Tagiq;*
*Aurum, non ſatis ô colende Princeps*
*Hæc eſſent meritis tributa magnis.*

*Ergo quid faciam? dabo'ne parua*
*Quæ tradi pueri ſibi recuſent?*
*An toti potius uelim notari*
*Ingratus populo? nephas quod omnes*
*Auertant medioximiq́;, & alti,*
*Inferníq́; Dei. ſequamur eia*
*Quod fert conditio & ſtatus uirorum,*
*Spicas agricolæ, lac & coloſtrum*
*Paſtores, teneras ferent placentas*
*Piſtores, holitor git & papauer*
*Et dulcis peponas: ſed ipſe rhombos*
*Piſcator dabit, aduenasq́; turdos*
*Auceps. uos igitur parate Muſæ*
*Munus quod deceat bonum Poëtam,*
*Sed non hendecaſyllabos: canendum eſt*
*Quod maiore licet ſonare cantu,*
*Hoc eſt, quod Galeatio placebit*
*Munus, quod cupit ipſe, & anteponit*
*Cunctis diuitijs, honoribusq́;.*
*O princeps bone, magne, liberalis,*
*Noſtri maxima ſæculi uoluptas.*
*Hos Codrus modulos tibi dicauit,*
*Hoc ſolo, tibi quod placet, beatus.*

## Vergilij Encomion in principio ſtudij pronuntiatum.

*SI non grauaris Phœbe ſalutifer,*
*Per grata quæſo templa Heliconia,*
*Ad nos uelis huc iam uenire*
*Cum cithara & radiante plectro.*
*Si Bacche greſſus nulla tuos ligat*

Vini

*Vini furentis ſorbitio mala*
*Per Gnoßidos ſtellas puellæ*
*Oro ueni ſapiente paſſu.*
*O Pallas alti filia Iuppitris*
*O quæ repertrix diceris artium*
*Innupta uirgo tu uocata*
*Si uacat huc propera uenire.*
*Dijs tu Supernis Arcas Atlantide*
*Imisq́; gratus, ſi eloquij pater,*
*Nec non lyræ curuæ repertor,*
*Huc petaſate ueni rogamus.*
*Nollem ſorores Calliope tuas*
*Auferre ſacris ipſe negotijs,*
*At ſi tamen uobis placeret,*
*Ora forent mihi grata ueſtra.*
*O Branche quanquam te penetrália*
*Seruare Pæan Imbricitor tuus*
*Præcepit, huc ſi poſtulabis,*
*Non tamen ut uenias negabit.*
*Quicunque ſacris temporá frondibus*
*Cinxiſtis, & perlucida flumina*
*Potaſtis, omnes ad Poëtam*
*Ferte pedem celeres benignum.*
*Quod ſcire uultis: lux hodie ſacra*
*Nobis reuerſa eſt, quam ſolet artium*
*Et cultor, & cuſtos bonarum*
*Principijs ſtudij dicare.*
*Poſtquam frequentes affore conſpicor,*
*Audite quæſo, uosq́; ſilentium*
*Seruate montes confragoſi,*
*Vos zephyri, & fluuij tacete.*

*Dicturus adſum nunc Lyricis ſonis,*
*Dum ueſter adſit mi propius fauor*
*Laudes Poëtæ Mantuani*
*Ingenium ſuperantis omne.*
*Per dulce mitis Perſephones caput*
*Dis te precamur, cumq; ſororibus*
*Clotho ſeueris, ſit Maroni*
*Fas nitido rediſſe mundo.*
*Conuerteret ad uos iam propere gradum*
*Cum rite laudes audierit ſuas.*
*Quid tam graue eſt? quid ſtatis? aufert*
*Vna dies eadem reddit.*
*Iactura ueſtris non domibus poteſt*
*Eſſe ulla, nam quodcunq; parens creat*
*Natura terris, mox Auerno*
*Pallida mors ſine fraude donat.*
*Veniſſe ſaluum te optime Vergili*
*Gaudemus. Eia ſenſibus intimis*
*Audite, quæ promiſſa uobis*
*Ingenio meliore digni.*
*Aſt unde ſumam principium mihi?*
*Cum tanta Vatis gloria Vergili*
*Non fiat ulla laude maior,*
*Nec uitio queat inquinari?*
*Res magna ſane eſt. Incipiam tamen*
*Qua parte Phœbi me rapiet furor,*
*Et non modo Vates, ſed inter*
*Rhetoricos celebres locabo,*
*Interq; magnos Philoſophos, graues*
*Interq; Iuris Pontificij uiros.*
*Stat Mantuæ fulgens alumnus,*

*Et ni-*

Et nitida melior caterua.
Quicquid requirit fabula nominis,
Quæcunq; poſcit Rhetoricus color,
Quæcunq; ſacra continentur
Religione Poëta nouit.
Hic pingue dicendi inuenies genus,
Hic copioſum, quo Cicero nitet,
Hic ſiccum & arenis inuenire
Et breue quiſq; poteſt peritus.
Nunc uitam agreſtem Bucolicis ſonis,
Nunc arua quo ſint ſidere pinguius
Vertenda, & Aeneæ labores
Ingenium docuit Maronis,
Quod comparandum non homini reor,
Nec fas putabit quiſq; probiſſimus.
Natura rerum mater una
Hunc ſimilem tibi quiſq; reddit.
Nam ſicut uno fertilis in loco es
Nunc ſicca arenis, nunc fluuijs ſcates,
Nunc prata molli inducis herba,
Verticibusq; riges acerba:
Sic Mantuani carmina Vergili
Nunc ſicca cernis, florida nunc uides,
Nun copioſa audis, ſimulq;
Nunc potes omnia lectitare.
O docte Vates quanta ſcientia
Inſerta ſacris uerſibus eſt tuis?
Vt ius doceres augurale,
Vt faceres aliena noſtra.
Per te Meletis pars melior uiget,
Per te bonarum nouimus artium

*Secreta, & antiqui Latini*
*Cum rudibus perire uerbis.*
*Per te togatum Romuleum genus,*
*Per te propago Iulia noſcitur,*
*Per te poteſt Orator eſſe,*
*Qui tua ſcripta legit frequenter.*
*Tu grata cantas Grammaticis uiris,*
*Te uera dicentem Aſtronomi probant,*
*Te maximi Vates ſequuntur*
*Auſoniæ nitor unc terræ.*
*Nos non Lucreti carmina quærimus,*
*Non uerſus Enni difficilis placet,*
*Sordet Catullus, cuncti canente*
*Vergilio taceant Poëtæ.*
*Quid te peritos arte Machaonis,*
*Et quos futuri ſors agitat uiros*
*Fati trementes præſtitiſſe*
*Commemorem uenerande Vates?*
*Quid quod ſecundus conſilijs tuis*
*Eſt Cæſar uſus? quid patientiam*
*Narrem, uerecundos mores?*
*Teq́; equiti placuiſſe Thuſco?*
*Quid quod canori Pollio carminis,*
*Et Tucca, Galluſq́;, atq; Propertius*
*Et Flaccus acer te colebant,*
*Cum foret inter eos ſimultas?*
*Sed iam ſatis pro tempore diximus,*
*Et pro cadentis uiribus ingenii*
*Quæ cum ſciant omnes ita eſſe,*
*Quis ſapiens fugiat Maronem?*
*Quis non per omnes carmina Vergili*

*Cantanda terras uoce hilari putet?*
*Quæ Phœbus in cœtu Deorum*
*Commemorat fidibus canoris?*
*Hunc ergo ueſtris ſenſibus intimis*
*Audite Vatem diſcipuli probi.*
*Namq; eſt diu ſane manere*
*Et uacuum rediiſſe, turpe.*

## Ad Eloquentiſſimũ Oratorẽ Baptiſtã Guarinum Veronenſem.

*VOti compos erit beatus omnis,*
*Baptiſta ingenij fons & origo boni,*
*Et nullum reor eſſe in orbe, qui non*
*Vota habeat, ſanæ ſit modo mentis homo,*
*Mille artes hominum uigent in orbe.*
*Vt ſint mille igitur uota neceſſe uiris.*
*Quid quod non eadem, licebit una*
*Ars ſit, uota tamen cuilibet eſſe queunt.*
*Ecce hic nauta ſuis Apeliotem*
*Expoſcit uelis, at Boream ille petit.*
*Argeſten alijs fretis eiſdem*
*Deprenſus Zephyro uota ſecunda dabit:*
*Contrà nunc teneras uide puellas,*
*Vna cupit ſtrophio cingier, una uiro:*
*Hæc gemmam cupit Indicam, illa mortem.*
*Riualis poſcit numina cuncta ſuæ.*
*Si quæras alias acutus artes,*
*Et ſtudia ætati mixta uidere uoles,*
*Voto multiplici periſſe turbas,*
*At præter fatum multa petita ſcies,*
*Verum optata rea tenere multos,*

Ex uo-

*Ex uoto raris aura ſecunda uenit.*
*Surdos me miſerum Deos rogantem*
*Inter inaudito ſors mea fixa manet.*
*Sed quæ uota tuum mouent cerebrum?*
*Vota animo nullus quæ putet eſſe meo?*
*Non famam, nec opes cupit Poëta,*
*Non beet ut doctos culta pulta puella thoros.*
*Se quid? uis memorem? peropto dignas*
*Baptiſtæ grates poſſe referre meo*
*Præſentem ſtuduit polire qui me*
*Moribus & Muſis, Iuppiter alme, tuis*
*Abſentem quoq; qui docet nitere,*
*Et primum cupit hac urbe tenere locum.*
*Non poſſum meritas referre grates,*
*O Baptiſta patris gloria uera tui.*
*Eſto: ſed poterit Thalia noſtra*
*Quantulacunq; animo ſemper habere ſuo,*
*Et dum ſol uicibus diem reducet,*
*Dum Baptiſta meo pectore fixus erit.*

## Antonij Codri Vrcei Syluarum Liber Secundus.

### Sylua in principio ſtudij pronũciata.

*ARmipotens iam frenat equos clypeumq́; coruſcat*
*Marſpiter, & magno Gallorum excita tumultu*
*Auſonis ora fremit, ualidisq́; accingitur armis.*
*Anguiger hinc aciesq́; ſuas, Gallosq́; feroces*
*Dux trahit, & latos armato milite campos*
*Partim implet, partim claſſes atq; æquora turbat.*

*Obuius*

Obuius his claſſe inſtructa ducibusq; uiriſq;
Dux Calabrum uenit, & parteis ſe fundit in omneis.
Nam neq; ſola tuos uexat diſcordia ciues
Romule, & à ſummo refugit Tiberina parente
Hoſtia: ſed Ligures illinc Tyrrhena fatigant
Aequora, & Aemylios hinc uaſtant ignibus agros
Vtraq; turba ferox: iam caſtris caſtra propinquant
Alteriuſq; Ducis flammas, uoceſq; tubarum
Dux uidet atq; audit: tota delectus habetur
Italia, creſcitq; nouis exercitus armis
Hinc atq; hinc, animoq; parant decernere forti.
Aſt ego quid faciam? Gallorum caſtra ſubibo
An Calabrûm? Heroo res geſtas ſcribere uerſu
Vt poſſim, an potius cômiſcens Græca Latinis
Semper lector ero tantum? uel forte ſub umbra
Rhetorica cauſas meditans ſic ipſe ſeneſcam?
O pudor, ô ſegnes animi, nunquam ne ſinetis
Grande aliquid, quod præſentes mirentur, & ipſa
Poſteritas celebret noſtris mandare Camœnis?
Iam iam abeo, & mecum cerarum ſcrinia tollo.
Pangam ego bellorum cauſas, Martiſq; furorem
Sanguineum, uel ſi qua ſuos immiſerit angues
Tiſiphone magno monitu Iunonis acerbæ,
Antiquos repetentis adhuc corde dolores,
Et pacem Italiæ ſemper turbare paratæ.
Scribam acies ferro tectas Regeſq; Latinos,
Parrſioſq; Duces, fluuios, monteſq;, locoſq;,
Caſtraq; cum uallis, inimicaſq; urbibus urbes,
Cæſaq; Romanis alpina minantia pilis.
Præterea pugnas, & partos enſe triumphos,
Et captos referam torques, fractaſq; ſecures,

*Taurorumq́; ſacro centenũm ſanguine terram*
*Humentem,& uiridi fulgentia tempora lauro:*
*Verum ubi,quo ualeas promiſſis ſtare,patebit*
*Ingenium? ingenium mihi ſi Grincus Apollo*
*Caſtalides'ue Deæ contracta fronte negarint,*
*Cum tot Semideûs exercitus armet utercq;,*
*Quos famæ cupidos uideas incedere: numen*
*Quo pacto mihi deeſſe poteſt? ubi Dux bonus ille*
*Ille Seuerinas Lodouici maxima cura*
*Principis Anguigeri,cuius uexilla ſequuntur*
*Innumeræ gentes,& nigrum in prælia Maurum,*
*Præſto erit,& fundet cunctas in carmina uires.*
*Dux quoq; præſtabit contraria caſtra petenti*
*Vrbini,Vatumq́; ſacris nutritus in antris*
*Ferdinandus idem,nec non & gloria Guido:*
*Sed quid magna meis alienaq́; numina quæro*
*Carminibus? mihi numen adeſt.mihi paruus adeſſe*
*Iuppiter ille ſat eſt,quem iam mea Muſa canendum*
*Concepit,cunctisq́; cupit diffundere terris,*
*Hannibal antiquo cretus de ſanguine ſtirpis*
*Bentiuolæ, referensq́; ſui memorabile multum*
*Nomen aui,Calabras acies nunc milite forti*
*Qui iuuat,armatusq́; ferum perterritat hoſtem.*
*Qualis ab excelſo deſcendens monte Leonis*
*Scymnus agit tauros ad circumclauſa redire,*
*Septa nec in uirides ſinit hos procurrere campos:*
*Aut qualis uolucres turbat,cum deſilit alto*
*Quamprimum nido falcatis unguibus ales*
*Confidens roſtroq́; furit metuendus adunco:*
*Non tot in hirſutis naſcuntur meſpila ramis,*
*Meſpila non paruam agricolis reddentia frugem.*

*Hoc duce, quod mittam claros ad ſidera uerſus*
*Sed iam age, carpe uiā, Zephyriſq; uocātibus omnem*
*Pande ſinum. quid ſtas? quid frontē contrahis? aude.*
*Non poſſum. maius retinet me numen, & inſtat,*
*Conatuſq; meos dictis caſtigat amicis.*
*Quid nam Codre paras? quæ tam ueſana cupido*
*Mentem agitat? pacem'ne cupis mutare duello?*
*Quis nouus hic furor eſt, diſcedere prorſus ab urbe*
*Paciſera ad bellum? non te iam longior ætas*
*Frigeſcenſq; monet macilento in corpore ſanguis?*
*Non retinet tranquilla quies? & amica Poëtis*
*Ocia? Dij faciant longum ſic uiuere poßis*
*Nobiſcum, uerſans Græcos uerſanſq; Latinos*
*Scriptores, ſpargens totum præclara per orbem*
*Doctrinæ monumenta tuæ, dilectus in Vrbe*
*Bentiuola, quantum mores meruere pudici,*
*Et tua apud memores ſemper ſtans candida uirtus.*
*Non aliud maius terrarum ſuſcipit orbis*
*Gymnaſium, quam quod formoſa Bononia nutrit:*
*Iampridem quò cuncta cohors Phœbeia ſeſe*
*Tranſtulit, antiquaſq; nimis deridet Athenas*
*Prudentum chorus, & naturæ conſcius omnis;*
*Hoc'ne fugis? præſtare poteſt quod nobile nomen,*
*Materiamq; tuis ſcribendam tradere chartis.*
*Sed dic quæſo, graues poteris tolerare timores*
*Militiæ? modo ferre famem, modo frigora: nunc hoc*
*Nunc illud, quæ multa a'ij tantum orbiculatis*
*Nutriti pomis ſub diuo ferre iacentes*
*Coguntur? quid ſi fortaſſe obſeſſus ab hoſte*
*Vrbe aliqua: quæ mens? quàm molles Codre querelæ?*
*Me miſerum dices, paci præferre duellum*

*Qui uolui, nec ſorte mea producere uitam*
*Contentus: quò nam peruenimus? ô ubi Vatum*
*Ocia, quæ ſpreui' noſtrum quis habebit Homerum?*
*Atq; alios liqui ſtolida quos mente libellos?*
*O ubi Magnanimus meus eſt, ubi Gambarus? & quem*
*Conſueram dictis iam delectare facetis?*
*Me nudum ſinite ire precor, forteſq́; boniq́;*
*Doctores, blandiſq́; meos complectier ulnis*
*Felſineos, hæc aſtra prius quam grata relinquam.*
*Non uenit in mentem quæ Ordelapha clauſus in arce*
*Pertuleris? quæ uota Deis, quæ ſacra ſolutus*
*Reddideris? ſed cum ſtudijs certamina nulla,*
*Nec Muſis Mars ipſe nocet. quam fidere tutum*
*Hoſtibus armatis tincto ſemel enſe cruore*
*Neſcio. nullus erit Demetrius: & mihi crede,*
*Nullus Alexander qui fauerit. omnia fient*
*Omnibus æqua uiris quos uictor ceperit atrox.*
*Præterea nec laudatur dux: ſſe Poëtam*
*Nobilior, caſtriſq́; ſuis tenuiſſe: nec oris*
*Diuini Iliacas acies conſpexit Homerus,*
*Auſoniaſ'ue Maro: ſed ad ocia natus uterq;*
*Cantauit quæ nulla ætas ſuperauerit unquam.*
*Poſt hæc alt ſono quæ ſunt laudata Maroni*
*Reſpice. num magno ſe captum ſcribit amore*
*Muſarum' cœliq́; uias & ſidera nónne*
*Et celeres tardoſq́; dies, terræ tremorem*
*Monſtrari ſibi & obicibus crementa refractis*
*Optat noſſe maris rurſus fluentia retro?*
*An non qui potuit rerum cognoſcere cauſas*
*Felicem putat, & nouit qui temnere mortem*
*Sub pedibuſq́; minas poſuit Phlegethonis auari?*

*Cur tu*

*Cur tu non eadem hæc tanto laudata Poëtæ*
*Concipis? & quæ multa tibi Lucretius, aut queriſ*
*Non omnino ſagax ſcribenda reliquit Aratus*
*Illuſtras noſtris diſcenda nepotibus olim?*
*Si tamen eſt animus ſcribendi caſtra, uiroſq;,*
*Arma, & equos, & quam dederit uictoria laurum,*
*Iſta tibi poterit frater narrare quieto*
*Cuncta meus, uireſq; tuis præbere Camœnis*
*Optatas, cum ſe rebus feliciter actis*
*In patriam tulerit prolem uiſurus adultam,*
*Et charam uxorem, & fratres, geminoſq; parentes.*
*Quare ſi quid habet iuris Galeatius in te,*
*Hoc iubet, & rogat hoc, iſta procul abijce mentem,*
*Et te trade tuis utendum lætus amicis.*
*Vera refers, uincis: nec me diſcedere fas eſt*
*A monitu uir magne tuo: ſic uota ſecundet*
*Iuppiter, ut iuſſus ego ſum parêre paratus:*
*Ergo alij pugnent, & famam extendere dextra*
*Et gladio ſibi quiſq; paret, nos priſca uirorum*
*Prælia magnanimûm, & præclara ſub Ilio alto*
*Graiorum Trouumq; ſimul cantabimus acta.*
*Iam pridem ſæuam Danais memorauimus iram*
*Pelidæ, mœſtamq; rapi Briſeida caſtris*
*Myrmidonum, & flenti ſua pignora reddita patri,*
*Hinc claſſem, armatoſq; duces numerauimus, inde*
*In Paridem accenſum iuſta Menelaon ab ira*
*Legimus, & ruptis Lyciam ſenſiſſe ſagittam*
*Fœderibus, læſam Venerem, Martemq; ſub uno*
*Tydide, & Glauci ſtirpem, plenumq; Mineruæ:*
*Parte alia inter ſe pugnantes uidimus ambos*
*Hectoraq; Aiacemq; ferum, duo robora belli:*

*Præterea obſeſſos flammis & ab Hectore Graios*
*Ad ſæuum miſiſſe ducem, qui dulcibus iram*
*Alloquijs, doniſq; uirum mulcere pararent:*
*Hinc Ithacus Phœnixq;, illinc Telamonius Aiax*
*Orabant. ille annoſa ſed durior orno*
*In patriam Argolicis iam diſcedebat ab armis.*
*Miſerat hinc Hector ſpeculatum caſtra Dolona*
*Graiorum pedibus celerem, ingenioq; ſagacem,*
*Sed tamen ille aſtu prudentis captus Vlyxi,*
*Tydideq; ſuis temerarius excidit auſis.*
*Hæc ſunt præteritis iam iam cantata ſub annis.*
*Nunc reliquum Iliaci Martis pugnæq; cruentæ*
*Aggredimur: iam ſe magno conamine profert*
*Tichomache, ingentem foſſam murumq; ſub ipſis*
*Nauibus Argiuûm iampridem ſtruxerat agmen.*
*Hunc Troës delere parant, pictaſq; carinas*
*Vrere: quinq; adeo ſe diuiſere parati*
*In parteis, ternoſq; duces pars quæq; ſecuta eſt.*
*Hector primus adeſt, & Pulydamanta ſeuerum*
*Cebrionemq; trahit, ſequitur pôſt maxima turba.*
*Hic Paris Alcathouſq; duces, & magnus Agenor,*
*Pôſt duo Priamidæ, quæ tertia turma, propinquant*
*Deiphobuſq; Helenuſq; truces, ac Aſius heros,*
*Aſius Hyrtacides generoſa miſſus Ariſba,*
*Quartum agmen trahit Aeneas in bella duoq;*
*Archelochuſq;, Acamaſq; duces Antenore nati*
*Sarpedon Glaucuſq; comes ſimul Aſteropæus*
*Poſtremas acies facta teſtudine cogunt.*
*Hic uero innumeras cædes Martemq; legemus*
*Indomitum, atq; globos flammarũ in caſtra furẽtes.*
*Hic cadet ingenti Lyciorum fletus amore*

*Sarpedon, cadet Arctorides dilectus Achilli*
*Quantum non alius fidis numeratus amicis*
*Exuuiasq; ferox Hector portabit ademptas,*
*Donec & ipſe ſui Vulcania ſentiet arma*
*Hoſtis, uendeturq; auro, quo deinde ſepulto,*
*Longa per immenſum complebitur Ilias orbem.*
*Vos ergo ingenium quibus exercere quietis*
*Eſt animus, mecumq; ſimul tolerare labores*
*Pierios, duciq; ſinus implere capaces*
*Eloquio, uigilate uiri, uerſate diurna*
*Nocturnaq; manu, quos miſit Græcia uobis*
*Scriptores: ſed præcipue qui carmine grandi*
*Iliacas acies, & durum cantat Vlyxem.*
*Nam neq; ſcriptorum quiſquam eſt antiquior, aut qui*
*Doctrina maiore fluat: nec dulcior ullus*
*Perlegitur Vates, aut unquam forte legetur.*
*Grammaticus, Rhetor, Conſultus iuris, & omnis*
*Prudentum manus hunc citat & ueneratur, amatq;.*
*Diuinumq; uocat fontem, uerumq; parentem*
*Ingenij, qui bella hominum pugnasq; Deorum*
*Deſcripſit, primisq; acies & caſtra locare*
*Monſtrauit, ſimilemq; Deis producere uitam.*
*Hic nautis uentos & ſidera pinxit & urbes*
*Et portus, fecitq; oculatos multa uidere,*
*O ſuperi, cæcus quæ nunquam uiderat ipſe.*
*Deniq; ſi totum terræ percurritis orbem*
*Quicquid ſub cœlo nitidi pulchriq; tuemur*
*Mellifluo ſapiens cantu illuſtrauit Homerus.*

## Ad Mimum Roſcium commendatio.

*Iupiter eluſus maioris imagine ſacri*
*Abſtulerat cunctis Lemnia dona focis.*

Iapeti-

Iapetionides hoc uulnere turbidus: actum eſt
De me, ſubuenias ni mihi Pallas, ait.
Affuit oranti Pallas: tunc concaua uirga
Dicitur aſtuti furta tuliſſe uiri.
At me iocundo reſpexit Iupiter ore,
Ei mea ſacra meo grata fuere Ioui:
Non tamen optato licet hactenus igne potiri,
Deficit & modicus qui fuit ante calor.
Pallas abeſt, alium fortaſſe Promethea quærit,
Meq; Promethea fraude carere uidet.
Fraude carent Vates, ad Phœbum noſtra recurrat
Muſa, placet patri non minus iſte ſuo.
Hic quoq; maiores fertur curare Poëtas,
Tu mihi pro Phœbo ſplendide Mime ueni,
Mime ueni, & noſtro dic pro me pauca tonanti,
Plus mihi quàm Phœbus uox tua ferre poteſt,
Vox certe tua ferre poteſt, Vt iuſta labores
Præmia ſuſcipiant, ſi meruere mei.
Tunc mea Muſa ſonos, quales non reddet aëdon
De te uicturos tempora longa, canet:
Nunc frigens cantare nequit, uel ſi tamen iſtud
Tentat, ridiculum fundit inepta ſonum.
Qualem ſæpe facit, qui iam de Lotide Nympha
Rupit Lampſacij gaudia cœpta Dei.

## Ad Nicolaum Maſinum Cæſenatem, Laudes Bononiæ.

CVr me Felſinea diducere quæris ab Vrbe
Nolentem, in patriam docte Muſine tuam?
An quod ne quicquam de te mihi credere fas eſt,
Cæſenam huic optas æquiparare loco?

An mai-

*An maiora tuam fortaſſe ſtipendia mentem*
*Impellunt meritis contribuenda meis?*
*An tu pro patriæ ſic utilitate laboras*
*Vt non ſit curæ res aliena tibi?*
*Iſta quidem facile eſt mihi propulſare: niſi quid*
*Maius habes, quod me ſub tua iura trahat.*
*Aut dic ſi quid habes, aut me patientius audi,*
*Et fiet noſtri mens tibi nota Dei.*
*Si qua parte tamen te lædent ſcripta legentem,*
*Qui cecinit culpa eſt omnis habenda Deo.*
*Triſtis eram, & uarias agitabam pectore ſedes,*
*Aptior hæc Muſis, an foret illa meis.*
*Nam Cæſena ferax hinc me rapiebat, & illinc*
*Liuia, pollicitis utraq; larga ſuis:*
*Et nunc illa mihi, nunc hæc, nunc nulla placebat*
*Irato muſis carminibusq; meis,*
*Quæ ſtabili reſidere loco, gaudere paratis*
*Non poſſent, ſemper dum meliora petunt.*
*Tunc ego mordaces cupiens ſecludere curas*
*Pro laribus Faunos numina læta peto.*
*Sunt urbe egreßis colles. quorum unus amœnam*
*Syluicolæ ſedem nunc Michaëlis habet.*
*Iam fuerant loca plena feris, & robore denſo*
*Fecerat obſcurum deuia cuncta nemus.*
*Illo forte die Nymphæ Satyriq; ſalaces*
*Ducebant hilares per iuga ſumma choros:*
*Inter quos pulcher citharam dum pulſat Apollo,*
*Me uidet, & ſacra corripit ille manu,*
*Et tumlum capiens unde omnis Felſina poſſet*
*Conſpicier nobis: hic ſedamus ait,*
*Hic ego ſollicitas expellam pectore curas,*

*Quæ te diuerſum nocte dieq; trahunt.*
*Omnia ſcit Phœbus, Phœbus uidet omnia, prodit*
*Vultus, quæ tacita cor ſibi mente parat.*
*Hac ſcio turbatus diſcedere quæris ab Vrbe*
*Quo'ue tuos flectas ambigis ipſe gradus.*
*Ad Siculos portus, gelidum modo tendis ad Iſtrum,*
*Nobilis hinc modo te Vate reducit Atax.*
*Te uocat Hadriaco tellus defenſa leone,*
*Nunc tenuis, quondam maxima Roma caput.*
*Tanquam de duro ſtillantia robore mella*
*Continuo uerſa ſede per ora fluant.*
*Huius Codre loci uideamus commoda primum,*
*Poſt capias, animus quod tibi porrigit iter.*
*Clara quidem per ſe eſt populoſa Bononia, uerum*
*Confert, erit multo clarior illa tibi.*
*Roma fuit, periere patres, periere Quirites,*
*Reſtat deſerto ſola ruina ſolo.*
*Quæq; tamen reſtat doctorum pœna uirorum,*
*Hic labor, hic non ſunt præmia, nulla quies.*
*Quæ iacet Hadriaco tellus circunflua ponto*
*Emunctis non eſt urbs habitanda uiris:*
*Tanta lues, & tantus odor putris inficit auras,*
*Euripis quotiens Sirius haurit aquas.*
*Tyrrhenæ poſſint dici ſine crimine Senæ*
*Has niſi ciuili ſterneret enſe furor.*
*Producit parcos nimium Florentia: bardos*
*Mantua: uaniloquos dat Genuenſis ager.*
*Ad ſummam rara eſt tellus à Gadibus uſq;*
*Ad Gangen, dici quæ ſine labe queat.*
*Sic finxit Gallos hebetes Natura, bilingues*
*Afros: & mendax Græcia facta fuit.*

*Horum nulla gerit nutrita Bononia, ucrum*
*Accipe, quis contra plena ſit illa bonis.*
*Terra uiris, opibusq́; potens, & munere Bacchi*
*Fertilis, & Cereri terra dicata Deæ:*
*Hæc hominis profert quicquid natura requirit*
*Hæc Superis nectar gignit & ambroſiam.*
*Nobilis argento eſt, & fuluo nobilis auro,*
*Hic ager, & medicis frugibus iſte ſcatet.*
*Templa Coronides meus hic habet, hic ſua Pæon,*
*Poſsidet hic hortos & Panacea ſuos.*
*Quid calidas referam lymphas, membrisq́; ſalubres*
*In Porretanis balnea facta iugis?*
*Huc ægri ueniunt iuuenes, matresq́; uiriq́;*
*Et ſanus bibitis quiſque remigrat aquis.*
*Iupiter ut quondam fuluos per Lyndia rores*
*Arua pluit, quibus eſt facta beata Rhodos:*
*Sic nunc aurato colitur quæ copia cornu,*
*Hic uerſa cunctas cuſpide ſparſit opes.*
*Vnde nec hanc poſſunt Vrbem ſuperare Mycenæ,*
*Nec quam gallinæ lac habuiſſe ferunt,*
*Hæc erat illa Samos nimium fœcunda priuſquam*
*Deſolauiſſent hanc Syloſontis opes.*
*Et quoniam ſolers quicquid Natura creauit,*
*Perficit, ac homines forma Deosq́; capit,*
*Hæc iuuenes parit & forma præſtante puellas,*
*Iſta Iuuentutis dicitur eſſe domus.*
*Aſpice quàm pulchra facie, quàm diuite cultu*
*Prodeat in pactos ſponſa puella thoros,*
*Seu ſacra templa petat, præmiſſa ex ordine pompa,*
*Seu facili dextra dūcat in orbe choros.*
*Taliter in thalamos conſcendit Iuno tonantis,*

*Taliter in magni Peleos alma Thetis,*
*Non aliter ſi quando uocant Faunalia Nymphas,*
*Ludit Oreſtiadum per iuga ſumma chorus.*
*Aſpice nunc cœtus alia de parte uirilis,*
*Principibus tribuunt cum ſua ſceptra nouis.*
*Credere quis poſſet, magnum ſimul ante triumphum*
*Pacifica ciues tot ſimul ire toga?*
*Qui uidet ignarus magna ſe mole mouentes*
*Aërias quercus tot ſimul ire putet*
*Aut tot ſemideos ad culmina ſumma tonantis*
*Concilium magno conuocat ore Pater.*
*Quali conſilio ſe Felſina magna gubernet*
*Non eſt ingenij noſcere Codre tui.*
*Conſilium dedit huic ſanum Neptunus equeſter,*
*Iupiter huic mentem iuſtitiamq́; dedit:*
*Alcides animos compleuit robore: partes*
*Quæ deceant, docuit Virgo modeſta ſuas.*
*Non facile auditur populus ſapientior alter,*
*Alter qui poßit iuſtior eſſe nequit.*
*Nec qui Felſineam plebem forteſq́; tribunos*
*Se uirtute aliqua uincere dicat erit.*
*Sic pacem æternam ſeruare Bononia fertur,*
*Sic libertatem ſic ſua iura tenet.*
*Nam cum totius Latij Mauorte cruento*
*Tempeſtate tua uideris arua premi,*
*Natus eras certe cum Dux Picininus acuto*
*Ferdinandeos ſtringeret enſe uiros,*
*Aut cum magna uirum ſtrages his edita campis,*
*Dum peteret Thuſcos Colleo ductor agros*
*Thuſcia Campanum, Venetum Ferraria Martem*

*Senſit*

*Senſit, adhuc reſtant horrida ſigna mali.*
*His & mille alijs belli feruoribus, omnis*
*Ingentes pœnas Itala terra dedit.*
*Vrbs hæc ſola fuit nullo uexata duello*
*Et nullo duri preſſa labore iugi:*
*Antè tamen fuerat bellis crudelibus uſa*
*Felſina, quæ non ſunt hoc referenda loco:*
*Nec fortaſſe tibi uacat hæc audire, nec iſta*
*Propoſito ſatis eſt congrua cauſa meo.*
*Imò uacat dixi, rerum pulcherrime Pæan,*
*Et cupio chartis iſta notare meis,*
*Dic rogo, ſed ne te capiant faſtidia longi*
*Carminis, argutæ percute fila lyræ.*
*Sic faciam dixit, ueterumq; exacta uirorum*
*Tractata cœpit ſic recitare lyra.*
*Principe Bentiuolo renouata Bononia nuper,*
*Tam uetus eſt, primos dicere neſcit auos,*
*Nec priſcum retinet nomen. nam Felſina quondam*
*Dicta fuit Thuſci dum caput orbis erat.*
*Hinc ego Felſineam, quæ nunc Filicina uocatur*
*Crediderim patriæ nomen habere domum.*
*Iſta Bononinæ ueluti cognomina genti*
*Fecit, ut à patriæ nomine ſumpta nouo.*
*Tempore, poſt Troiæ excidium, quo uenit in oras*
*Dardanus Auſonias Felſina clara fuit,*
*Et tulit auxilium Phrygibus cum Daunius Heros*
*Fatali profugos pellere uellet agro.*
*Fecit idem, quotiens animoſa nepotibus illis*
*Sub leges orbem qui poſuere ſuas.*
*Deniq; nunc illi nunc his agitata procellis*
*Concidit in cineres Felſina priſca ſuos.*

*Romulidæ auxilij memores inſtructa uirorum*
*Huic tranſcripſerunt millia terna loco.*
*Sunt data quæ fuerant Boiorum rura colonis,*
*A quibus Vrbs nomen fors habet ipſa nouum.*
*Sunt quoq; plena bonis opibusq; uirisq; uidentes,*
*Hæc loca qui dicant à bonitate ſoli.*
*Atq; tamen inde noui bellum uitare coloni,*
*At frui campis non potuere datis,*
*Præcipuè cum Sylla ferox peſſundaret Vrbem*
*Et diro foſſus uulnere Panſa foret.*
*Sed iam geſta diu nimiumq; antiqua relinque,*
*Et mentem flectas ad propiora tuam.*
*Pontifices uenere noui poſt ſæcula multa,*
*Qui ſibi neſcio quo iure tributa petunt:*
*Nunc capiunt urbem, capta nunc urbe fugantur,*
*Nunc ibi libertas, ſed male tuta manet.*
*Poſt uarios caſus, & mille pericula tandem*
*Se facit unius Felſina tota Ducis.*
*Et modo Taddæus Princeps hic iura miniſtrat,*
*A quo ſtirps clarum Peppula nomen habet.*
*Huius adhuc extant percuſſa numiſmata ſigno,*
*Multaq; de tanto ſcripta fuere Duce.*
*Et Gozadinæ iam ſumma potentia genti*
*Tradita, quæ magno digna fauore fuit.*
*Nanus idem tentare parat, magnoq; tumultu*
*Vult Gozadinos prima tenere ſuos.*
*Hāc modo ſed breuibus ſtirps Zambecharia ſceptris*
*Vrbem alio Princeps tempore fama regit.*
*Bentiuolus patria poſt hos eſt urbe potitus*
*Sanguis, & ut mitis mitia iura dedit.*
*Dulce genus Procerum, ciues ijdemq; Ducesq;*

Et po

*Et populi uehemens cura fuere ſui.*
*Inuidere mali ciues, ſummusq; Sacerdos*
*Priſtina tentauit ſubdere iura ſibi.*
*Hinc odia, hinc lites, hinc prælia dira quotannis,*
*Hinc & ciuilis ſparſus in urbe furor.*
*Anguigerum uocat ille Ducem, uocat ille togatum*
*Pontificem: pars hæc libera iura tenet.*
*Anguiger interea pro libertate loquentes*
*Aduocat, & dura compede quenq; premit:*
*Ecce bonus ciuis, dictu mirabile ciuem,*
*Liberat, & patriæ dat ſua iura ſuæ:*
*Quem tamen audaci ſceleratus proditor enſe*
*Occupat, & puro ſanguine ſpargit humum.*
*Heu crudele nefas: uerum ſic fata ferebant*
*Crederet ut parti pars uitiata bonæ.*
*Tunc procul eſt pulſus ſceleratus ſanguis ab Vrbe*
*Et preſſit diros uaſta ruina lares.*
*Tandem pax rediijt, redierunt ocia tandem*
*Et ſub Bentiuolis tuta fuere ſuis,*
*Sub quibus ipſe uides cunctos florere Poëtas*
*Et tu neſcio, quò pergere Codre paras:*
*Dic ubi comperies, omneis circunſpice terras,*
*Vrbem, quæ tot ſit condecorata bonis?*
*Si ſpeciem quæras, ubi tam miranda uidebis*
*Tecta, domos, turres, mœnia, templa, uias?*
*Omnia nunc ſplendent, nunc tota Bononia floret,*
*Non eſt in toto pulchrior orbe locus.*
*Reſpice formoſos colles poſt terga relictos,*
*Reſpice planiciem, quæ tibi tota patet.*
*Quot caſtella uides, quot flumina, prædia, pagos,*
*Quot ſiluas, ualles, compita, prata, caſas,*

*Et Rhe-*

*Et Rhenum,& Rheni piſcoſam cerne paludem*
*Arcubus hæc calamos iam dedit,& dat adhuc.*
*Ille eſt non magno qui labitur amne Labinus*
*Hic quondam fœdus tres iniere uiri,*
*Tempore quo forti uallo munita Claterna*
*Diruta nunc,liquit uix bene ſigna ſui.*
*Reſpice iam dextra poſitum prope mœnia pontem,*
*Hunc ſubit aurifera Sappina toruus aqua.*
*Temperiem cœli ſi quæris,& aëra purum,*
*Neſcio ubi melius quod petis eſſe queat.*
*Hæc loca non æſtus urunt,non ſidera cancri,*
*Hæc loca non Scythico ſunt habitata gelu.*
*Defendit calido,patet Apenninus,ab Auſtro,*
*Non metuit Boreæ frigora pinguis ager.*
*Præterea nimis optatum,nimis atq; frequentem*
*Gentibus externis Vrbs habet iſta ſitum.*
*Inter & Hadriacas,& Thuſci littoris undas*
*Condita,per Latium nobile præbet iter.*
*Hæc uia Tyrrhenos petit,hæc transfertur ad arua*
*Barbara,Flaminiæ iungitur illa uiæ.*
*Nullaq; gens ſola eſt,quæ forti milite fidat,*
*Audeat hanc armis ut uiolare ſuis.*
*Nec dux Felſineos cupiens tranſire per agros,*
*Traducet turmas hac renuente ſuas.*
*Hinc etiam uires Vrbis,populiſq; potentis,*
*Et formidati noſcere Codre potes.*
*Audebit quiſnam ualidis exercitus armis*
*Fortia Petroni ſubdere colla iugo?*
*Mille duces parat hic populus,parat agmina mille.*
*Et palmam uicto ſemper ab hoſte refert.*
*Poſtquam infelices terris abiere cometæ*

*Auctaq;*

*Auctaq́; maiores Felſina ſumpſit opes.*
*Præcipue nunc Bentiuolis inſtructa ſub armis,*
*Totius Auſoniæ dicitur eſſe ſinus.*
*Et niſi pax Vrbem potius quam bella iuuarent,*
*Cogere nec quenquam ſub ditione ſua,*
*Hanc uicinæ urbes dominam, populiq́; propinqui*
*Aſſumpto colerent in ſua colla iugo.*
*Hic alius memoret ſpecularia ſaxa reperta,*
*Et plenos multa cannabe laudet agros,*
*Aſt ego uirtutes, eſt quarum Felſina mater,*
*Laudabo, & claros nobilitate uiros.*
*Hic primum ſuperi tanta pietate coluntur,*
*Vt fiant hilares non aliunde magis.*
*Hoc profecta docent holocauſtaq́; ſacra, merumq́;*
*Cœleſteſq́; petit quod thymiama domos.*
*Aurea templa uides ſimulacraq́; ſacra deorum*
*Aurea, cumq́; anſis aurea uaſa ſuis.*
*Si quando referunt ſolennia feſta tonanti,*
*Aut quæ ſtella maris dicitur eſſe Deæ,*
*Quot pueros cantare licet, iuueneſq́; uiroſq́;*
*Cernere, quot matres, quotq́; coire ſenes.*
*Aurea ſunt illinc, hinc ſunt holoſerica texta,*
*Hic cum purpureis ſunt polymita togis.*
*Fercula portantur circùm, ſtatuæq́; Deorum,*
*Et noſtrum ſuperat Cerea flamma iubar.*
*Talis, ut hæc poſſet ſpectacula uincere, priſco*
*Pompa triumphantum tempore nulla fuit.*
*Hinc uaſtata prius, populoſa Bononia facta eſt*
*Inq́; dies maior creſcit, & auget opes.*
*Hinc tam præſentes eadem iuſtiſſima Diuos*
*Et pro ſe armatos tam bene ſemper habet.*

*Quod patuit tunc præcipue cum Sappina rubras*
*Hoſtili plenus ſanguine uexit aquas.*
*Quare lætus adhuc populus ſpectacula cernit*
*Cum ſe bis decimo Iunius ore refert.*
*Illud nónne putas magnæ pietatis, & audax*
*Eexemplum, & ueræ religionis opus?*
*Cum bis mille uiri genuit quos Felſina latum*
*Cum ſocijs æquor tranſiluere ſuis,*
*Et cupiere ſui Regis ſeruare ſepulchum*
*A Maomettani nominis opprobijs.*
*Et certe nihil eſt ſuperis acceptius, aut quo*
*Placati fauerant relligone magis.*
*Hac Proculus cœlum pater, hac Petronius arte*
*Scandit, & hanc Vrbem quam tueatur habet.*
*Sed contrà Superi ſæuos odere Gigantas,*
*Quiq; ſub agnina pelle tulere lupum.*
*Seruarunt donec ſub relligione nepotes*
*Romulidæ, ſceptris cuncta dedere ſuis.*
*Poſtquam luxus iners, & magna ſuperbia mentes*
*Cœpit, in abruptum cuncta ruere chaos.*
*Ac ueluti Auguſto terrarum Principe Chriſtus*
*Natus, & in terris dedita uera fides:*
*Sic quæ corruerat prauorum crimine Regum,*
*Bentiuolo ſurgit Principe uera fides.*
*Primus Ioannes fuit hic qui Marte, togáq;*
*Bentiuolam cœpit tollere in aſtra domum.*

## Ad Aeganum Lambertinum.

*FElſineus uigilans pro liberate Senatus,*
*Ne'ue ſuus quiſquam ciuis iniqua ferat,*
*Te ſibi conſcripſit, te nuper legit, ut eſſes*

*Aegane*

Aegane pro patria non piger ipſe tua.
Vt te cum patribus reliquis uigilante maneret
Iſtic cornigeræ Pax Dea iuncta Deæ.
Vt foret hæc ſemper Cereali iure peritis
Atq; Machaonijs Vrbs opulenta uiris.
O bone uirtutis Iudex prudensq́; Senatus,
Non fuit in tanto lectio uana uiro,
Sanguine qui præſtat, qui præſtat uiribus acris
Ingenij, & totus qui probitate nitet.
Quis neſcit? quantis fuerit decorata trophæis
Lambertina ferax & generoſa domus?
Antiquos quis neſcit auos? quis neſcit amorem
Quo colit egregios hæc domus ampla uiros?
Et tamen hoc equite inſigni domus ipſa, piosq́;,
Splendida, ſplendidior, quis mihi credat? erit.
Hanc eques eximius dextra donante, Poëtis
Materiam ſacris Aeganus ipſe dabit.
Lambertina domus tota cantabitur Vrbe
Aeganus in Vatum carmine ſemper erit.
Concurrent omnes celebres hinc inde Poëtæ
Per fora, perq́; uias carmina docta fluent.
Mulcebunt terras totum diſperſa per orbem,
Mulcebunt triplicem carmina noſtra Iouem.
Qui tibi gratentur, tua quiq́; palatia uiſant
Aegane, magna etiam non capit ipſa domus,
Conueniunt iuuenes omnes, natiq́; patresq́;,
Longæui ueniunt ore tremente ſenes.
Felſina nobilium mater generoſa uirorum
Gaudet, & effuſo te petit ipſa gradu.
Conueniunt omnes, ſic optant protinus omnes,
Hic tibi ſit longe poſteritatis honos.

*Qui tibi gratetur, tua quiq; palatia uiſat*
*Aegane, non parui ponderis unus abeſt,*
*Vnus abeſt certe, qui te ueneratur, amatq;,*
*Quiq; cupit laudes commemorare tuas.*
*Codrus abeſt, Codri non eſt ſpernenda facultas,*
*Cum Phœbi toto pectore numen habet.*
*Hic quoq; conueniet, poſtquam ceſſaueris ambas*
*Nobilibus palmas exhibuiſſe uiris,*
*Et tibi ſe, Muſasq; ſuas, totumq; dicabit*
*Pegaſon, & quicquid Delphica laurus habet.*
*Quicquid habet Libetrus aquæ, Permeſſus, Hyante,*
*Quicquid Pirene, defluet omne tibi.*
*Tu precor interea capias hæc carmina uultu,*
*Quo triſtes animos exhilarare ſoles,*
*Carmina perpetuum quæ teſtificentur honorem,*
*Quem tribuit meritis Felſina tota tuis.*

## De ſua Aegrotatione.

*SExta ferè numerare meos finiuerat annos*
*Hebdomas, & luſtris addere luſtra meis.*
*Ecce uenit magno febris nocturna furore,*
*Et male defenſos occupat illa ſinus.*
*Territus, ô dixi mala ſunt hæc omnia.nanq;*
*Hei mihi, natalis nox erat illa mei.*
*O mala ſors, non æqua bonis, ego mœſtus acerbum*
*Natalem cogor ſic celebrare meum?*
*Quem multis epulis multisq; ſodalibus, æquo*
*Par fuerat nobis carpere poſſe Ioue.*
*Durandum eſt ſtrictis humeris, ſed cætera lector*
*Accipe non iuſtis & miſerēre malis.*
*Frigida uæmenti primo quatit oſſa tremore,*

Mox

*Mox mea flammato ſtipite membra coquit,*
*Nunc uideor Scythicis totus ſummerſus in undis,*
*Nullo igni gelidas pellere poſſe niues:*
*Nunc uideor Siculæ medijs in faucibus Aetnæ*
*Ardores nulla pellere poſſe niue.*
*Nec mora, nec requies uexatos ſubleuat artus,*
*Non leuis in tenero culcitra ſtrata thoro.*
*Affer aquam, exclamo, ſiccataq; prolue labra*
*O puer, & miſero ſi potes affer opem,*
*Affer opem, & calidum lymphis extingue uaporem,*
*Quem creber ſicco ſpiritus ore uomit.*
*Nil prodeſt fauces coctis profundere lymphis,*
*Nil profunt denſa mota flabella manu.*
*Vror, & accenſo ſudor de corpore manat,*
*Ignibus ut magnis cera propinqua fluit.*
*Accedit cordis dolor, & præcordia flatu*
*Tenta dolent, oculos lux tenebroſa premit.*
*Temporaq; ipſa nocent, anno nox una uidetur*
*Longior, & ſeclo longior una dies.*
*Peſtifer autumnus pluuia modo corpora iugi*
*Afficit, & ſoles dat modo, ſed uarios.*
*Defecere mihi uires animusq; colorq;,*
*Nulla fuit toto corpore pulpa meo.*
*At non defecit Bacchi ſapor, optimus ille*
*Aſsidua mulſit pectora feſſa ſiti:*
*Sed non pura mihi miſero ſorbere licebat*
*Pocula, cum coctis illa dabantur aquis.*
*Bacche pater Phœbo melior. nam debuit ille*
*Corpore de noſtro pellere turpe malum,*
*Tu non dedignans Acheloia pocula, ſemper*
*Fouiſti miſerum corpus odore tuo.*

*Aſsiſtunt, fratesq́; mei ſolamina præbent,*
*Atq́; Meduſæi fontis amica cohors,*
*Hos inter uertit, feſtinat, & omnia cernit*
*Maſſerius medicæ nobilis autor opis,*
*Hic ætate uirens, ſenior uirtute, Galenus*
*Alter & Hippocrates, ſi modo uiuat erit.*
*Hic igitur quid mota frequens arteria ſignet*
*Tentat, & urinæ qui color ante notat,*
*Mox ait, extimeas nihil ô bone Codre, diebus*
*Crede mihi, paucis me duce liber eris,*
*Liber eris certè, me reſpice, noſtra trecentos*
*Sanauit nullo deſpereunte manus.*
*Protinus è gelidis irrorat corpora ſuccis,*
*Vt facilem inueniant pharmaca danda uiam.*
*Inde parat tremulo madefacta epithemata cordi,*
*Et ſtomacho amiſſas unguine reddit opes.*
*Mox immittuntur duram clyſteres in aluum*
*Qui regerunt ſiccas uentre crepante pilas.*
*Sic aliquot ſoles me curat, & inde bibuntur*
*Quæ pellant totam pharmaca amara luem.*
*Pharmaca traxerunt flauam cum phlegmate bilem,*
*Et ſordes cauſam principiumq́; mali.*
*His actis facies febris ſe uertit in omnis*
*Et pelli à capto corpore mœſto dolet.*
*Tertia quæ fuerat, modo ſe facit hemitritæum,*
*Aſsiduo nunc me lenta calore coquit.*
*Sic Proteus uarias celebrat ſumere formas,*
*Sentiret nodos cum Menelaë tuos.*
*Tandem feruor abit paulatim, membra reſurgunt*
*Paulatim, & ſicco cedit ab ore ſitis.*
*Oraq́; quæ fuerant exanguibus æqua figuris,*

*Iam poterunt uiuis dicier æqua genis.*
*Ille igitur Stygias qui iam properabat ad undas*
*Codrus, & horrebat Porthmea, uiuit adhuc?*
*Certe uiuit adhuc, uiuetq́; in tempora longa*
*Huic dum Maſſerius fidus amicus erit.*
*Quin hæc uita dabit nomen ſine fine Poëtæ,*
*Qui ſua poſt etiam buſta ſuperſtes erit.*
*Nanq; ea componet, uertet, cantabit, ut omnis*
*Poſteritas prompta ſumpſerit illa manu.*
*Quæ te digna ſatis, uel quæ ſatis ampla dabuntur*
*Præmia Mæonijs uir memorande ſonis?*
*Vix bene ſpirantem qui ſanauiſſe Poëtam*
*Diceris, & Muſis reſtituiſſe ſuis.*
*Hoc eſt maius opus, quam ſanauiſſe trecentos*
*Illuſtres alia qualibet arte uiros.*
*Sunt hominum Vates, ſunt ornamenta Deorum,*
*Sunt Vates ſummis proxima cura Deis.*
*Fracta Coronides Theſidæ membra coëgit*
*Amiſſum medica dote uidere diem:*
*Idem Cretæum luci dedit Androgeona,*
*Quæ laus eſt tales reſtituiſſe uiros?*
*Alter erat uenatór, erat luctator & alter,*
*Si precium cupias noſcere, neuter habet.*
*Qui ſanant Vates, ipſos ſanare uidentur*
*Cœlicolas, ſani præmia Vatis habes.*
*Vnde petam cauſas tantæ uirtutis, & undé*
*Maſſerio iuueni gratia tanta uenit?*
*Vt tam felici morbos depellere cura*
*Poſsit, & in paucis ferre diebus opem?*
*An quia dum luci datus eſt, horoſcopus illum*
*Felix felici ſuſtulit arte uirum?*

*An quia naſcentem puerum fortuna benigno*
*Dicitur arridens ſuſtinuiſſe ſinu?*
*Non tamen hoc etiam prudenti mente negarim*
*A Ioue, qui præſtat cætera dona, datum.*
*Nectareum forſan carmen miratus Apollo,*
*Quo ſe Maſſerius paſcere ſæpe ſolet.*
*Vt tribui citharam, nunc artem trado medendi*
*Inuentum dixit clare Poëta meum.*
*Ingenio fortaſſe ſuo ſibi tale parauit,*
*Quod foret humanis utile rebus opus.*
*Quod multis creuit lectis hinc inde magiſtris*
*Et multa Cereris, Thyrſigeriq́; fuga.*
*Ornarit quodcunq; gradu te Balthaſar iſto,*
*Obligat æternum ſe mea Vita tibi.*
*Et ſi quid gratum quondam tibi contigit à me,*
*Te fateor decuplum reſtituiſſe mihi.*
*Quod mea teſtatur iam per te Vita ſuperſtes,*
*Et quæ de tenui carmina fonte fluunt.*
*Tu maiora leges, mihi cum merſare licebit*
*Iampridem uetito plenius ora mero.*

## Lamentatio ad lectum in quo expira uit, Sinibaldus Ordelaphus.

*LEctule redde meũ mihi Regem, lectule redde,*
*Quem tibi ſanandum nocte dieq́; dedi.*
*Redde precor, lacrimisq́; meis miſerere per illa*
*Oſcula, quæ aſſidue do tibi, figo tibi.*
*Non habeo, dicis. uideo. ſed credita pulchrum eſt,*
*Scilicet oranti dicere non habeo?*
*Siccine depoſitum uis reddere? proditor & tu*
*Eſſe cupis? patimur iam ſatis atq; ſatis.*

Ne mi-

Né miſero lachrimas, ne pœnam iungere pœnæ
  Ne'ue uelis damnis addere damna meis.
Ni reddis, meritas patieris perfide pœnas,
  Quicquid & irati mens dare dira poteſt.
Culcitra te primum pedibus calcabo lutoſis,
  Vnguibus hinc faciam fragmina mille meis.
Flammæ infelices tua puluinaria carpent,
  Et carpent morſu lintea tota ſuo.
Tomentum, plumæ, ſpondæq; & ſcamna, ſcabella
  In flammas ibunt perfide lecte ſuas.
Peius ad hæc faciam, mox execrabere noſtris
  Carminibus, tibimet tunc inimicus eris.
Nulla tibi requies, nunquam mens gaudia ſumet,
  Sero tuæq; dolens proditionis eris.
Et meritò, quia nil peius quam fronte carere,
  Et canam obliqua fallere mente fidem.
Hei mihi, nec lachrimæ, nec uerba precantia proſunt,
  Peccantem retrahunt nil pudor atq; minæ,
Quid faciam? quo me uertam? quis ſabitur illa
  Verba, quibus Prætor dicere iura ſolet?
Antoni fruſtra quereris, non lectulus iſta
  Damna dedit, culpa lectulus iſte uacat.
Si tibi de manibus rapta eſt tua ſpesq; ſalusq;
  Culpa alio uerbis eſt referenda tuis.
Fata regunt orbem, Deus his ſua numina ceſſit,
  In quorum manibus terra fretumq; manent.
Quod placet his ſanctum eſt, fieriq; repente neceſſe,
  Seu fas ſiue nefas, ſi placet illud erit.
Num ne recordaris moriens, quæ uerba locutus
  Rex tuus? heu magni uerba Maronis erant.
Ne fle præceptor, non hæc ſine numine Diuûm

*Eueniunt, quid tum quando ſepultus ero?*
*O dulcis puer, ô dulcis Rex, dulcia uerba,*
*Verba meum pectus quæ ſine fine premunt.*
*Non tamen imperij moriens Sinibalde uolebas*
*Tam cito, tamq; puer linquere ſceptra tui.*
*Ne fortuna tuos ſine ſpe iactaret amicos,*
*Turpe uidebatur nil tribuiſſe tibi.*
*Nam mea nunc teneris ſtringebas colla lacertis,*
*Sic quaſi nil poſſent fata nocere tibi:*
*Et modo poſcebas cordi medicamina feſſo,*
*Et modo poſcebas pocula grata tibi.*
*Ante tuam mortem mihi Punica uerba ſalutem*
*Dixerunt riſu commemorata tuo,*
*Luſiſti mecum iactis hincinde figuris,*
*Quas uarias Regum picta tabella gerit,*
*Hic uictus uinci gaudebam, tu quoq; uictus*
*In præceptorem uerba iocoſa dabas.*
*Hei mihi cur memoro quæ ſunt mihi uulnera mille,*
*Quæ fodiunt noſtrum parte ab utraq; iecur?*
*Amiſi Regem, ſpem, præmia, uota, ſalutem:*
*Amiſi uitæ gaudia tota tota meæ.*
*Diſcipulum amiſi, cuius mihi gratia pura*
*Talis erat, qualem non reperire datur.*
*Carior argento, fuluo mihi carior auro,*
*Delitijs animi, gratia maior erat.*
*Tot bona quã celeri mihi ſunt erepta rapina?*
*Optima tot ſpacio quam periere breui?*
*Quid ſolus faciam ſine Sinibalde? relinquor*
*Sic ego? diſcipulus quis mihi talis erit?*
*Quis tam canonicè mecum per ſacra litabit*
*Numina? tam ſancto quis dabit ore preces?*

*Qui cum tam caſtè tam ſanctè, tamq́; pudice*
*Dormiet in caſto mens mea caſta thoro?*
*Qui cum cœnabit, qui cum bona prandia ſumet*
*Tam mea cum caſtis ſobria Muſa iocis?*
*Quis uerſus noſtros releget, laudabit, amabit*
*Voce, animo, quali tu mihi iunctus eras?*
*Qui duce te primis potuiſſem hærere Poëtis,*
*Separor à toto nunc Helicone miſer.*
*Nec Phœbus, nec quas coluiq́; coloq́; Camœnæ*
*Reſpiciunt ſerui uulnera dira ſui.*
*Sola manet mecum longos deſciſſa capillos*
*Aßidue madidis flens Elegia genis.*
*Vno deſignant alij ſua damna lapillo,*
*Tota lapillorum non mihi maſſa ſat eſt.*
*Lectule ſi noſtris iratus es optime uerbis,*
*Ignoſcas, non eſt hæc ſcio culpa tua.*
*Iulius in culpa eſt cuius bis nona benignum*
*Abſtulit è terris lux mihi nigra ducem.*
*Lux eadem uobis Fabij fuit atra trecenti,*
*Lux aliæ clades hæc eademq́; dedit.*
*Iuuit peſtiferum male ſana canicula fatum,*
*Et culpæ partem Sirius ater habet.*
*Infenſus ſiluis, infenſus Sirius agris*
*Igne uiros ſacro ſtrangulat atq́; feras.*
*O crudele nefas, puerilem rumpere uitam*
*Qui Princeps, & de Principe natus erat,*
*Qui bonus ingenio, uerbis mitißimus & re,*
*Munificus modo quod traderet eſſet, erat.*
*Pine pater patriæ charum quo tempore natum*
*Liquiſti? tibi quo bella docendus erat,*
*Quoq́; docendus erat ſplendenti clauſus in ære*

*Tutari ualida ſeq; ſuosq; manu,*
*Quoq; docendus erat ciuem diſcernere ab hoſte,*
*Et cui quiſ'ue modus ſceptra tenenda daret.*
*Ante annos quanquam curas, animumq; uirilem*
*Geſtaret, fieret doctior inq; dies,*
*Sed tibi uiuenti ſi quis dixiſſet in arce*
*Quam condis, puer hic pine ſepultus erit.*
*Nanq; ſtatim poſt te fatis rapietur iniquis*
*Et nato tumulum ſic bone Pine facis?*
*Quid tibi tunc animi dicas dux Pine fuiſſet?*
*Hæc tibi uera uelim dicta fuiſſe putes.*
*Tale rarauiſſet nunquam tua cura ſepulchrum,*
*Quin factum potius tale ruiſſet opus.*
*O cæcas hominum mentes, ô uana futuri*
*Conſilia? ô finis neſcia corda ſuæ*
*I nunc, & muros & celſas extrue turres,*
*Inſanis foſſæ fac repleantur aquis,*
*Illic & ſulphur, nitri quoq; congere uires,*
*Omneq; quo poßit fortior eſſe locus.*
*Vt cum ſperaris requiem, tunc omnia tecum*
*Momento pereant fabricata breui.*
*Quid tibi cum gemmis cumulatum profuit aurum?*
*Quid nato foßis arx bene cincta tuo?*
*Nec te nec natum morti potuere uetare.*
*Iſta tuum rapidis dilacerata notis.*
*Filius intrauit ualidam Sinibaldus in arcem,*
*Tempore quo nec mores, nec tibi uita fuit,*
*Surgeret irata ſi forte tumultus in Vrbe,*
*Tutus ut à telis uulneribusq; foret.*
*Ille quidem potuit ciuilem uincere motum*
*Non potuit fuſos uincere Parca tuos.*

*Morte doles nati forſan iuſtiſsime Pine,*
*Ipſe dolet, mecum maxima turba dolet,*
*Cuius cum totam fuerit mors ſparſa per Vrbem,*
*Ordelaphi fratres triſtia fata gement.*
*Nam ſcio laudantur mites, & ſi quid ab illis*
*Peccatur, populi ſeditione fit hoc.*
*Mors igitur talis cum ſit ploranda uel hoſti,*
*Cuius ſæpe tuo fregeris enſe caput:*
*Illa tamen uobis reſtant ſolatia, quòd non*
*Occidit é ueſtris pars bona tota bonis.*
*Fama manet Pini longum uictura per æuum*
*Factis nota ſuis carminibusq; meis:*
*Illud idem Sinibalde tibi mea carmina reddent,*
*Et facient mortis damna minora tuæ.*
*Tempore ſed paruo uixi: ne reſpice tempus,*
*Sed fueris quo tu ſemper honore puer.*
*Forliui Princeps natus de Principe patre*
*Inter honoratos quem locat haſta Duces.*
*Et ſucceſſorem patris uiuente parente*
*Quartus te fecit Xyſtus in Vrbe ſua.*
*Poſt patris occaſum populus clamore uocauit*
*Te tuus, & Xyſtus contulit illud idem,*
*Vigintiq; dies tua poſt incognita fata*
*Dixit io Princeps arx Sinibalde tua,*
*Hoc populiq; forum cum lætis dixit amicis,*
*Non alium quam te qui uoluere Ducem.*
*Hæc habuiſſe tibi laus eſt puerilibus annis,*
*Magna lyræ magnis & celebranda ſonis.*
*Sed rogo te ſerues animo mea carmina puro,*
*Ne tibi Lethæa dimoueantur aqua.*
*Viuus eram tecum, nil mors me diſtrahet à te,*

*Dum uiuam, tecum mortuus eſſe uolo.*

## Ad Phœbum Lamentatio, cum obſideretur in arce Forliuij.

*PHœbe tui uates ubi ſunt? ubi plectra lyræq;,*
*Cuncta uides, audis omnia, ſcire licet.*
*A cirra duo ſunt ſemoti tempore longo*
*Et ſpacio, comites ſunt labor atq; dolor.*
*Reſpice Phœbe precor, Forliui triſtia fata,*
*Quis credat? Vates arx habet iſta duos.*
*Sed quid agunt? miſeri longa obſidione Poëtæ*
*Cinguntur, clauſos hoſtis iniquus habet.*
*Carolus hic ductor Planienſis nomine Xyſti*
*Pontificis miſſus ſæpe per arma canit.*
*Hic ego diſcipuli, quo non mihi charior alter*
*Crede, fuit, nec erit, triſtia fata gemo.*
*Parnaſſi ſcio nunc rides de uertice, noſtrûm*
*Materiamq; iocis præbet uterq; tuis,*
*Saltem ego cui nunquam placuit bellare, ſed ortus*
*Carolus armatos dicitur inter equos.*
*Hoc meruere pij Vates, ha mitis Apollo*
*Reſpice me, iuris ſunt quoq; bella tui.*
*Quæ pro Troianis ſcimus, proq; Hectore forti*
*Geſſeris, & dextra bella peracta tua.*
*Quid rides? forſan credis potemus acetum,*
*Vulſaq; de rigido ſit cibus herba ſolo:*
*Non ita, nam nobis Bacchus ſua uina miniſtrat*
*Optima, dat fruges & ſua dona Ceres*
*Terga ſuum nobis præbent carnaria plena,*
*Et nobis præbet pocula munda Thetis.*
*Dat Venus ipſa ſuas nobis Erycina palumbes,*

X Noſtra

*Noſtra cohortales area paſcit aues.*
*Hic ſalis hic Pharij ſeruatur copia aceti,*
*Hic ſua bellatrix munera Pallas habet.*
*Non opus eſt arctis ſtringantur corpora zonis,*
*Non opus eſt piſtor Iupiter arte tua.*
*Nil deeſt, nec deerit donec prudentia Pici*
*Principis, & Princeps & caput arcis erit.*
*Hoc tantum queritur Nates, quod longius ire*
*Atq; frui campo liberiore nequit.*
*Libertate frui, liber ſolet eſſe Poëta:*
*Vatibus & ſacris quiſq; fauere ſolet.*
*Quod genus hoc hominum clauſos odiſſe Poëtas*
*Nunc patitur? fiunt hæc mala Phœbe tibi.*
*Ingenium ſolers, & mens diuina Poëtæ*
*Inter tot ſtrepitus triſticiamq; perit.*
*Quis uitare queat contortæ uerbera fundæ?*
*Quis uitare queat ſcorpio tela tua?*
*Quis ſufferre queat, cum puluere pulſa repente*
*Sulphureo turres ſaxea pila quatit?*
*Non tanto fertur Nili cataracta fragore*
*Ire, nec ætherea tam ſtrepit arce Deus.*
*Imbriferæ geſtant cum ſola tonitrua nubes,*
*Aut cum de cœlo fulminis ira ruit.*
*Aut igitur Pæan fac ſit uictoria noſtra*
*Quamprimum, poſſum non ego ferre moram:*
*Aut tuus ille bonus quondam mitiſq; ſacerdos,*
*Nunc duri miles Martis acerbus erit,*
*Non metuet ferrum, non uulnera ſæua, nec ipſam*
*Si ruat in terras machina tota poli.*
*Et punctim & cæſim gladios torquemus in hoſtem,*
*In quacunq; acie ſcimus habere manum:*

Teuto-

*Teutonico ritu ſcimus torquere Cateias,*
*Et nudare leui Gallica gæſa manu,*
*Pilaq; Romano & Macedûm de more Sariſſas*
*Scimus, & agreſtes agglomerare ſparos.*
*Ne deſint ſegetes, ne deſit copia lymphæ,*
*Nouimus in tuto ponere caſtra loco.*
*Mars Gradiue faue, poſtquam me ſpernit Apollo,*
*Si modo non ſpernis tu quoq; facta mea,*
*Pro nihilo pendis ruere in certamina Vates?*
*Ne mirum. Vates Amphiaraus erat.*
*Tirtæum noſti uictoria quanta ſecuta eſt,*
*Hanc habuit Vates uerſibus ille ſuis.*
*Orpheus in ſæuos comitatus Iaſona Colchos,*
*Deſcripſit forti bella peracta manu.*
*Deniq; ne uidear ſubita commotus ab ira*
*Phœbe dies tantum tres tuus eſſe uolo,*
*Et ſemper, ſerui precibus ſi faueris æquis:*
*Sin minus, aduerſi Martis amicus ero:*
*Et ſine te faciet ualidis Antonius armis*
*Seruabitq; breui ſeq; ſuosq; die.*

## Ad Galeatium Bentiuolum.

*MAgnanime ô Præſul, ueterum qui clara uirorum*
*Facta cupis ſuperare tuo dum amplecteris omnes*
*Virtutes animo, cur caſſum uoce Poëtam*
*Iamq; ſeneſcentem rurſus cantare laceſſis*
*Et ſtimulas, cogisq; etiam cum ſubijcis illi*
*Nunc hoc nunc illud præclarũ, & carmine dignum.*
*Cur potius feſſum placidæ date membra quieti*
*Non ſinis? & curam hanc aliò deflectis, ubi te*
*Delectent, meliore replet quos numine Phœbus.*

*Sed tandem quid ferre tibi mea carmina poſſunt*
*Nominis? aut Vates ſitiens, rancusq́;, ſenexq́;*
*Et Codrus præſtare poteſt? tuis facta parentis,*
*Bentiuolæq́; domus referam laudesq́; decusq́;?*
*Non eſt æqua meis hæc uiribus optime Princeps*
*Materies, cuius tanto ſub pondere greſſus*
*Deficerent. etenim cum iam robuſtior atq;*
*Iunior Hannibalis modulari prælia fratris*
*Cœpiſſem, primo defeci in limine, nec me*
*Ad metam titubante gradu perducere quiui.*
*An ſtudia, & mores, & linguæ dona diſertæ,*
*Munificasq́; manus, reliquasq́; ex ordine dotes,*
*Atq; animi decora alta tui uis carmine dicam?*
*Hæc maior multoq́; minus prouincia noſtris*
*Suſcipienda humeris, alium tibi quære tuisq́;*
*Laudibus aut oris ſemper cantantis Homerum,*
*Aut huic forte ſtylo non inferiore Maronem*
*Perſimilem. Validam manibus dum ſcindere quercum*
*Per deſerta Milo tentat loca, præda ferarum*
*Heu miſeranda fuit, uolucer dum gaudet in alta*
*Icarus ire nimis, ſubiectas ebibit undas.*
*Fors leuiora petis, nec ubi ſit Apolline multo,*
*An Helicone opus, aut Muſis certantibus altos*
*Effudiſſe ſonos: iam iam cupis ut tuus in me*
*Magnus amor pateat cunctis, qui nota frequentant*
*Muſarum delubra uiris hederamq́; tulerunt*
*Frontibus, & totum ſpargunt ſua uerba per orbem.*
*Hoc ego non nolens faciam fortaſſe meisq́;*
*Carminibus, quod poſſe prius præſtare negaram,*
*Notus erit populis non quos Oenotria tantum*
*Diues alit, ſed quos terris circunfluus ambit*

*Oceanus. Quis nam credat, nos turba Poëtæ*
*Ambitioſa ſumus, nimium gaudemus amari,*
*Principibusq; placere uiris, digitoq; latenter*
*Monſtrari. Viden' ut placeat ſibi paucula Vates*
*Carmina ſi populo dederit ſcribenda probanti?*
*Nil mirum. gaudent omnes hominesq; feræq;*
*Succeſſu rebusq; bonis. exultat habenas*
*Cum ſonipes uidet ipſe nouas, & miles in arma*
*Lætior it, radios Phœbi thorace repulſos*
*Si cernit. pueri molles, teneræq; puellæ*
*Gaudent, hæ Pallas, illi oſtentare lacernas.*
*Cur ego non læter? cur non mihi gloria? ſi me*
*Me quoq; Bentiuoli dignantur noſcere fratres.*
*Et noſtros audire ſales dum quærimus ipſi*
*Antiquum uerbis Plautum renouare facetis,*
*Audite ô patrij ciues, populiq; propinqui*
*Et quos à nobis montes fluuijq; lacusq;*
*Seiungunt, ſeu uos Tarteſia littora cingunt,*
*Seu Libyæ deſerta ſiti, ſeu Parraſis urſa.*
*Vos facit aduerſi patientes uiuere cœli,*
*Seu uos incolitis Nabathis proxima regnis*
*Littora, qua pulcher Ganges, qua gemifer Indus*
*Præterit. & faciunt felicem thura Arabarchem.*
*Bentiuola de ſtirpe ſatus, patrisq; ſecundum*
*Lumen, & alter amor Galeatius, umbo pudoris,*
*Flos iuuenum, & famæ nunquam pereuntis amator,*
*Qualiacunq; ſui dignatur noſcere Codri*
*Carmina, & emunctis illum annumerare Poëtis:*
*Me retractam licet, ille uocat, dextraq; prehenſum*
*Siſtit, & audacem uerbis me reddit amicis.*
*Non mea nunc primum, liceat ſi dicere magnis*

Princi

*Principibus, ſit nota fides. nam tempore longo*
*Ordelaphis placui ducibus natoq́; patriq́;,*
*Poſt obitus quorum forti concluſus in arce*
*Ipſe meos caſus, & Regum fata gemebam,*
*Sed duo me aflictum luctuq́; extrema dolentem*
*Seruauere Duces, Federicus gloria celſi*
*Vrbini, & bello inſignis Malateſta Robertus,*
*Cuius adhuc uirides teſtatur Roma triumphos.*
*Hic natum de ſe ingenioq́; animoq́; reliquit*
*Præſtantem, magno qui non minor eſſe paren^{te}*
*Te nec auo Siſmunde uolet, fulgentibus armis,*
*Seu pedes iratum, ſeu celſus uadet in hoſtem.*
*Nunc fama patris, & pueri ſimul indole captus*
*Bentiuolus Princeps generum ſibi fecit, & ille*
*Gaudet pro magno ſocerum coluiſſe parente.*
*Nunc ad me ut redeam Præſul iucunde, merenti*
*Quas grates referam tanto dignatus amore?*
*Cui uix exundans Diuini flumen Homeri*
*Sufficeret, ſeu uox Veneti facunda Poëtæ.*
*Hoc tantum optabo, liceat mihi cernere: ſed mox*
*Te maiore gradu ſubnixum præmia ſanctæ*
*Virtutis, fructusq́; tui cepiſſe laboris,*
*Vt maiore lyra uarioq́; expromere cantu*
*Læticiam, & tanti cordis noua gaudia poſſim,*
*Qualem Pindaticæ quondam fudere Camœnæ.*

## Ad Pinum Ordelaphũ metapempticon.

*Luna ſagittiferi iam bis ſoror aurea Phœbi*
*Noctiuago totum curru luſtrauit Olympum,*
*Ex quo Pine tua Princeps reuerendus ab Vrbe*
*Ceſſiſti, procul eq́; tuo fuit inclyta uiſu*

*Liuia Tyrrhenos cum tu tranſcendere in agros*
*Iuſſus, & armatas acies inferre rebelli*
*Tipherno, & dictis ſummi parere neganti*
*Pontificis, rerum elegit qui tradere ſummam*
*Imperio Dux magne tuo: tu prouidus illic*
*Caſtra locas ipſis non longe à manibus, & te*
*Aßidue oblatum pugnæ, ſtrageſq; ferentem,*
*Terga fugæ uerſus celeri tremit anxius hoſtis:*
*Non te ullæ terrent acies, non ſpicula, non quæ*
*Immenſo ſtridet contorta Falarica nixu.*
*Tu modo progreſſos hoſtes impellis in Vrbem,*
*Nunc cum ſuccinctis legionibus igne repenti*
*Munimenta rapis, uictorq; incendia miſces.*
*Talis in Argolicas puppes Priameius Hector*
*Accelerante manu tædas ignemq; ferebat:*
*Talis erat magnis Alcides uiribus uſus,*
*Laomedonteam cum ui proſterneret Vrbem:*
*Talis erat ſummi Regnator maximus orbis,*
*Cum Pallenæos diſiecit fulmine fratres.*
*Telorum interea uis tanta cadebat ab Vrbe*
*Hoſtili, quantam uim grandinis ater Orion*
*Excitat, Oleniæ ue aſtrum pluuiale capellæ:*
*Hoc tamen à cœpto diſcedis non niſi uictor*
*Dux Antoniade, ſic te iuuat Ordelaphorum*
*Nomen ab aurora Herculeas tranſmittere Gades.*
*Dic, age, reſponde Princeps mitißime, dum ſic*
*Bella geris, dum te à nobis uia longa reducit,*
*Nunquid te noſtri cepere obliuia? nunquid*
*Vlla tui Vatis reſidet pia cura penes te?*
*Ah noſtrum meminiſſe uelis clypeoq; parumper*
*Depoſito, patriam uiſas, & gaudia mœſtis*

*Aduentu*

*Aduentu fer Pine tuo: quæ namq; uoluptas*
*Huic Vrbi ſine te eſſe poteſt? Sinibaldus imago*
*Vera tui, & patriæ iam nunc uirtutis amator,*
*Cui cum maturos ætas impleuerit annos,*
*Claudere bifrontis Iani & reſerare licebit*
*Limina: te expectat, ſtringiq; per oſcula paruus*
*A magno genitore cupit, te mobilis ætas*
*Atq; ſenum matura cohors expectat ad unum.*
*Expectate ueni, iam iam remeare licebit*
*In bellum, ualidis contundere uiribus hoſtem.*
*Si tibi non niſi cum parto rediſſe triumpho*
*Eſt animus dextro. quod Dij precor, omne firment:*
*Vince quidem, ſed uince celer, maturaq; prome*
*Conſilia, & pilis iam iam muralibus Vrbem*
*Ipſam ſterne ſolo, uictorq; ex hoſte ſuperbo*
*In patriam ſpolia ampla feras, ut diuite præda*
*Mercurialeos poſtes ornare queamus.*
*Quando erit illa dies, qua te poſt prælia tandem*
*In patriam remeare patris clementia Syxti*
*Concedet? longeq; omnis prodibit ab Vrbe*
*Ipſe tua populus promptus ferre obuia corda,*
*Atq; tui cupiens partem tetigiſſe triumphi?*
*O ego quam felix? ô quæ tunc carmina fundam*
*Martiaco modulata ſono, ſtrepituſq; fragorq;*
*Horridaq; arma meo tunc uerſabuntur in ore:*
*Tu tamen interea Ductor fortiſſime uince,*
*Atq; tibi, rebuſq; tuis cognoſce fauentes.*

## Ad Pinum Ordelaphum.

*ECquis actutum iuuenes uirenti*
*Nunc meos crines hedera coronat?*

Quis nouas aras properat recenti
 Cingere ſertò?
Currat hic pura, calicesq́; lympha
Afferat terſos, alius lagenam
Cum mero, centum faber hic inauret
 Cornua bobus.
Tu puer ſalſis ades irrigare
Frugibus cultros, quis erit minuta
Qui ſacro recte ueribus parato
 Torreat exta?
Ore feſtiui ac animis fauete
Vos precor, ciues; ego nulla Phœbo
Sacra facturus, neq; dithyrambo
 Credite, ueni.
Ecce uictorem dominum uidetis,
Hic hic eſt pro quo reduce apparaui
Et Deo ſoli, & patriæ patrono
 Mercuriali.
Ecce quem ſummis precibus uocaſtis,
Ecce iam tandem manibus tenetis
Principem ueſtrum, duce quo reuerſus
 Fulgor in urbem eſt.
Ecce iam cernis Sinibalde patrem
O puer tanto genitore digne,
Et triumphanti teneris labellis
 Oſcula libas.
Victus à nullo tibi cedit hoſte,
Et ducem magnum pietas retundit.
Quanta te cenſes animo paterno
 Gaudia ferre?
Tu duces inter numerande priſcos,

Pine

*Pine qui forti ualuere pugna,*
*Quo nihil maius, meliſúue nobis*
*Fata dederunt.*
*Hunc tuos paruum gladios docebis*
*Atq; ſublato fera bella campo,*
*Illa præſertim recoles ſub Vrbe*
*Geſta Tipherno.*
*O deus noſtri generis redemptor,*
*Tuq; Forliui pater atq; cuſtos*
*Ducite in longum reſecramus æuum*
*Gaudia noſtra.*
*Imperij fines bene ſi meremur,*
*Tendite, & noſtri facite ut ſeneſcant*
*Principes, natusq; paterq; prudens*
*Numine dextro.*

## De Ioanne Marſilio Odā.

*AVdijt Vatis pia uota tandem*
*Fulminis clemens dominus triſulci*
*Déque ſtellantis tonuit ſereno*
*Vertice cœli,*
*Ille cum felix eques & benignus*
*Et ſacras totus redolens Camænas*
*Natus è clara celebriq; ſtirpe*
*Marſiliana,*
*Eſt ſenatorum numero receptus,*
*Liberum qui ius patriæ tuentur,*
*Atq; in antiquas reuocauit ædes*
*Patris honorem.*
*O dies uere mihi feſte ſemper,*
*O dies alba numerande gemma,*

O dies

*O dies noſtris decus additure*
*Nobile faſtis.*
*I puer, noſtros celer & libellos*
*Affer & lucem hanc merito decore*
*Septimam auguſti celebra, tulit quæ*
*Gaudia tanta.*
*Nunc io Muſæ uirides choreas*
*Quis uetat uobis glomerare ſaltu?*
*Quis uetat miſſo ſuper aſtra cantu*
*Findere cœlum?*
*Bacche quid reſtas? uenias & euoe,*
*Turba Bacchantum ueniatis euoe,*
*Vos uocat ueſter madidus Poëta*
*Ad ſua feſta.*
*Phœbe quid reſtas? pudeat uocari*
*Ad tuas partes, citharam ſonorus*
*Sume, quæ quondam cecinit furentum*
*Bella Gigantum.*
*Vosq; qui ueſtras hedera ſequaci*
*Comitis frontes, ubi ueſtra ceſſat*
*Barbitos? quæ tot ſolet ebrioſa*
*Reddere uoces?*
*Pone paulſper rigidum Thyeſtem,*
*Pone pauliſper facilem Charinum,*
*Pone qui molles agis ô Poëta*
*Candidemimos.*
*Huc refer totas bene munerandus*
*Ingenij uires. Eques iſte clarus*
*Hæc duo in primis patriam & Poëtas*
*Ornat & auget.*
*Laus patri Baccho iuueniq; Phœbo,*

*Laus*

*Laus Deîs cunctis ſimul & Deabus,*
*Laus ſit & noſtris partibus, ducíq́;*
*Bentiuolco.*
*Non querar poſthac hominum malorum*
*Perditos mores, ego nec timebo*
*Iam famem diram, neq; bella tanto*
*Præſide fultus.*
*Nunc licet uaſti maris, & iacentis*
*Arua metiri ſpacioſa terræ,*
*Nunc licet lento mihi noſcitare*
*Sydera cœli.*
*Cur queat totum tenebrare fratrem*
*Quæ minor multo eſt ſoror: unde noctes,*
*Nunc dies ipſos ſuperent, minores*
*Ante pareſq́;.*
*Cur pigret curſu modico Bootes,*
*Colla cur uelox aries reflectat,*
*Cur genu nixum maneat ferocis*
*Herculis aſtrum.*
*Nunc & herbarum penitus figuras*
*Colligam cunctas, Amaranthus hic eſt*
*Ille Narciſſus: ſapere hæc coëgit*
*Prœtidas herba.*
*Hoc refert Vates ſapiens Homerus*
*Eſſe Nepenthes, dedit hoc Lacæna*
*Hoſpiti patrem profugum petenti*
*Siſtere fletus.*
*Hos tuus flores Hyacinthe ſanguis,*
*Hos tuos ſignat miſerande Adoni,*
*His tuum iunxit folijs Achilles*
*Telephe uulnus.*

*Hæc ſatis poſtquam fuerint notata,*
*Dulce complecti lalagen licebit,*
*Nam Venus duros moderata mollit*
*Sæpe labores.*

## Antonij Cod. Vrcei Satyra prima, ad Georgium Iuriſconſultum.

*Ergo ego quid faciam? pugnem'ne? ſed ocia Vates*
*Exquirunt & læta ſuis uiridaria poſcunt*
*Carminibus: de pace autem per ſæcula longa*
*Actum eſt. bella tument, iam iam bella horrida gliſcũt,*
*Hinc Regem, hin Tuſcos cernis ſine more furentes.* ADVER.
*Ne clama his aderit paribus Caducifer alis,*
*Et Dea cui ſacra eſt candente ciconia pluma.* PO.
*Serus erit fruſtráq; labor. nam maximus ignis*
*Hinc atq; inde means nullas exhorret habenas.*
*Caſtellina prius audax, nunc cernua Dauno*
*Iam Regi parêre data eſt: pòſt oppida multa*
*Continuo capiuntur, & incenduntur iniquè,*
*Vſq; adeò ut florens ſit tota Hetruria Regnum*
*Amiſſura ſuum, niſi magni claua trabalis*
*Herculis afflictis opibus ſuccurrat. age eſto,*
*Plurimi habent ſua uota uiri, qui uertier ipſam*
*Italiam, & totum uellent turbarier orbem*
*Cernere: iam cernunt. Vrget confinia Turchus,*
*Turchus atrox Fidei ſanctæ ſæuiſſimus hoſtis.*
*Heu quot magnorum mors Regum dira Ducumq́;.*
*Dic ubi Byzantii iaceat bonus Induperator,*
*Qua nece Bertholdus, dic qua Brunorius, & qua*
*Millia tot peditum atq; equitum periere? quis autem*
*Carole*

*Carole te armatum nuper diſtraxit ab oris*
*Auſonijs? utinam liceat feliciter illic*
*Nobile Bracigenum decus hanc tibi perdere peſtem.*
*Hinc Genua inſtabilis Boium ſibi cuncta iubere*
*Dedignata ducem, multas cum ſanguine multo*
*Roberto duce fregit opes in tecta ruentes*
*Iam ſua, nec modus eſt etiam nunc cædibus illis.* ADVER.
*Scribe igitur fera bella Ducum populiq; Latini*
*Quæ relegãt noſtri iuuenes, ſtupeantq; minores.* PO.
*Bella Ducum ſcribam pluſquam ciuilia? dicam*
*Arma ego, quæ frater contra gerit impia fratrem?*
*Num ne omnes nos una fides, lex una gubernat?*
*Num ſumus in Chriſto fratres? iuſta arma canenda*
*Sunt nobis, quæ dira domant & barbara corda,*
*Quæ crucis auguſtæ ſignum & uexilla tuentur,*
*Me nondum ſatis his reddet maturior ætas.* MILES
*Militiam bone uir reprobas, & ut audio uertis*
*Virtutem uitio, quia te ignorantia fallit.*
*Vt neſcis bona militiæ, nec præmia quanta*
*Ipſa ferat, leges nos ſanctas eſſe fatemur,*
*Fas & iura regunt homines ita nempe: ſed hoſtis*
*Iuſtitiæ ſi quis temerarius impius, exlex*
*Inſurgat, quis iura facit ciuilia ad unguem*
*Seruari? ſi quis gentes iniurijs ultro*
*Vicinas infeſtet, ubi qui tollere poßit*
*Hunc erit? aut ſalem duro frenare lupato?*
*Nempe arma, arma ſuo cogunt ſe quenq; tenere*
*Fine nec alterius ſibi comportare labores.*
*Heus age reſponde, quis rebus maxima mundi*
*Roma caput creuit? Romanos quis Deus egit*
*Supra homines, ſupra ire Deos? nempe arma, paterq;*

*Gradiuus quid Cæſar erat, rubicunda priuſquam*
*Gallia uicta foret? uel Magnus? uel Cleopatræ*
*Frater? uel natus Mithridates? uel ſeu Iuba? uel quos*
*Pompeius genuit? Marij niſi bella fuiſſent.*
*Non totiens unquam repetiſſent nomina Faſti,*
*Mulio Ventidius nunquam trabeatus ad alta*
*Templa Iouis Parthos duxiſſet colla ligatos.*
*Vt taceam ueteres, nunquam niſi bella fuiſſent,*
*Anguigerum tenuis Franciſcus Sphortia Regnum*
*Rexiſſet Ductor, nunquam Picinina fuiſſent*
*Nomina nota, alios ſileo quis lancea nomen*
*Immortale dedit, Mars fortes fortia monſtrat*
*Poſſe pati, nec inerti ſe præbere ueterno.*
*Quo nihil eſt homini peius, nil turpius. ergo*
*Iura dedit Cæſar, Dux prudentiſsimus ipſis*
*Militibus priua ut poſſent caſtrenſia apiſci*
*Viuo patre ſibi, & charo legare ſodali.*
*Hoc Titus, hoc fraterq́; Titi, Diuus quoq; Nerua*
*Traianusq́; bonus, reliquiq́; ex ordine nobis*
*Auguſti ſanxere: legas Digeſta tuorum*
*Auctorum. turpe eſt iſta ignorare docentem.*
*Deniq; quam noſtro ſit tempore magna neceſſe*
*Bella geri cæcus uidet ac exoptat. habet quis*
*Vel miles, uel ciuis ad ipſa obſonia nummos?*
*Ipſa ubi nunc habitas ô Diua Pecunia? Regum*
*Facta Comes, magnæ iam te abſorpſere crumenæ*
*Et cohibent ne diffugias. ô amata duellis*
*Quam debes Regina feris: quæ carcere rupto*
*Te paſsim ſaltare iubent. tunc omnis abundat*
*Argento atq; auro, cum quiſq; ſtipendia miles*
*Debita ſuſcepit. nondum per prælia uires*

Oſten-

*Oſtendit Fortuna ſuas ſi fracta recedet*
*Altera pars, loculos, arcas, fiſcosq́; uidebis*
*Effringi, & latos nummos uolitare per agros.*
*Hoc erit, & iam iam ſic Mars ferus ille minatur*
*Hoſtis auariciæ: ſic ſol lunæq́; labores*
*Vt ueri referunt Vates incognita nobis.*
*Quare ne quæſo in uitium conuerte uiriles*
*Vtilium matres rerum cum nomine pugnas.*
*Sic tibi Centurio, Quæſtorq́;, equitumq́; Magiſter*
*Non odij cauſas in te ſed amoris habebunt.* PO.
*Multa quidem, ſed non peditum de more locutus*
*Strenue Centurio tanquam bona militiai*
*Præmia felicis reprobem, iuſtumq́; duellum*
*Non ignoro etiam per te memorata: ſed illud*
*Aſtutè, quod nulla tibi uel parua malorum*
*Mentio facta fuit, tacuiſti ut bella modeſtas*
*Sæpe coëgerunt gentes ſua tradere duro*
*Colla iugo, & leges ipſis ſibi ſcribere iniquas.*
*Quas tulerit pœnas Latium neſcire uideris,*
*Cum uarias gentes noſtros traduxit in agros*
*Hannibal, & quanta multo pòſt uenerit ipſe*
*Attila pernicie: Gallos, Gothosq́; furentes*
*Prætereo, quorum ſentit Saturnia tellus*
*Damna etiam laudans antiqui ſæcula patris,*
*Verum hi non aquilas unquam rexere togatas.*
*Reſpice progeniem Domiti, moresq́; Vitelli*
*Luxum, ſpurcitias, cædes, dictuq́; tremenda*
*Crimina multorum, tibi adeſt exempla daturus*
*Cui ſol ipſe dedit nomen: uis plura? tyranni*
*Triginta tibi plura dabunt? num præmia iuſtæ*
*Hæc ſunt militiæ? uir ut ipſam cernat ab omni*

*Tirone uxorem ſtuprari, ſeq; ligari,*
*Permingi pueros, ipſosq; ſenesq; necari,*
*Interdum & laribus totis incendia mitti.*
*Hei mihi, nunc ſterilis mater pater atq; beati*
*Hei mihi, tunc felix proprio qui in ſanguine ſolus.*
*Quid quod ſæpe nocent non hoſti bella nefanda?*
*Expoliant, torquent, lacerant quoq; prætereuntes*
*Innocuos, ſanctos etiam: ſunt hæc facienda?*
*Fiant in Turchos, diſcant ſua crimina & ipſi*
*Poſſe pati, ab noſtris miſerendum: cum tamen ipſa*
*Natura ſit homo ciuile animal, nihil ulli*
*Quod noceat debet meditari. uita ferarum*
*Eſt inimica homini: uerum amplius ipſe putabat*
*Pythagoras crudele ſcelus mactare bidentes*
*Cæteraq; in pulpas animantia mitia, iuſtum eſt*
*Pellere uim, ſed carnificis ne nomen amemus.*
*Quis bello nomen dederit uis ſcire? profecto*
*Bellua, quæ inſano defertur amore cruoris.*
*Præterea ſi concedam nummi utilitate*
*Eſſe opus, hoc alios ditat miſer ipſe futurus*
*Miles: & in paucis ſcit ſtare potentibus auri*
*Argentiq; modus. quam longo tempore nullus*
*Nouit, uel moritur uolucrum putris eſca canumq;,*
*Priuatus patria atq; illum expectantibus ipſis*
*Forſan adhuc teneris dulci cum coniuge natis.*
*I, modo & argento proprium largire cruorem.*
*At ſi pro patria quiſquam uelit eſſe Menœceus,*
*Seu Rex Cecropius, ſeu Curtius: hunc ego cunctis*
*Laudibus extulero, magniſq; ſacrauero tẽplis.* CEN
*Grammatice aut Rhetor, qui ſis neſcimus, abolla*
*Longa facit te ut credamus magnum eſſe Poëtam*

*Sermo*

Sermonis rogo redde uices:non Centurioni
Poſſe loqui fas eſt: neſcimus philoſophari
Nullum bella malum credunt,quodcunq; per arma
Contingat fas eſſe putant noſtra agmina:quidni
Mortem ipſam laudamus,& omnes dicimus una
Voce bonam,& uitæ requiem finemq́; malorum.
Liberat hæc miſerum ſudantem ſemper in aruis
Agricolam aut ipſo marcentem carcere tetro:
Liberat hæc etiam dites noctuq́; dieq́;
Clamantes cum dira premit uexatq́; podagra
Deniq; num morimur ſani nos tempore longo
Conſumente?quid?eſſe cinifionem?paraſitum
Nempe putas melius,uel uiuere Sardanapalum. PO.
Non uere.nam mors non omnis liberat ægros
Mortales,male uiuenti maiora parantur
Supplicia,& meritis requies datur,hoc ubi corpus
Exuerint animæ & faſtigia ſacra capeſſent.
Viuendum eſt igitur recte,& ſeruanda ſupremi
Sunt præcepta Iouis,requiem dant illa feruntq́;.
Hoc noſter Dux ipſe facit,Ducis atq; miniſtri
Illius exemplo:qualis Rex,Regia talis.
Sed pleriq; aliter uiuunt.hi nomina uera
Militiæ nec habent,cupiunt nec habere:probari
Hoc uultis? ſacras agedum huc oſtende Georgi
Martelle in cauſis uehemens Iuriſq́; perite
Pandectas legum:uos autem oſtendite nobis
Stigmata uel faciem ueſtri Ducis ac alias res
Quas coram uobis mõſtramus habere neceſſe. CEN.
Non libris agitur res noſtra,ſed enſibus.enſem
Ecce meum,ſi uis,reprobas quodcunq; probabo.
O populi,ſi Dijs placet Irenarcha Latini. PO:
Centu

*Centurio mi magne nihil mihi quæro probari,*
*Verus es,& uero decertas nomine miles.*
*Quæ dixi fateor peccaſſe,& candida totum*
*Arma regunt orbem.concedo ignoſce,ualeq́;.*
*Iam'ne abijt ferus ille mihi multumq́; timendus*
*Pyrgopolynices?m ſerum me docte Georgi*
*Quàm timui,ne forte mihi per tempus utrunq́;*
*Funderet ille caput,meq́; his abſolueret oris*
*E meritum.quid enim furioſa negocia curo*
*Stultus ego oblitus ſtudij rerumq́; mearum?*
*Non tutum eſt Satyram nunc ſcribere: pœnitet iſtos*
*Hoc pacto luſiſſe modos.Vulcanus habebit,*
*Ni fugiant. demens iterum cum cogito uere,*
*Deuoueam qui bella Deo fortaſſe probata,*
*Si quodcunq; cadit,haud ſine numine.cur non*
*Numen habent hæc bella? Deus uult forſan iniquos*
*Hoc pacto punire uiros.ſecreta quis autem*
*Cuncta Dei cognoſcit homo?placet hoc tibi certè*
*Summe pater?tua ſit ſeruata ubicunq; uoluntas.*
*Sed te clementem poſt uulnera multa memento.*
*Non placet:aſt hominum mouet hæc rabieſq́; furorq́;*
*Da noſtris igitur pacem ſine fine diebus.*
*Non poteris pater, ipſe probus quod tempore paruo*
*Sperauit bellis non amplius eſſe neceſſe:*
*Do uobis pacemq́; meam,pacemq́; relinquo,*
*Sic dicas:tantum hoc petimus,tantumq́; rogamus*
*Sic Martelle roga mecum,uel dignius iſto*
*Si quid habes doceas,ego te præeunte rogabo.*

## Satyra Secunda in Ignorantiam.

*QVam tumidi incedunt?ſtolida quà mente loquuntur*
*Plebeij indoctiq́; homines? peruenimus hem quo?*

*Conſulere & mundo leges ſibi ſcribere poſſe*
*Perſuadent, ueluti ſit eis ſapientia ſolis.*
*Hos ſequitur multum admirans ignobile uulgus,*
*His fauet: & quare captum? quid credis? adhæret*
*Hoc ſimile huic ſimili: & ſi forte parabolus inde*
*Exeat Orlandum referens, uel facta Pipini,*
*Protinus à cunctis cœlo præfertur & aſtris.*
*Si tamen hæc aliquis uera quocunq; letino*
*Scriberet hiſtoria: ſeu malens falſa referre*
*Diceret utiliter, laudarem & tale probarem*
*Ingenium prodeſſe ſibi quod poſſet abunde*
*Et reliquis: uerum nimis prauusq; malusq;*
*Orbis, & augeſcit damno maiore quotannis*
*Conſuetudo mali: quanquam contraria uulgus*
*Credit, & Octauus Sapiens ſibi quiſq; uidetur:*
*Decipitur tamen, & tenebris uerſatur in atris*
*Vel medio lucente die: præcepta ſophorum*
*Nil proſunt, leges ridentur, dona parentis*
*Naturæ quæ ſcire iubel, ſic turpiter algent.*
*Quid quod Pierios hæc turba indocta Poëtas*
*Inſequitur, terriſq; (nefas) ſæpe inuidet illos?*
*Et niſi Magnorum diuina potentia Regum*
*Illuſtreſq; uiri terras populoſq; regentes*
*Auxilio foret, & magna nutriret in aula,*
*Paruus doctorũ numerus certe minor eſſet.* ADVER.
*Vera refers, & me indoctum turpe eſſe puto, ſed*
*Te ne licet paucis affarier?* PO. *Imò age multis.* ADVER.
*Tu cum cæcorum dux ſis, ne cæcior ipſe*
*Quære prius.* PO. *qui?* ADVER. *nempe alios tardoſq; rudeſq;*
*Caſtigas, mordes forſan tu indoctior illis,*
*Scire tuum quid ſit uideamus, ſi placet abſq;*

*Inuidia: & ſi nos non poſſumus omnia, ſaltem*
*Hos uerſus cribremus, & exploremus ad unguem:*
*Huic quales uerſus? doleo tibi: parce, pudetq;*
*Vel legiſſe: quibus riſum moueas Cluuieno,*
*Quos fugiat Ruſo ipſe, fugit quem debitor æris,*
*Et mihi perſuades docto certare Maroni,*
*Scilicet expectas populo ut tua ſcripta legantur*
*Gloriolæ cupidus, ſed nil fallacius aura.* PO.
*Parcius ah riſum cohibe, nondum omnia quæ nos*
*Edidimus noſti: Pineas perlege laudes,*
*Multaq; in Ordelapha per nos (ita dicitur) Vrbe*
*Cantata utiliter, melius tunc reddere nobis*
*Iudicium poteris: uerum quia nempe uidentur*
*Hi tibi ridiculi uerſus, ſtylus ipſe, genusq;*
*Materiæ expoſcunt humili pede ſerpere, uerba*
*Pene ſoluta quaſi uulgaria, ſint uelut inter*
*Carmen compoſitum. & nullo pede tradita uerba.*
*Quas facimus Satyras, numeroſus Horatius aptè*
*Scripſit & omnimodam legem ſeruauit in illis.* ADVER.
*Tu'ne facis Satyras? Satyras hoc temporis audes*
*Edere? & inuiſos inter numerarier? aude*
*Quodlibet: arbitrium cuiquã nec tollo, nec addo.* PO.
*Quid faciam? indoctos non poſſum ferre: coactus*
*Hæc ſcribo illorum cupiens non lædere quenquam,*
*Sed potius uerum cæcis infundere lumen.*
*Illorum ſortis miſeret. nam ſiue per orbem*
*Bacchatur ueſana lues, ſeu bella refuſo*
*Sanguine crudeſcunt, ſeu quicquam fata minantur,*
*Primi dant pœnas plebeij, ignobile uulgus*
*Hic atq; hic ſine more perit, non ulla Deorum*
*Seruatur pietas: ſine ſpe, ſine amore ſalutis*

*Diſce*

*Diſcedunt triſtes animæ.circunſpe totam*
*Italiam.heu miſeros mortales,heu bona mater*
*Heſperia,& bellis & ſæua peſte laboras.*
*Nunc ſi quis ueniens indoctus pharmacopola*
*Prædicet,eſte ſimul cepas porroſq; piperq;,*
*Sani eritis:uolitare illos,non eſſe uidebis:*
*Hæc ſi naturæ dicat ſunt peßima Cous*
*Hippocrates ſtolidus,nauciq; putabitur illis.*
*Monſtratam pridem miſcere abſynthia muſto*
*In papulas,diramq; luem,certè nihil ex me*
*Sed magnis pendens autoribus.hoc mihi nullus*
*Credidit, optabam regimen componere uitæ,*
*Quo ſanum mortale genus canentis ad annos*
*Viueret ætatis.neſcit moderamina uulgus*
*Viuendi,uentis obnoxia pectora pandit,*
*Poſtq; cibos coit,& uentri dat quæq; uorací*
*Pernitioſa,uelut popano ambroſiaq; recenti*
*Veſcatur,crepitu medicorum obſonia ridens:*
*Verum cura fuit conatibus irrita.quando*
*Hæc ſcripturus eram credentibus omnia noſſe.* ADVER.
*Scribe tamen quæſo uel nobis optima,quanquam*
*Iſta legent omnes,iſto mihi crede placebis*
*Omnibus ipſe modo,raros ſua commoda cernis*
*Spernentes, ſua cuiq; ſalus chara,moriri*
*Nemo cupit,cũ iam poſtes Mors pallida pulſat.* PO.
*Non mihi lectores quæro mea carmina,ſaltem*
*Ioannes hæc Sella meus relegendo probabit.*
*Imò agite ô uerſus,exquirite protinus Vrbem*
*Ordelapham,hæc noſtri patria eſt & mater amici:*
*Hic illum uobis gaudere uidebitis, ite*
*Ocyus,& Domini celeres mandata referte.*

Scitis enim neq; opus credo monitore Poëta,
Quæ cupiat: nec iter nec tecta incognita uobis,
Vtpote quos aluit tenere bis quatuor annis
Liuia belligeriſq; uiris, anyſoq;, meroq;
Fertilis, & cui nos multum debere fatemur. ADVER.
Eia age per Geniumq; tuum Muſasq; rogatus
Pierias da quæſo bonæ moderamina uitæ. PO.
Vt potero dicam, ſed ſi non omnia, partem
Accipe, ſed memori ingenio, ſi tradere ſcriptis
Iſta uoles Italis, quæ ſcripſit Epiſtola Magni
Hippocratis Regi Ptolemæo: ita præcipit ille.
Quatuor hic totus mundi componitur orbis
Seminibus, lympha, ac terra, ſimul aëre, & igni,
Hoc eſt humenti, gelido, ſicco, calidoq;:
Ipſum hominis corpus conſtat quoq; quatuor iiſdem
Sanguine, pituitaq;, & flaua bile, nigraq;.
Vnde pituita eſt ſimilis, uerum ignea tota eſt
Flaua chole, aërius ſanguis terreſtria bilis
Atra ſapit: ſic ſunt ſimiles & mundus homoq;,
Et ſicca, & calida eſt bilis quam flaua uocatur:
Aduerſum eſt huic phlegma, calet, ſed ſanguis & humet,
Huic bilis penitus pugnat contraria nigra,
Et uarios redolent eadem hic elementa ſapores.
Salſum phlegma ſapit, ſed cerula bilis acerbum,
Nigra gerit triſtem, gaudet dulcedine ſanguis.
Rurſus habent uarias ſedes hæc ſemina: cordis
Sanguis habet latebras, & ſpiritus ambit eaſdem:
Hepar flaua chole, ſplenem nigra, phlegma cerebrum:
Verum ex corde capit uena omnis magna cruorem,
Quæq; graues pulſu motus arteria ſignat.
Et cordi rubros humores ſuggerit hepar,

Sic

*Sic nunquam ſociaq; fide ſocioq; calore*
*Deſerit oc illud.neq; enim ualet igneus abſq;*
*Viuere materiæ calor,& producere quicquam.*
*Pars hominum rident,pars contriſtantur:& ille*
*Deſipit,iſte ſapit:cauſas age,præcipue dicam:*
*Sanguine qui puro feruent,hi carmina læti*
*Florentesq; canunt,& pulchro corpore præſtant.*
*Ira,furor,lentigo,notat quos cerula bilis,*
*Poßidet:atra pigrum,triſtem,timidumq; figurat.*
*At qui pituita uel aquoſo phlegmate abundant,*
*Frigoribus pleni ſputoq; colore ſub albo.*
*Cur ſapiant homines,memori cur mente probentur,*
*Temperies cerebri cauſa eſt,ne iuſtius æquo*
*Frigeat aut calcat.nam ſi perfrigeat uſq;,*
*Naſcuntur penitus cunctarum obliuia rerum.*
*Paßio cur oritur?quæ Græce dicta phrenitis*
*Inteſtinorum mittunt incendia.namq;*
*Vt uapor aſcendit cerebri,perit humor & ipſe*
*Inſipiens fit homo.quare medicina paretur,*
*Sed propera:cerebrum frigenti aſpergine promptus*
*Naribus aut alia defendas parte neceſſe eſt.*
*Si uero lethargus erit( nanq; hic quoq; morbus*
*Eſt cerebri,quando gelidus ſuper humor abundat)*
*Vtere tunc rebus calidis,hisq; unge cerebrum.*
*Hinc alia exoritur peſtis paralyſis Achæo*
*Nomine,ſed labrum aut oculum capit ignea ſæpe,*
*Et medium aſpectus totum:auxiliare cerebro*
*Per nares,calidosq; illinc extrude uapores,*
*Siue ſecundum aures prudens cauteria mitte.*
*In cerebrum quæcunq; uenit peſtis,trabit illa*
*Principia à ſtomacho,uelut hoc putria ulcera pandunt*

Schinodes, dentiſq; dolor, ophthalmia, branchus,
Et ſtaphyle, & dyſpnœa, nocenſq; periſthmia collo.
Quinq; caput retinet ſuturas, ſed reperire
Eſt ſtolidum unius ſuturæ & tempore ſanum.
Verum age dic habeat criſpos cur ille capillos,
Hic planos: alijs cur ſit caluaria nuda.
Si calor in cerebro eſt criſpos gerit ille capillos,
Hic pectit planos, huic ſi ſuper humor abundat.
Si ſiccum caput eſt, ſit turpe & inutile multis
Caluicium: flauos crines dat cerula bilis.
Caluicij uero ſpecies lego quinq; notari,
Hæ ſunt: lata, breuis, denſa, ac hirſuta, uocemus
Et mediam, tumidus facit hæc diſcrimina pulmo.
Nunc dicenda tibi eſt triplex digeſtio: ſumit
Hanc iecur, & prima eſt ubi ſanguinis ipſa creatur,
Proſtheſis huius erit cor ſedes, ſume ſecundam,
Corporis hæc nutrit partes iecur hinc generatur
Fel croceum, ſplen uero capit de corpore ſiccum.
Inde melancholicus fit chymus, at ipſe cerebrum
Humectat ſtomachus, tunc phlegmatis extat origo.
Tertia quæ ſupereſt decoctio ſuccus in ipſo
Fit ſtomacho ſurſum, tunc panditur infima porta
Ventriculi, tranſitq; cibi fex inde, petitq;
Inferiora alui, ſed uenter phlegma ſupernè
Mollificat propter nimis aſpra cibaria: uerum
Per renes urina means deſcendit, & ipſas
Veſicæ ingreditur partes hinc inde trahentes.
Quinq; hominis ſenſus ſunt: uiſus, tactus & ipſe
Guſtus, odoratus, nec non auditus: ab igni
Hic pendet, tactus de terra, ex æthere uiſus.
Aër odoratum donat res humida guſtum.

Quinq;

Quinq; poteſtates animam quis habere negabit?
Cogitat hæc, ſentit, reminiſcitur iſta uel illa,
Rurſus opinatur, rerum phantaſmata uerſat.
Sed quoniam uarijs his ſeptem partibus ipſum
Compoſitum eſt hominis corpus, dicamus & illas:
Neruus, uena, caro, necnon arteria, ſanguis,
Cartillago, unguis, pilus, humor, pingue, medullá,
Pellis, phlegma hominē faciūt cum pneumate totum.
Euacuant ſordesq; uiris hæc omnia pellunt:
Sudor, ſputa, aures, aluus, ueſica, Venusq́;,
Et uomitus, oculi, naſus, pilus ipſe, poriq́;.
Adduntur nuribus ſuper hæc duo: menſtrua, lacq́;,
Lac, ſemenq́; uiri de ſanguine dicimus eſſe.
Egreditur ſanguis, ſentit ſi mamma dolorem.
Spondylia in tergo quot ſint, dic quæſo uirili:
Bis duodena, latus tot munit pectora coſtis.
Dentibus octo quater gingiuæ armantur, & ora
Simplicibus pars anterior, poſtrema molares
Ipſa tenet, ſtomachum menſurant quinq; palæſtæ
Et tres atq; decem complectitur enteron ulnas.
Scire cupis forſan digitorum nomina, dicam
Ordine: ſunt pollex, index, medius, medicusq́;
Cum minimo, ſiccus uerum eſt & frigidus unguis.
Nunc age ſolaris ſunt tempora quatuor anni:
Ver, æſtas, autumnus, hyems. ſunt humida ueris
Tēpora, ſed calida atq; hoc propter ſanguis abundat.
Sicca quidem eſt æſtas, multoq́; calore perurit,
Hoc ideo in nobis augetur cerula bilis,
Frigida cum ſiccis autumnus tempora miſcet,
Nigra chole augetur, ſanies & aquoſa cruenta
Pituitam producit hyems, quæ friget & humet.

*Sic elementa regunt diuerſis quatuor anni*
*Partibus inter ſe cum corpore tempora noſtro.*
*Solarem idcirco circunſpectare neceſſe*
*Curſum & temperiem, qua conſtat quilibet æger,*
*Sicq́; ſalutares membris adhibere medelas.*
*Si uere ægreſcat iuuenis, tunc ſanguis abundat.*
*Huic opus eſt uenis punctis haurire cruorem:*
*Si pleuritis erit uel prima luce, duabus*
*Vel tribus, euacues uenas, concepta priuſquam*
*Paßio conualcat, uel uirtus debilitetur*
*Corporis. hæc multum prodeſt purgatio cunctis.*
*Tempora ſi cupias quæ ſint incidere uenas*
*Optima ſcire, feram: media Februarius ut iam*
*Parte ſui menſis deceſſerit incipe: rurſus*
*Poſt decimam lucem Septembris tempora ſuadent,*
*Donec ad extremum peruenerit ipſe December*
*Solſtitium: ſed ſi cubitare coëgerit æſtas*
*Te purgare ſtatim bone uir mihi crede, memento*
*Iam feſſus ſum, parce mihi, reſtantia dicam*
*Cras tibi, & abſoluam uitæ bona nutrimenta*
*Et quo quenq; cibum liceat conſumere menſe,*
*Et ſi contigerit uenas incidere, ſanguis*
*Quid uenetus, uiridiſq́;, nigerq́;, alijq́; colores*
*Significent, uitæ & mortis prognoſtica ſcribam,*
*Vt libet, ut gratum eſt, uerum uenerande Magiſter*
*Arbitrio me trado tuo, bene uiue, ualeq́;.*

## Antonij Vrcei Aegloga. Tityrus & Coridon collocutores.

*HEus heus ô Corydon uiridi tu lentus in antro*
*Dulcia quam molli meditaris carmine uoce,*

Nec

*Nec tibi iam ſocios, nec amicos noſcere cura eſt.* CO.
*Hic ades ô noſtri pars maxima Tityre cordis?*
*Da ueniam: uerſus modulabar totus in illis,*
*Imò ego te & reliquos coluiq;, coloq; ſodales,*
*Verum age quando uenis optato tempore, mecum*
*Pauliſper querna lætus requieſce ſub umbra,*
*Hic ubi muſcoſi currunt per grammina fontes*
*Atq; ſtudent ſuaui uolucres garrire ſuſurro.* TI.
*Ne pete me Corydon ſtudijs curisq; grauatum,*
*Si qua mei tibi cura ſubeſt, me uelle morari.* CO.
*Ah mihi non æquum eſt hoc te per Pana negare*
*Tityre, ſic ſemper dulces tua fiſtula cantus*
*Perſonet, in uiridi quales iam Thracius Hæmo*
*Fundere ſuetus erat uolitanti pollice uates,*
*Sic tua non unquam per ouilia ſæuiat atro*
*Martius ore lupus. quid ſi quæ audiſſe libenter*
*Ipſe uoles referam? quæ non audiſſe pigebit.* TI.
*O Corydon ſcio te niſi quod conducere nobis*
*Ipſe putes, nil poſſe mihi per Pana referre.*
*Nam nouus inter nos non eſt amor, ipſe recordor*
*Iam pridem à teneris hic inter paſcua nota*
*Te mihi, meq; tibi ſolitum per mutua ferre*
*Auxilia, & pecudes modo te curare relictas:*
*Me modo, ſed ne me credas tua dulcia uerba*
*Faſtidire, trahant quæ me in contraria curæ*
*Accipe, poſt dictis aures adhibebo uiciſſim*
*Ipſe tuis, & erit nihil hoc mihi munere maius.*
*Quot mihi ſint hirci, quot oues hirtæq; capellæ*
*Nouerunt noſtri montes, & flumina noſtra,*
*Quæq; ſolent Dryades gelidis habitare ſub antris.*
*Bis centum forſan numero ſunt, ſed modo creſcit,*

*Et modo decreſcit numerus. nam turba luporum*
*Eripiunt teneros ipſis ab ouilibus agnos.*
*His neq; mordaces ſatis eſt inferre moloſſos,*
*Nec ſtabilis fulcire hinc inde repagula fractis,*
*Damoniſq; minas contemnunt, & Meliboei.*
*Quid quod & interdum tanta eſt audacia, fortes*
*Inſidias fecere mihi? proh triſtia damna*
*Tres excepit oues aliquis caſus'ue, lupus'ue,*
*Quas zea, & molli ſolitus nutrire cypero*
*Seruabam: nunquam Corydon ea copia lactis*
*Laniciiue fuit maior præſtantia uiſa.*
*Ille licet multum Mileſia uellera iactet,*
*Ille Tarentinas pecudes, has abſq; dolore*
*Non meminiſſe queo: uerum nunc unica reſtat*
*Præcipua ex aliis, quam ſi cui Mænala curæ*
*Seruarit, ſacris agnam mactabo quotannis.*
*Has ego nunc ſemper timidus pauiduſq; reuiſo,*
*Sed nihil eſt quod me mage lædat, ſollicitetúe*
*Quàm quod nonnullas ſcabies tentare uidetur.* CO.
*Audieram, atq; ægre tua Tityre damna ferebam,*
*Sed mihi te quare multis iam forte diebus*
*Non uidiſſe fuit, potuiſſem credo iuuare*
*Conſilio, monitiſq; meis: nunc accipe quid'nam*
*Sis facturus in hoc: hoſtes arcebis ouili,*
*Si bene ferratæ munitus robore clauæ,*
*Hinc atq; inde means oculis uigilabis apertis.*
*Crede mihi, cautum eſt animal lupus, at tamen idem*
*Præcipue baculi timidus ſolet eſſe. parumper*
*Me ſine quem geſtas contingere, ſi libet: heu*
*Culpa tua eſt inquam, cui tam leuia arma geruntur.*
*Sume pedum hoc, quo me noſter donauit Amyntas,*

*Tecum ſemper habe: quo ſi te læſerit unquam*
*Quis lupus, ipſe unquam me non Corydona uocato.*
*Aſt ouium ut poßis ſcabiem depellere, ſume*
*Vrinam ueterem textis candentibus uſtam,*
*Partibus aut coctam binis imponito amurcam,*
*Tollere ſcabriciem ſuccus ualet atq; cicutæ*
*Semodio ſalix admixto: ſed quæro docere*
*Si uacet, unde queas ſecuram ducere uitam,*
*Ac tibi non ſit opus pecudes curare minutas.* TI.
*Hoc ego ſcire uelim Corydon, & ſi quid habebo,*
*Acceptum referam tibi, teq; in pectore figam,*
*Dumq; hæc pendentes paſcent uirgulta capellas,*
*Dumq; aries pecudes, & uaccas taurus inibit,*
*Semper erit magni nomen Corydonis apud me.* CO.
*Non longe à noſtra ſedet hic Galatea cohorte,*
*Ruricolas inter ſatis eſt formoſa puellas.*
*Nouiſtin? nouit tot a hanc uicinia noſtra.*
*Eſt pecoris niuei diues, fœcundaq; multo*
*Lacte tumet. cernis, qua ſe ſub parte ſiniſtrâ*
*Subducunt colles? huius uineta quotannis*
*Dulcia uina ſolent, dicas aruiſia, ferre.*
*Multi illam indigenæ precibus petiere ſubulci.*
*Eumæus petijt, petijt ſine more Sybotes,*
*Antigenes, Damon, Melibœus, Thyrſis, Iolas.*
*Ipſa mihi & Nyſæ iurauit: corpora noſtra*
*Preſſabit paſtor nullus niſi Tityrus ipſe.*
*Hanc uolo coniungas tibi, & incurabile uulgus*
*Reijculas & oues poſtponas. hic tibi curas*
*Tollet & ære graui ditabit tempore paruo*
*Tecta tua: at patriæ cupias Mutinenſia culta*
*Linca, ſeu malis habitare ornatius arua.*

*Tunc quales uerſus ſuaui modulabere uoce,*
*Qualia montanæ reſonabunt carmina ualles?*
*Non paſtor ſed eris paſtorum duxq́; decusq́;.* TI.
*Rem magnam Corydon & amico pectore profers,*
*Et cui par non ſim grates perſoluere dignas:*
*Sed criſpam faciem rugis, incanaq́; menta*
*Cernis. & indignum eſt cano ſociare puellam.*
*Miror & unde procis tot me Galatea tenellis*
*Præferat. haud nunc ſum qui Tityrus eſſe ſolebam.* CO.
*Ah quid ais? quid te eſſe ſenem mihi Tityre narras?*
*Me neſcire putas quo tempore natus? ego ipſe*
*Tunc aderam, cum te gremio pia mater haberet,*
*Et pater has pro te uirides plantaret oliuas.*
*Sum ſenior, nec me queritur mea Theſtylis: euge*
*Da dextram, noli tua ſit Galatea negare.* TI.
*O Corydon, ne quære tuis me quæſo, ligare*
*Blanditijs, ego ſum uicturus cœlibe uita,*
*Hanc tenuem donec poterit perflare cicutam*
*Spiritus, & noſtros ibit diſperſus in artus.*
*Num quid uis aliud? pecudes ego uiſo relictas.*
*Hic cœnare potes mecum, & requieſcere ſi uis*
*Caſeus eſt nobis, pira ſementina, merumq́;*
*De Rauldino ſeruat hic cantarus agro.*

## Antonij Cod. Vrcei Epigrãmaton Liber. Ad Hermetem Bentiuolum.

*AEternum quæris iuuenili nomen in æuo,*
*Totaq́; in hoc Herme eſt cura, laborq́; tuus.*
*Rem cupis eximiam, qua te laudoq́; proboq́;.*
*Res animo non eſt aptior ulla tuo.*
*Splendor aui in patriam, & magni ſapientia patris,*
*Et fra-*

*Et fratrum inſignis gloria par & amor.*
*Quodq; ſtudes toti populo te reddere charum,*
*Abs te ne quiſquam triſtis abire queat.*
*Iſta quidem æternæ poſſunt te tradere famæ,*
*Vberius tamen hoc, quod petis, arma dabunt.*

De Reditu Hannibalis Bentiuoli.

*Qui modo confidens falcatis unguibus ales*
*Exierat nidi frondea tecta ſui,*
*Ecce redit uictor ſpolijs hoſtilibus auctus,*
*Ecce redit Ligures depopulatus aues.*
*Iam minor accipiter tremit hunc, iam maior: & illa*
*Quæ ſolet irato fulmina ferre Ioui.*
*Vicinas iam terret aues hæc fama, ſed acrem*
*Mox & longinquis afferret ipſa metum.*
*Quid mirum? ſemper generoſo proditus ouo*
*Oua parit, nido non renuenda ſuo.*

Ad Ioannem Bentiuolum.

*Qualis ab excelſo deſcendit monte leonis*
*Scymnus, & hinc pulſas ſpargit & inde feras,*
*Qualis & è nido cum primum prouolat alto*
*Vnguibus, & captam fert haliætus auem:*
*Talis in hoſtiles auſus prorumpere turmas*
*Hannibal has forti iunior enſe fugat.*
*Et facilem præſtat tibi dux Vrſine triumphum*
*Quiq; Fluentini iura tuentur agri.*
*Primitias tales quis pubeſcentibus annis*
*Edidit? & durum martis obiuit opus?*
*Quis Marius? quis Cæſar erit? quis Sparthacus unquam,*
*Qui ferat in teneris talia facta genis?*
*Deniq; ſi cœlum, trifidumq; citaueris orbem*
*Huic nullum dicent ſe reperire parem:*

*Ecce redit Martis noua lux, & fortis ouanti*
*Et patri & patriæ gaudia magna refert.*
*Iam licet optatos tibi uultus cernere nati*
*Magna parens, oculos & ſatiare tuos.*
*Aſpice Ioannes Princeps iuſtiſſime, quem tu*
*Delicias animi ſæpe uocare ſoles.*
*Aſpice, quàm lato procedat pectore: talem*
*Mæonides Ithacum fert habuiſſe ducem*
*Nónne uides bello faciem duxiſſe uirilem?*
*Hanc metuit fallax hoſtis, amicus amat.*
*Hic tibi narrabit totas ex ordine pugnas,*
*Partaq; quo fuerit Martia palma modo.*
*Gaudebis ſane talis audire triumphos,*
*Et tua ſuccurrent fortia facta tibi.*
*Concurrent hilares Heliconia turba Poëtæ*
*Cantabuntq; ſonis ſe ſuperare ſuis,*
*Vt uario ſcribant iuueniles carmine laudes,*
*Et uincant uerſu carmina priſca nouo.*
*Tu quoq; quæ uirtute noua generoſa propago*
*Impleſti patriæ ditia regna tuæ,*
*Perge tuis totam Italiam complere trophæis,*
*Obſcurent priſcos ut tua facta Duces.*
*Et ſi quæ noſtras ſi barbarus hoſtis in oras*
*Iret, uictrici nos tueare manu.*

## Ad Galeatium Bentiuolum.

*Bentiuolæ gentis Galeati pulchra propago,*
*Qui puer es tamen, & nil puerile geris.*
*Heſterna quantum potui te luce notare,*
*Multa tenes Codro quæ placuere tuo.*
*Doctrinæ ſtudium, facundia, forma, uigorq;*
*Detinuere oculos ad tua facta meos.*

*Magna*

*Magna quidem ſunt hæc,ſed adhuc maiora ſuperſunt.*
*Namq; mihi mores plus placuere tui.*
*Tu pius es,clemens, affabilis,innocuusq́;,*
*Grandis & in paruo corpore regnat amor.*
*Conciliare ſtudes doctorum corda uirorum,*
*Et ſeruare tibi conciliata ſapis.*
*Sic ego te uideoq́; libens commendo proboq́;,*
*Sic patriq́; tuo ſic populoq́; places.*
*Nam licet hic auroq́; Midam,formaq́; Hyacinthon,*
*Et Phrygios longo ſtemmate uincat auos.*
*Hic ſacros apices & Cæſaris adde triumphos*
*Nil tamen eſt morum nobilitate prius.*

## De Medicis Bononienſibus.

*Felſineum nuper Medici petiere Senatum*
*Ante diem ſtudijs ocia danda ſuis:*
*Et cauſam immenſos Iuli dixere calores,*
*Quod rabido coqueret ſydere cuncta canis.*
*Obtinuere quidem, ſed non fuit iſta quietis*
*Cauſa, ſed auditor,quod neq; ſolus erat.*
*Auditor quondam Antimacho ſolus Plato dignus*
*Reſtitit,at noſtris ne popa ſtat Medicis.*

## De Eiſdem.

*Artibus inſtructus ſi notas tendit ad artes*
*Nil mirum,didicit quæ ſibi quiſq; facit.*

## Ad Iuriſconſultos.

*Quid clamatis adhuc Legum Iuriſperiti,*
*Dum procyon rabido ſydere cuncta coquit?*
*Emollire uiros Medici dixere calores,*
*Et requiem ſtudijs obtinuere ſuis.*
*Tu quoq; dic aliquam legem facunde Trebati,*
*Qua ſint collegis ocia danda tuis.*

*Maxime. in antiquo lex eſt hæc codice ſancta:*
*Aſtate ediſcit qui ualet, ille ſatis.*
*Heu heu pro ſacra profers mihi lege Poëtam*
*Eia agite, optatam uos quoq; habete quiem.*

## Epitaphium Laurentij Roſcij.

*Roſcius hic ſitus eſt Laurentius ille, tot annis*
*Quem magno in cœtu mirata Bononia uidit*
*Orantem, & celſo Muſas Helicone uocantem.*
*Sic celeri ingenio, memori ſic mente ualebat,*
*Gratus erat patriæ ciuis, iucundus amicis,*
*Progeniemq; ſuam multa cum laude reliquit.*

## Ad Lucam Ripam Fictilia locuntur.

*Fictilibus nobis eſt nomen: habemur ubiq;,*
*Et uænum precio commodiore damur.*
*Myrrhina ſunt pluris quam nos, cryſtallina pluris,*
*Nos ſuperant precio cuncta metalla ſuo.*
*Et fortaſſe præit Diuini opus Alcimedontis,*
*Quæq; Syracoſio pocula ſcripta ſeni:*
*Non tamen in nobis cœnaſſe Agathoclea Regem,*
*Nec puduit Regem ſacrificaſſe Numam.*
*Hoc ſi de Samio finxit uos puluere plaſtes,*
*Siue Saguntinæ uos poliere rotæ,*
*Aut etiam ſi compoſuit Maiorica tellus,*
*Concedam: at uobis, ſi placet, unde genus?*
*Non ſumus externis manibus fabricata, nec ullis*
*Ex hoc externis arte minora ſumus.*
*Nos Mutina Herculeo felix dum recta ducatu*
*Effinxit manibus materieq; ſua.*
*Et ſi de proprio laus non uileſceret ore,*
*Dixerimus nobis præmia prima dari.*
*Accipe nos igitur doctorum fama uirorum*

*Et recti Lucæ non morituris honor,*
*Antoni meritum tibi ſignificantis amorem,*
*Municipis noſtri dona puſilla ſumus.*

Ad Philippum Beroaldũ Iuniorem.

*Læſe Cupidinea nimium nimiumq; ſagitta,*
*Vt monſtrant numeri docte Philippe tui.*
*Sæpe tuos Codro recitas male ſanus amores,*
*Oſcula quæ dederit blanda puella tibi.*
*Blanditias prima quot geſtet fronte Cupido,*
*Poſt modo quæ figat uulnera, quasúe faces.*
*Accipit attentis hæc auribus omnia Codrus,*
*Et noſcit flammæ ſigna uetuſta ſuæ.*
*Quæq; uidebatur nullo dolitura cicatrix*
*Verbere, de dulci carnie tacta dolet.*
*Quod nec Callimachus, nec tu dulciſſima Sappho,*
*Nec cum Steſichoro tu quoq; Coë facis,*
*Quod nec Naſo meus, blandiq; Propertius oris,*
*Hoc faciunt numeri terſe Philippe tui.*
*Parce precor Vates, Vatem recitando mouere,*
*Per tibi ſi quicquam dulce in amore fuit.*
*Qui ſemel illæſus Græcia littora fugit,*
*Circæis nunquam nauta propinquat aquis.*
*Quem ſemel Oleniæ merſerunt ſidera capræ,*
*Si ſapit æquoreis abſtinet ille uadis.*
*Ora ſemel cuius teter diſtrinxit amator,*
*Santonicis nunquam fiet amicus aquis.*
*Olim ego ſeptenos merui deuinctus in annos*
*In caſtris nimium ſæue Cupido tuis.*
*Nunc autem dextro liber lare, quæro ſoluta*
*Ocia, quæ Muſis cuncta rependo meis.*
*Tu, tibi promittit ſi læta Philippe Cupido*

*Perge,tibi faciet fors Venus alma ſatis.*
*Sin Boreas illinc,illinc te pulſitat Auſter,*
*Nec reperit tutum feſſa carina locum,*
*Non decet alterius ſecum raptare carinam,*
*Vt tua quod patitur debeat illa pati.*
*Si tamen oſtendis poſt magna pericla ſalutem,*
*Præmiaq́;,& niueos ac ſine nube dies.*
*Acccipe me tecum,rapta,trahe,diſtrahe quóuis,*
*Nauiget,ac iterum te duce Codrus amet.*

## Lamentatio Codri.

*Olim cum iuuenis fui,*
*Et uocem mihi ſedulæ*
*Claram Pierides dabant,*
*Me cœtus iuuenum frequens*
*Certabat celeri gradu*
*Vatem uiſere ſplendidum.*
*Nunc quum me ſenium premat,*
*Et uox deficiat tremens,*
*Rarus me petit & malus*
*Auditor,pudet ac meam*
*Plenam pulueris & ſitus*
*Illum intrare domunculam.*

## Contra Proditores Laurentij Medici.

*Priamidas,Priamum,cumq́; ipſis ciuibus Vrbem*
*Vnus Vlyxea prodidit arte Sinon.*
*Sed plures unum Laurention arte Sinones*
*Prodere fallaci non potuere ſua.*
*Res mira eſt ideo cauſam ſcio quæritis:ecce*
*Hoſtis erat Phrygibus Pallas,amica pilis.*

## Epitaphium Pini patris,& Sinibaldi Filij Ordelaphorum.

*Tertius armorum pacis quoq; gloria Pinus*

*Ordelaphus, per quem nomina ſanguis habet.*
*Hic nati gremio Sinibaldi continet oſſa,*
*Oſſa ducem quinto menſe ſecuta patrem.*
*Aequus uterq; fuit Princeps tibi Liuia, poſt quos*
*Ordelaphi ſceptris mox cecidere ſuis.*

De ſe.

*Quò raperis præceps, quò te Caldora biformis*
*Codre uehit ſtudijs ualde aliena tuis?*
*An placet anguigeram & celebrati nominis Vrbem*
*Et noua magnanimi ſceptra uidere Ducis?*
*Non mala cognoſcis, quæ tali tempore lædent*
*Inſuetum longas ire redire uias.*
*Laſſus eris, uentoſq; truces patieris & imbres*
*Frigoraq; & longum quæ dare ſueuit iter:*
*Et ſi præteriens Gallorum exercitus in te*
*Sæuiat, auxilio quis galeatus erit?*
*Sed quid ego hæc metuo tanquam ſint ultima nobis*
*Phaſios, & tepidi rura petenda Noti.*
*Italiæ primam & pinguem properamus ad Vrbem,*
*Hoſpicio capiet quos Boromæa domus.*
*Splendida Bentiuolis & amore & ſanguine iuncta*
*Hæc domus à magno Principe prima manet.*
*Quæ ſi conuiuas uocet ampla per atria Diuos,*
*Spreuerit extremos Iupiter Aethiopas.*
*Vltima finge peti: quid tum? contingere nobis*
*Nil ſub Alexandro Principe triſte poteſt.*

Ad Alexandrum Bentiuolum.

*Priſcus Alexander gladio munitus, & acri*
*Mæonide, cœptum perficiebat iter.*
*Bentiuolus noſter gladio præcinctus, Homerum*
*Non habet, at Codri carmina grata ſui.*

*Sed quid ad Oceanum Rhenus? nihil: at tamen ille*
*Salſus, & hic dulces fundit amœnus aquas.*

Ad Ioan. Bentiuolum.

*Græcia Romanæ mater iam ſplendida Linguæ*
*Squalida nunc, ædes exulat ante tuas.*
*Te precor illuſtris Princeps hanc collige: fas ſit*
*Huic ſub Bentiuola membra leuare domo.*
*Sic tibi qui patriam tectis & mœnibus ornas,*
*Aſpiret dextro læta tonante Venus.*

Epitaphium Balthaſaris Medici.

*Quem Liui genuiſſe forum gaudebat, habere*
*Felſina, Maſſerius Balthaſar hic ego ſum.*
*Dum uocor in patriam, retrahoq; in Fata ruentes,*
*In mea nullo Fata iuuante trahor.*
*Florida non ætas, Sophiæ non dogmata ſeptem,*
*Non pro me Phœbi munus utrunq; ſtetit.*
*I nunc & uigila, lege, diſſere, ſcribe, perora,*
*Vt mors hæc uno ſorbeat atra die.*

Ad Galeatium Bentiuolum.

*Quod facturus erat Codrus clariſſime Princeps,*
*Proq; ſuo officio, pro meritisq; ſuis:*
*Hoc tibi miſſa hodie doctarum prima ſororum,*
*Efficiet ſuaui Calliopea ſono.*
*Duxit enim ſecum forma præſtante puellas,*
*Atq; Eteocleo munere præcipuas,*
*Sero quidem, quoniam deduxit abuſq; feraci*
*Cunctantes nudis artubus Orchomeno:*
*His aditum præſta, faciliq; has aure loquentes*
*Accipe de Codri ſedulitate tui.*
*Prendeq;, dum potes has. nihil eſt uelocius illis.*
*Quodq; ſeneſcat, habet tam cito, uita nihil.*

Ad Ca-

## Ad Carolum ab Armis.

*Arma tibi nomen, nomen dant nobile Muſæ.*
*Sed Muſis debes Carole docte magis.*
*Dic quare: dicam faciunt te bella timeri,*
*Quod faciunt Muſæ non timor eſt, ſed amor.*

## Ad Glaucum.

*Candide ſi mecum prandiſſes Glauce, uolebam*
*Figere purpureis oſcula mille genis.*
*Erraſti. quid ais? te corrige Codre: uolebam*
*Fingere Pierijs carmina mille ſonis.*
*O quantum tenuiſſe nocet, ſunt oſcula mille*
*Perdita, ſeu potius carmina mille tibi.*

## Ad Herculem Ferrariæ Ducem.

*Dux ſapiens debere tibi non ſola fatetur*
*Vrbs tua, multifidis quam Padus ambit aquis,*
*Hadriaci quòd eam ſeruaris ab ore Leonis,*
*Qui mare, qua terras dilaniare cupit.*
*Verum etiam Italiæ reliquum quod non uorat hoſtis,*
*Seruatum dextra ſe putat eſſe tua.*
*Cuius fama rei totum diſperſa per orbem*
*Non quenquam ſupero fugit in axe locum.*
*Indeq; diſcedens Notium penetrauit ad axem,*
*Inuenitq; tuum Nile ſuperbe caput.*
*Et nullum toto talem cognouit in orbe*
*Eſſe, nec in priſcis ante fuiſſe uiris.*
*Cæneaq;, Exadiumq;, Dryantaq;, Pirithoumq;*
*Herculis exuperant fortia facta Ducis.*
*Quare cum nuper ueterum ſpectacla iocorum*
*Edideris populo uir memorande tuo,*
*Multus finitimis ueniens ſpectator ab oris*
*Incendit plauſu tota theatra ſuo.*

*Præcipue uenère Deûm noua cura Poëtæ*
*Quos inter Codrum ſi libet, adde tuum.*
*Hic quoq; tum ludos quercu ſpectauit ab alta,*
*Quæ fuit hic celſa conſpicienda coma.*
*Hunc nulli uidere uiri, cum numine plenus*
*Vidiſti hæc propria uerba notare manu.*
*Sed ne te remorer totum laudando choragum*
*Hæc dabitur noſtris ultima meta ſonis.*
*Spectati multum populo placuere Menæchmi*
*Plus placuere tamen Principis ora ſui.*
*Applauſit populus geminis hinc inde Menæchmis*
*Plus tamen applauſit Dux uenerande tibi.*

Ad lectores Poëta.

*Spectaret cum læta ſuos Ferraria mimos,*
*Felſinei Codrum detinuere Lares.*
*Se tamen ipſe refert mimos ſpectaſſe: quid hoc eſt?*
*Res mira eſt: uerum non fuit: imò fuit.*
*Nam cum cum ſpectaret Quercens ea munera, Codri*
*In Quercente ſuo mens pia tota fuit.*

Calliope ad Codrum de Quercente.

*Roborea nuper cupiebas Codre ſub umbra*
*Cantare, & dulci pellere glande famem.*
*Nunc tibi cum glandē, cum Iupiter Anxurus umbram*
*Præbeat, & quercus ſit tua tota uelut,*
*Codre fugis, timidusq; tamen ſi quando propinquas,*
*Hæc in te ueluti ſit ruitura caues.*
*Non tamen ignoras nullo de ſtirpe uenire*
*Viſibus humanis, quot bona quercus habet.*
*Nam præter ueterum glandes alimenta uirorum,*
*Dulcia & duro robore mella fluunt.*
*Hinc canchrys, boletus & hinc, & agaricon, atq;*

*Galla colorandis pellibus apta uenit.*
*Adde quod hinc fiunt uſum præſtantia lychnis*
*Vellera, Palladio quæ ſine rore micant.*
*Adde quod hinc ueniunt ſeruati præmia ciuis,*
*Præmia Cæſareis ſemper amica comis.*
*Hinc etiam Dryades nomen ſumpſere puellæ,*
*Hinc Dodoneæ nomina Sortis habent.*
*Hanc Maro laudauit. laudauit & altus Homerus,*
*Hæc quoq; uerſiculis eſt celebrata tuis.*
*Vnde fit ut mecum mirentur ſæpe ſorores,*
*Inſtabilis quo nam mentis agare malo.*
*Dic rogo, te'ne aliquis uexat phanaticus error,*
*An quicquam quercus quod uerearis, habet.*
*Dic age, non tantum eſt pro Vatibus anxia cunctis,*
*Quantum pro Codro Calliopea ſuo.*

## Ad Calliopem.

*Calliope Aonidum bona uox, & prima ſororum*
*Bellica ſceptrigero quæ canis acta Ioui.*
*Non erat, ætherea pro me de ſede uenires*
*Huc opus, & blandis alloquerere ſonis.*
*Nam neq; dignus eram, nec me tuus ille latebat*
*Ille amor in Codro uiuidus uſq; tuo.*
*Vt mea pallenti redimiſti tempora ciſſo*
*Aptaſtiq; meæ fila ſonora lyræ.*
*Te ſemper ſpirare recens in carmina noſtra*
*Auxilium ſenſi Calliopea tuum.*
*Antè tamen ſummo ſi cogebamur honore*
*Debita centenis reddere dona focis.*
*Nunc multo debere magis quis neſcit? eo quod*
*Sponte tua Vatem, reſpicis ipſa tuum.*
*At me quod uaria miraris mente labare,*

*Opta*

Optatis & quod non fruar ipſe meis,
Non error, non lympha meam quatit anxia mentem,
Sed cogit qui nos cuncta uidere furor.
Vtq; magis pateat rerum tibi cauſa mearum,
Accipe ſollicitis uerba referta ſonis.
Optabam certè querna cantare ſub umbra,
Et diram dulci pellere glande famem.
Omnia concipiens animo præconia quercus
Abs te diuinis commemorata ſonis,
Non tamen id prima licuit mihi cernere fronte,
Cernere quod licuit poſteriore loco.
Vtpote cui multum ſpectanti proxima quæq;
Reddiderat nimius lumina cæca nitor:
At cum roboreas rediiſſem rurſus ad umbras
Omnia colluſtrans iam propiore gradu.
Ecce nouum uideo dictu mirabile monſtrum,
Innumeri ſtabant ore patente uiri.
Dicere ne quicquam poterant nec membra mouere,
At poterant ſacras credo uidere comas.
Attonitus nouitate diu dum ſingula luſtro,
Et rimor captos qui trahat, ἰξὸς ἔην,
ἰξὸς ἔην certè, quercu qui lapſus ab alta
Fallaci ſtultos ceperat arte pedes.
Tunc ego terruerant quem uiſa pericula, dixi,
Codre caue, & procul hinc dum licet, ire ſtude.
Et niſi quam primum ſtuduiſſet abire: profecto
Codrus uiſcati pars foret una gregis.
Nec Libethreas unquam rediiſſet ad undas.
Hei mihi, quam turpi conditione foret.
Calliope, per qui longe iaculatur Apollo,
Et per Thyrſigeri numina iuro patris.

Non

Non tot Circæo gemuerunt monſtra ſub antro,
Non Archeloiades tot rapuere rates.
Euriales nec tot ſenſerunt ſaxa ſororem,
Heu quæ luminibus diſperiere ſuis,
Quot Veneram celeri luſtrantes lumine quercum,
Non poterant ullis membra mouere modis.
Nec ſic, qui primum laboratis uenit ab Indis
Attrahit Heracleus ferrea uincula lapis:
Nec ſic cognatos trahit ad ſe naphtha uapores,
Vt trahit, & tractos glans ligat illa uiros.
Qua cum iſta melius nil libertate probetur,
Horret uiſcatas Codrus adire comas.
Si tamen hoc iubeas, celeri pede Codrus adibit
Multaq; ſub dulci carmina grande canet.
Sed caue ne ſi quando tibi redhibere placebit,
Non poſsis Vatem Calliopea tuum.

Calliope.

Imò ego ſi libeat, quoniam nihil inde nocebit
Codre tibi, ſacras hortor adire comas.
Et ne, quod uiſcum nimis exhorrere uideris
Id noceat, rebus Codre cauebo tuis.
Ambroſiæ totis ſuccos perfunde ſalubres
Artubus, & quouis progrediare, licet.
Non uiſcum, non herba nocens, non naphtha nocebit,
Quorum diuinus tinxerit ora liquor.
Ecce ſupercilijs mihi Iupiter annuit atris,
Ad ſuperas reuocat me Pater ipſe domos.
Codre uale, & donec licet iſta luce potiri,
Dulcia cum dulci carmina funde mero.
Nam neq; cantabis poſt ultima Fata, nec unquam
Iam lacubus Stygijs dulcia uina bibes.

EE Quer-

## Quercens Codro Sal.

*Surripuit perſona tibi quæ carmina nuper,*
*Quercenti tantum nota fuere tuo.*
*Iratus parces, poſcunt ſic tempora luſus.*
*Hoc calor, & nobis pacula ſumpta iubent.*
*Sed ſi forte libet de me tibi ſumere pœnas,*
*Subdam curuato poplite Codre caput.*

## De Quercente.

*Surripuit Quercens mihi cor. nec noſter in illum*
*Eſt tamen ex ulla parte minutus amor.*
*Cur igitur doleam, ſi paucula carmina nobis*
*Lætatur ficto ſurripuiſſe dolo?*
*Antè pauens capiet Mußilum dama leonem,*
*Antè Dionæas pauo timebit aues,*
*Iratum quàm me poßit ſibi cernere Quercens,*
*Quercens lux animæ dimidiumq́; meæ.*
*Nec uolo, nec poſſum, nec debeo ſumere pœnas,*
*De Codro quicquid ſentiat ille ſuo.*

## De Quercente perſonato.

*Sæpe uenit tecta facie, tectisq́; capillis*
*Quercens, & Codrum decipit ipſe ſuum.*
*Codrus hiat, metuit, ſudat, ſuſpirat & ardet,*
*Aßidet, hunc blandis alloquitur ſonis:*
*Iam mihi pande ſacros uultus charißime Quercens,*
*Si Quercens, ſacras te rogo pande comas.*
*Quid iuuat, & ficto uultu, fictaq́; loquela*
*Fallere, qui pura te colit uſq; fide?*
*Codre tace, tua ſunt uotis contraria uota*
*Vt uideas, nunquam Codre uidere cupis.*
*Nam cum detecto fulgor radiabit ab ore,*
*Hic tua quod fieret lumina cæcus eris.*

De eo-

## De Eodem Phœbus alloquitur Codrum.

*Quid te Codre refers Phœbeo numine plenum?*
*Quidúe nouem iactas ſemper habere Deas?*
*Ad te ſæpe uenit ſimulato nomine Quercens,*
*Quercens, quem tanta ferris amare fide.*
*Nec tamen hunc noſcis: uel ſi tibi noſcere fas eſt,*
*Non audes doctis hunc retinere modis.*
*Vel fuge Pierio procul hinc de uertice, uel tu*
*Officium Vatis perfice Codre boni.*

## Porcorum lamentatio.

*Iupiter inuento Cereali munere dixit,*
*Setigeros ſolum glans mea paſcat apros.*
*Tunc porci ſacras menſas onerare Deorum*
*Atq; hominum poterant carnibus atq; cibis.*
*Pinguis erat petaſo, tucetum, ſumina, lumbus,*
*Synciput, omentum, glandia, perna, iecur:*
*Nunc macie tenues uix ſecum crura reportant,*
*Donatos poſtquam non licet eſſe cibos.*
*Barbiger in primis quercum circundedit omnem*
*Hircus, & hinc tetro pellit odore ſues.*
*Hinc calcitroſi conſurgit habena caballi,*
*Et magno ſacras deuorat ore dapes*
*Bos quoq; ſe fœno glandis ſaturare relicto*
*Expetit, & cornus non timet ulla ſuo.*
*Deniq; nunc omneſq; uiri cicureſq;, feræq;*
*Donatas porcis aggrediuntur opes.*
*Ad ius ô celeres, ad ius iam currite porci.*
*Sit modo, qui uobis ius habuiſſe ſinat.*
*De quercu porcis ſpes amplius ulla repleri*
*Non ſit, maiores hanc rapuere gulæ.*

## Ad Vertumnum Zambecarium.

*Romanas uidi duce te Vertumne ruinas,*
*Priſcaq́; templa bonis credita cœlitibus.*
*Nil mage mirandum, ſiue hac ſeu uerterer illac*
*Cernere luminibus fata debere meis.*
*Nam præter celſas moles, & ſplendida tecta*
*Ius proprium Imperij Roma reſeruat adhuc.*
*India contenta eſt Indis, & Gallia Gallis,*
*Roma ſibi è toto uendicat orbe uiros.*
*Præterea cum uix unum prouincia Regem*
*Vna ferat, qualem Martia facta petunt,*
*Principibus ſatis eſt Romana potentia multis,*
*Quos uehit ad ſummum bellica fama decus.*
*Deniq; ſi Vatem Vates non ludit Apollo,*
*Mens mea Romulidis ſydera læta uidet.*
*Nam quæ de ueteri funduntur germina trunco*
*Spargunt aërijs brachia plena comis*
*Non aliter quam cum Herculeo deſecta lacerto*
*Diffudit criſtas Argolis hydra nouas.*
*Iam rediere duces Fabij, rediere Catones,*
*Iam loquitur proprio lingua Latina ſono.*
*Et tandem Imperium toto qui finiat orbe,*
*Et bona qui faciat ſæcula, Cæſar adeſt.*

## Ad Antonium Galeatium Bentiuolum.

*Sanguine Bentiuolo Galeati ſplendide Princeps*
*Progenite, & noſtri cura ſecunda Iouis.*
*Gratia tanta tibi eſt, animus tibi tantus, & oris*
*Maieſtas, ut amet qui ſemel hæc uideat.*
*Orphi magna fuit Vati facundia priſco,*
*Virtuti ſimilis ſed nihil illa tuæ eſt.*
*Illa feros homines traxit rabidosq́; leones,*

Duraq́;

*Duraq́; cum crudis ſaxa coëgit aquis.*
*At tua doctorum permulcet pectora Vatum,*
*Cogantur celeres ut tua ſigna ſequi.*

## Ad Andream Barbatiam.

*In te tanta fuit Barbatia iuris & æqui*
*Noticia, & mentis copia tanta bonæ.*
*Vt poſſes ſolus meliores ponere leges,*
*Iusq́; nouum populis & breuiore uia.*
*Noluit hoc prudens hominum ſator atq́; Deorum,*
*Gratificans templis, Cæſaribusq́; ſuis.*
*Felix qui potuit leges te audire docentem,*
*Atq́; é diuino diſcere iura ſono.*
*Ille etiam felix, cui nunc tua ſcripta, tuosq́;*
*Admonitus memori mente notare licet.*
*Nam quamuis frendant aliqui, Barbatia quicquid*
*Scripſit, in ambiguis ſe Colophona facit.*

## De mendaci uita humana.

*Omnis homo mendax. miſerum me terq́; quaterq́;,*
*Qui didici longo tempore ſcire nihil.*
*Omnis homo mendax. cuncti periere labores*
*Codre tui, perijt gratia, nomen, honor.*
*Omnis homo mendax. quotiens promiſſa rogaui*
*Et dixit faciam, non tamen ille facit.*
*Omnis homo mendax. opulentum me fore quondam*
*Dixerat Aſtrologus, prodidit Aſtrologus.*
*Omnis homo mendax. iuueni mihi multus amator,*
*Vergenti in ſenium nunc mihi nullus adeſt.*
*Omnis homo mendax. qui ſe mihi dicit amicum,*
*Non me ſed pueros diligit ille meos.*
*Omnis homo mendax. qui pro me exponere uitam*
*Iurarat, uiſo comminus hoſte fugit.*

*Omnis homo mendax. cras hic ſeſtertia quinq;*
*Debita ait ſoluam, nec tamen ille facit.*
*Omnis homo mendax. quotiens Claretta daturam*
*Se mihi promiſit, nec dedit illa tamen.*
*Omnis homo mendax. qui me laudauit in ora*
*A tergo longas porrigit auriculas.*
*Atqui diligeris, multoq́; audiris honore.*
*Quid tum? ſi mendax dicitur omnis homo.*
*Hiſtorias omneis, & cuncta poëmata noſti.*
*Quid tum? ſi mendax dicitur omnis homo.*
*Et cauſas rerum, & rerum medicamina calles.*
*Quid tum? ſi mendax dicitur omnis homo.*
*Nil deeſt, quid metuis mortalia? nec tibi deerit,*
*Neſcio, ſi mendax dicitur omnis homo.*
*Dum uiuis ſperare licet: ſperare? quid autem*
*Sperem, ſi mendax dicitur omnis homo.*
*Vah nihil ergo boni, nil ueri uita tenebit?*
*Neſcio, ſi mendax dicitur omnis homo.*
*Ergo & quam egiſti facta eſt tua gratia mendax.*
*Forſan, ſi mendax dicitur omnis homo.*
*In genere humano uerax prò Iupiter unus*
*Non eſt: aut fieri qua ratione poteſt?*
*Imò poteſt: bibat ille libens, rebibatq́; neceſſe eſt,*
*Qui fieri uerax cum ratone uelit.*
*Sed quis non bibit, ac rebibit bone Codre libenter?*
*Sic igitur uerax dicitur omnis homo.*
*Dicitur: at quare querulus paulo antè negabas?*
*Neſcio, fortaßis non biberam quod opus.*
*Ergo aliàs quantum ſatis eſt, potare memento.*
*O rudis ad Bacchi pocula uera refers?*
*Non ita: Ariſtotelem totum potare neceſſe eſt,*

*Si fie-*

*Si fieri uerax cum ratione petis.*
*Perdidimus Codrum iuuenes, quem uera docentem*
*Crediderам,uideo plurima uana loqui.*
*Stulte quid exclamas? plus nos mendacia Codri*
*Cum ſale,quam uerum quod ſine fruge iuuat.*

## Ad Vitam Amicam.

*Si te dilexi ſeptem mea Vita per annos,*
*Et ſenſus in te ſi uiguere mei.*
*Si bene quid de te meruit mea Muſa reguntur*
*Omnia ſi nutu tempora noſtra tuo.*
*Cur mihi difficilis,cur intractabilis uſq;*
*Perſtas?cur reddis non in amore uicem?*
*Ah tua non Gorgon mater fuit,ah tibi Sciron*
*Non pater,ah nutrix non Lea ſæua tibi.*
*Per nigros oculos rogo te,nigroſq; capillos,*
*Et per adhuc teneris ora beata genis,*
*Sis facilis,lætoq; animo complectere amantem,*
*Parce tibi hanc animam,dum mea Vita potes.*
*Humano melius nil ſanguine,collige contrà*
*Eſſe homine peius nil feritate poteſt.*

## De Imagine ſua.

*Si Codrus tibi notus eſt uiator,*
*Quis Codrus magis eſt?an hic an ille?*

## Ad Andream Magnanimum.

*Magnanime Andrea,cuius de pectore manant*
*Carmina Mopſopijs æquiparanda fauis.*
*Huic Vrbi diramq; leuem,morboſq; furentes*
*Aſtra homineſq; canunt,& ſibi quiſq; timet.*
*Hi proprios alios ſtatuunt transferre penates,*
*Hi tantum in priſca ſede manere uolunt.*
*Quid ſtruis Andrea, ueri ſpectator amoris,*

*An tua*

An tua rura petes? non ego. tu? nec ego.
Hinc igitur quid nos abducere uultis amici?
Neſcitis quæ nos perdere fata queant.
Non aqua, non ignes, non turbo, nec arida febris,
Noſtra ſed abſumet pectora ſolus amor.

## Ad Vertumnum.

Qu's perditos mores & ætatem malam
Vertumne noſtram nunc queri poßit ſatis?
Lachrimasq; dare quas poſtulat præſens labor?
Afflicta tellus Auſonis quondam fuit
Doloribus magnis quidem, ſed non ſimul
Tot tamq; acerbis: ſemper in magnis malis
Erat aliquid quo nos reficeremur boni.
Nunc peſtilentia, bello, fame ſimul
Vexamur, & quod reficiat reſtat nihil.
Siccantur amnes, terra nil profert boni:
Venena regnant, ira mucronem rotat.
Nil reſtat, eſſe quod putet quiſquam ſuum.
Vix ipſe miſerum ſpiritus corpus regit.
Credere minorem Tantali cogor ſitim.
Certe minore Siſyphum uexat lapis
Pœna, minorem patitur Ixion rotam.
Nec uultur ore Tityon atro ſic ferit,
Nec ſic perennes Belidas uexant aquæ,
Vt eſſe noſtris non putem pœnis minus.
Saltem dolori quis bonus Vates meo
Solator eſſet, qui in malis tantis meos
Leniret æſtus uerba componens ſonis.
Deſunt Poëtæ: ô peius & maius malum.
Non eſt Menandri quem iuuet ſoccus leuis,
Non eſt cothurnum qui Sophocleum gerat,

Non

Non Pindarum imitari ſtudet quiſquam, neq;
Homerum. ad ſummam cum ſacris totus ſonis
Permeſſus aret, omnis effracta eſt lyra.
Heu heu minore me ſatum brutis ſtatu,
Quod licuit ouibus atq; montanis feris,
Saxiſq; dulces Thracij Vatis ſonos,
Audire non licebit edocta mihi
Habitanti in Vrbe, quam minor Rhenus rigat.
O miſera gens & triſtis in triſti ſimul
Creata ſeclo, quæ nihil, cœlum uides.
Priuata ſæpe fratris aſpectu ſui
Diana nobis hæc minabatur mala
Coituſq; Martis, atq; Falciferi ſenis,
Et cuncta cœli fulmina irati palàm.
Nec non ſiniſtræ præpetes ac oſcines
Idem monebant. hinc Haruſpices ferunt
Vidiſſe dira pallidum fibra iecur,
Hinc alius atra nunciat diras aues
Stridere nocte: nec tamen quiſquam ſatis
Aperit grauatas ſcelere non ſomno genas.
Nec obſtat illis queîs poteſt prudens malis.
Sic mundus omnis ſemper in peius ruit.
At ſi Camœnas Bacchus impellat ſuo
Furore noſtras, uiribus uires ferens,
Bacchabor audax, qualis inſano gradu
Megæra currens quaſſat anguigerum caput:
Atq; ô ſceleſti ueſtra per cunctas uias
Clamabo ſcelera, uoce qua nunquam ferox
Aut Stentor, aut Mars crudus auditus fuit,
Magiſq; quam clamore qui diro triceps
Exterret umbras Cerberus miſerabiles.

*Quorum uenenis Iupiter tandem excitus*
*Diris flagellis uexat humanum genus.*
*Non creditis?latere non poteſt ſcelus.*
*Ego nominatim quicquid egiſtis feram,*
*Et quicquid agitis,quóue tendatis dolos.*
*Poëta uerſu uos faciet uti ſuo,*
*Quali Lycambes ſe miſer preßit manu.*
*Neſcitis ardens quid ferat Vatis furor.*
*Iam iam timetis.conſcius ſemper timet*
*Sed præſtat orare prius: ergo tu pater*
*Vertumne uertens cuncta ſeu paſtor uelis,*
*Seu miles eſſe,ſeu maris ſæui Deus,*
*Qui Palladem innuptam mero nutu potes*
*Vertere ad amandum lucidas thalami faces.*
*Poſtquam leuari non quit hac manu dolor,*
*Tu uerte quæſo tempora,& mores malos,*
*Mentemq; rectam trade ſupplicibus tuis,*
*Si te benigni cordis experti ſumus,*
*Si te labores,quos ferunt Vates mouent,*
*Sic te lacertis ſemper amplecti ſuis*
*Pomona poßit.uerte iam uerte ocyus*
*Quodcunq; nobis obſtat,ut lætus canam,*
*O candidos mores & ætatem bonam.*

## Ad Amicos de Cinthio.

*Carmine,muneribus,precibusq; rogatis Amici,*
*Cynthius in ueſtros ut uelit ire ſinus:*
*Non tamen ille uenit,nec ni meliora reſurgant*
*Quæ uobis illum ſydera dent,ueniet.*
*Aſt illum Agriade ſubigit deformior ipſo.*
*Quid tum? felici ſydere natus agit.*
*Quid iam ſyderibus miramur regna ſubeſſe,*

Ipſe

*Ipſe etiam niueus* μόρσιμα πρωκτὸς ἔχει.

## De Alexi.

*Dum fuit impubes Ganimede potentior omni,*
*Ignoſcas Codro Iupiter alme tuo.*
*Nec prece, nec lacbrimis, nec dulci carmine, quali*
*Cum Ioue mota forent Tartara tota ſuo,*
*Codrum infelicem uoluit formoſus Alexis*
*Aſpicere, aut ſaltem terga uidenda dare.*
*Interea à tanto Codrus fulgore repulſus,*
*Lugebat uitæ Fata ſiniſtra ſuæ.*
*Nunc fructificante pilo factus deformis Alexis,*
*Expoſcit Codri ſeruulus eſſe ſui.*
*Codrus ait: quondam potuit Mileſia turba.*
*Qui ſapit haud apto tempore, ſero ſapit.*
*Triſtis abit, ſimul & ſua tempora deflet Alexis,*
*Sic fortuna uices datq;, rapitq; ſuas.*
*Nunc alios rogat hic, quem quilibet ante rogabat*
*O quantum teneri temporis aura ualet.*

## Ad Glaucum.

*Inter formoſos iuuenes memorandus Amyntas*
*Glauce rogat: Codrus ſit'ne Poëta tuus?*
*Si reſpondiſti, bene factum: ſin minus, haud eſt*
*Dicito, ſed fieri ſi patiare poteſt.*

## De Fluentino Romano.

*Eſt Fluentinus reſonans Poëta,*
*Eſt Fluentinus numeroſus ore,*
*Eſt Fluentinus pater & magiſter*
*Ardelionum.*

## Epitaphium Tadeæ Nymphæ.

*Hic ego quæ fueram decus admirabile noſtri*
*Temporis, en iaceo pulchra Tadea roſa.*

*At quæ me potuit dulci diuellere uita,*
*Non poterit famam mors uitiare meam.*
*Rebus in humanis, non uir, non fœmina ponat*
*Spem certam: firmum Sors nihil eſſe ſinit.*

Aliud.

*Quàm minimum humanis fas ſit confidere rebus,*
*Quàm properet tacito mors inopina gradu,*
*Diſcat ab exemplo noſtri, quæcunq; ſuperbit*
*Aetate & cunctis nota decore ſuo.*
*En ego formoſas inter numeranda puellas*
*Raptaq; ſub primo flore Tadea tegor.*

In Cupidinem.

*Augeo te ſacris precibusq; Cupido, negetur*
*Vt præter uotum linea quinta mihi?*
*Siccine me lactas? ſic pro pietate reponis?*
*Vis dare quod petimus? nolumus. ergo uale.*
*At non ambages, uerum hæc oracula memento*
*Cypridis humana natus egebit ope.*

Pro Effigie Galeatij Bentiuoli.

*Bentiuola ex gente Princeps Galeatius hic eſt,*
*Præſtans ingenio, Pallade, Marte, fide.*

De Franciſco Puteolano.

*Si quiſquam magno uates æquandus Homero eſt,*
*Is niſi Franciſcus credite, nullus erit.*

Epitaphium Zephiræ.

*Hic Zephyra Ordelaphi coniunx pulcherrima Pini,*
*Atq; è Manfredo ſanguine nata, iacet.*
*Rapta fuit quinto nondum circundata luſtro,*
*Et lucem terris quam dabat ipſa tulit.*

Ad Herculem Ferrariæ Ducem.

*Monſtrorum domitor pacem donauerat orbi,*

Et de-

*Et dederat membris otia tuta ſuis.*
*Hunc fore ſopitum credens ſæuiſſima Iuno,*
*Paulatim ſcelerum protulit omne genus.*
*Creuit Buſiris dirus, creuere bimembres*
*Centauri, & damnis hydra ſuperba ſuis:*
*Creuit inauditum ſcelus ante hac, creuit Enyo*
*Ordinibus uerſans poſteriora ſuis.*
*Exclamare miſer cœpit ſine more patronum*
*Mundus, & Alcide fer bone dixit opem.*
*Terra gemit, cœlum mœret, triſtantur & undæ,*
*Ignis & ipſe nequit crimina tanta pati.*
*Subridens bonus Alcides, pariterq́; timendum*
*Sæpe caput quaſſans, omnia cerno, refert.*
*Nil latet hunc: rurſus clauam ſi ſumpſero, pacem*
*Aeternam terris, credite monſtra, dabo.*
*Reſtabat tamen: at Mundo clamante ſupremum*
*Opprimor: heus tandem claua ubi? eamus ait.*
*Vix hic ediderat rediit iam ſpiritus orbi,*
*Terra ſuis uiſa eſt ſemileuata malis.*
*Herculis inuicti nodoſum robur in agmen*
*Monſtriferum magna cum feritate ruit.*
*Quò fugitis, quò terga datis? portenta timetis*
*Alciden? uobis nullus in orbe locus.*
*Perge age uictrici populos Laoſſoë dextra*
*A portentiferis exue quæſo malis.*
*Maxima uictori, meritisq́; educitur ara,*
*Plurima ubi, & pinguis uictima cæſa cadat.*

## Epitaphium Pini Ordelaphi.

*Heu pace multum, Marteq́; plurimum*
*Deſiderati candida Principis*
*Hic oſſa Pini perpetuo ſedent.*

## De Glauco & Codro.

*Cras abeo Codre,triduo rediturus:habebis*
*Interea Glauci nomen in ore tui.*
*Hui tantó n' linquis me tempore Glauce?receſſit*
*Quo tuus in Vatem riſus amorq́; tuum?*
*Ne rogo diſcedas,ne ſomni cauſa perennis*
*Sis mihi,non potero te ſine ferre moram.*
*Res mea magna uocat:ſine me parere,regreſſum*
*Obſequium accipies Glaucon in omne tuum.*
*Aut mecum uenias,præſtat:nil gratius iſto*
*Tempore mi poſſes reddere Codre,ueni.*
*Non uenio:ualeas & ſi hunc ſpiraſſe regreſſus*
*Videris,ah tumuli ſit tibi cura mei.*
*Nil uolo,nil cupio niſi ut ô ſuauiſsime Glauce,*
*Cuius eram uiuus,mortuus eſſe ferar.*

## De Septem Iuuenibus Ferrarienſibus.

*Aemula ſtellifero certat Ferraria cœlo.*
*Si quis ſcire cupit qua ratione,canam.*
*Sideribus,magnis Deis ornatur olympus*
*Sideraq́;,& magnos Vrbs habet iſta Deos.*
*Aurea tecta uides primo fulgere Tonanti,*
*Et noſtro fulgent aurea tecta Ioui.*
*Omnia ne numerem. ſunt hic quoq; ſigna trionum*
*Vrſa mihi credas,nobiliora tuis.*
*Obſcure forſan uideor ceciniſſe quibuſdam,*
*Qui ſibi præciperent clarius iſta cani.*
*Parcite.nam fari ſic me Saturnia Iuno*
*Iuſsit,& indoctos iſta latere uiros.*
*Vos quibus ingenium eſt,qui toto pectore Muſas*
*Diligitis,parua ſcire poteſtis ope.*
*Hæc ſigna in tenebris lucent,radiantia geſtant*

Lumia

*Lumina mellifluis plena cupidinibus.*
*Felix Ferraria es: quare? uiuentibus iſtis*
*Nox quia cum tenebris nulla futura tibi eſt.*

Contra Inuidos.

*Quid me liuor edax tranſuerſo lumine ſpectas?*
*Quid ſacrum mordes Rumor acerbe uirum?*
*Scilicet innocuum tu diffamabis? honeſtus*
*Ex toto ſi me pectore Glaucus amat.*
*Verum ut more tuo blateres magis atq; liqueſcas,*
*Accipe propoſiti uerba fidemq́; mei.*
*Dum colluſtrabunt epicyclos ſidera quinq;,*
*Dum fluuijs undas Tartarus ipſe dabit,*
*Lucida formoſi uenerabor lumina Glauci,*
*Et Glauco in in terris nil mihi maius erit.*
*Cur tantum? tantum quia debeo. quid facit hoc te?*
*Ingenium, uirtus, nobilitas, & amor.*

Ad Glaucum.

*Hinc ego iam uolui diſcedere ſæpius, at tu*
*Promiſſis ſemper blanditijsq́; tenes.*
*Ars tua nota mihi eſt, abeo: uel ſi tamen iſtic*
*Me cupis eſſe, queam quo tutus eſſe, face.*
*Me retinere ualent hæc ſingula, ſcilicet Hermes*
*Lucrificus, Pallas docta, uolensq́; Venus.*
*Horum ego quid facio? lucrandi nulla facultas*
*In me: proficio nil ego, nec futuo.*
*Qui ſine qua uitæ uiuit dulcedine, prorſus*
*Stultis iudicio ſtultior ille meo eſt.*
*Quod potes ergo mihi præſta, ne lude Poëtam.*
*Credo ſapis, ſed iam uidero ſi ſapies.*

Ad Bartholomæum Blanchinum.

*Hei mihi, quanta fuit noſtro ſub pectore pœna?*

*Ille fuit quantus Bartholomæe dolor?*
*Cum diſcedenti nuper, patriamq́; petenti*
*Fixiſti geminis baſia bina genis.*
*Auerſusq́; ſtatim direptus. hei mihi, corda*
*Pectore de noſtro uiſa fuere rapi.*
*Non tu ſolus eras qui me comitatus, at in te*
*Felſina mi ſeruat, quicquid amoris erat.*
*Ingens præteritus dolor, aſt ingentior iſte*
*Qui ſequitur. miſerum me, poterón ne loqui?*
*Vix credo, ſic nempe uolunt Iouis aſpera Fata.*
*Eſto quicquid erit, ſtet modò uita, feram.*
*Bartholomæe mihi quando, quando amplius ipſe*
*Affiges geminis baſia bina genis?*
*Nunquam crede mihi, nunquam. ſunt uera profectò*
*Quæ canimus, uerus fallere neſcit amor.*
*Excruciat dolor iſte meas ſine more medullas,*
*Et facit ut uitam non habuiſſe uelim.*
*Quid faciam miſer ipſe? gemam dum uixero, meq́;*
*Tradam elegis (hæc ſunt carmina digna) ſonis.*
*Poſt mortem optatam campis lugentibus umbras*
*Viſurus tandem Bartholomæe tuas.*
*Illic perpetuum nullus uiolabit amorem,*
*Illic affectus cordaq́; prodet amor.*
*Euadne & Procris nos mirabuntur, & inter*
*Se dicent, tales non habet iſte locus.*
*Qui Præceptorem tantum dilexerit unquam,*
*Hunc præter monſtres eſt ubi diſcipulus?*
*Hæc auſcultantes taciti lætabimur, & mens*
*Conſcia uirtutis gaudia ſumma feret.*

## Ad Cæcilium.

*Mercurius Superûm non eſſet nuncius, eſſent*

*Si tam ueloces ut tibi lingua pedes.*

Contra nobiles ſine uirtute.

*Sint tibi Gallorum rex & regina parentes,*
*Et maneat uirtus pectore nulla tuo,*
*Non pluris faciam te quam tibi ruſtica mater*
*Si ſit, & ignarus ruſticus ipſe pater.*

In Deos uanos.

*Iupiter altitonans, Neptunus, Bacchus, Apollo,*
*Numina ſunt ſtultis annumeranda Deis.*

Ad Calliodorum.

*Vxorem, certe quæ dulcia ſcribere poſſet*
*Carmina, ſed mœcham Calliodorus habet.*

Ad Cornelium Voltam.

*Cui dono lepidos nouosq; uerſus,*
*Quos nuper cecinit poëta Codrus?*
*Corneli tibi, qui colis Camœnas,*
*Muſarumq; choros, & antra Phœbi?*

Ad Dormientes.

*Dormitis nimium glires, uitulíq; marini.*
*Non mirum eſt, ſi uos craſſa Minerua premit.*

Reſponſum Dormientium.

*Nunc ſomni pingues, nunc ſunt pulcherrima ueris*
*Tempora, qui dormit quam uelit, ille ſapit.*

In laudem Ciceronis.

*Quicquid temporibus meis*
*Aut uidi, aut ſtudui libens,*
*Omne illud Cicero mihi*
*Felici dedit omine.*

Votum Poëtæ.

*Longa ætas Pylium prudentem Neſtora*
*Hac utinam poßim conditione frui.*

Ad Heliodorum.

*Si cupis ornari uirtutibus* Heliodore,
*Vince animum & corpus, diſce, ſtude & uigila.*

Ad Cornelium Pepulum.

*Corneli tibi dat cantanti dulcia* Clio
*Baſia, ſed noctes dat mihi ſollicitas.*

Ad Cæſarem Nauium.

*Priamides Phrygijs quantus fuit* Hector *in armis,*
*Tantus in heroo carmine Cæſar erit.*

Ad Hannibalem Bentiuolum.

*Carthago* Hannibalem *genuit dirumq; ferumq;,*
*Aſt colit* Hannibalem *Felſina docta pium.*

In laudem Bononiæ.

*Sol quantum ſtellas ſuperat, uel luna minores,*
*Tantum alias urbes* Felſina *docta præit.*

In Fœminas.

*Sydera non tot habet cælum, nec flumina piſces,*
*Quot ſcelerata gerit fœmina mente dolos.*

In Laudem Chriſti.

*Phœbum alij Vates Muſasq; Iouemq; ſequuntur,*
*At mihi pro uero numine Chriſtus erit.*

Ad Lodouicum Giſilardum.

*Carmina quæ ſcribis gracili* Lodouice Thalia,
*Certe ſunt prima candidiora niue.*

In Simonem Iaderenſem.

*Illyris es, ſeniorq;, & longo corpore. quidnam*
*Mirum? ſi ingenio diceris eſſe malus?*

De Vita Beata.

*Ille beatus erit qui ſe uirtutibus ornat,*
*Sed qui ſe uitijs inquinat ille miſer.*

## Ad Parnaſum.

*Da ueniam Parnaſe tuas ſi ſpernimus undas,*
*Hæc ſunt nam calidis tempora danda focis.*

## Ad Aleonem.

*Frigore compreſſam cum cerneret Aleo prognem,*
*Hæc me ſeq; ſimul perdidit inquit, auis.*

## In laudem Ciceronis.

*Romanæ ornauit gentis doctiſſimus orbem*
*Tullius ingenij nobilitate ſui.*
*Non habet huic ſimilem doctrinæ Græcia mater:*
*Nec reperire parem Lingua Latina poteſt.*

## Ad Pompeium Foſcararium.

*Carmina quæ de te nuper mihi miſſa fuere,*
*Viſa Maroneis uerſibus æqua mihi,*
*Ambroſiamq; Deis gratam ſpirare ſupernis,*
*Iupiter ô, quali ſcripta fuere lyra?*

## Ad Alexandrum Manzolum.

*Si cupis ornatos hedera geſtare capillos,*
*Aſſiduo Vatum ſcripta labore lege.*

## Contra Poëtam ignorantem.

*Quid tibi cum Muſis, quid cum ſtolidiſſime Phœbo.*
*Auritus fies, tu Mida ni taceas.*

## Ad Vlyxem Muſotum.

*Tu mihi pallentes uiolas Muſote dediſti,*
*Hæc ego pro uiolis carmina dono tuis.*

## Ad Gaſparem Argileum.

*Dum uer parturiet flores, & terra calores,*
*Dum poma autumnus, frigora tradet hyems,*
*Semer honos nomenq; tuum, & tua gloria uiuet,*
*Inq; meo Gaſpar carmine ſemper erit.*

## De Vita læta.

*Quid iuuat annoſam & triſtem producere uitam,*
*Eſt melior certè, ſi modo læta breuis.*

## Ad Amicum.

*Pietas quid prodeſt homini, quid gloria, uires,*
*Pallida mors dura ſingula falce metit.*

## Epitaphium Regis Ferdinandi.

*Subdita cui fuerat gens Appula Trinacris ora*
*Ferdinande tibi paucula terra ſat eſt.*

## Ad Camillum Pallæotum.

*Cui mitto iuuenes lyræ ſcientes*
*Noſtros endecaſyllabos, ſalesq́;*
*Prudens quos cecinit Thalia nuper,*
*Hos dono tibi nobilis Camille,*
*Qui me plus alijs amas Poëtis.*

## Ad Iuuenes.

*Dum datur ô iuuenes diſcendi copia uobis,*
*Diſcite, non ſemper copia talis erit.*

## In Galliam.

*Fama refert Gallos Latio fera bella minari,*
*Quid facis, heu pœnas Gallia uicta dabis.*

## Ad Franciſcum Placentinum.

*Tu mihi das uiolas: ego do tibi carmina certè*
*Non tua ſunt donis æquiparanda meis.*
*Nam uiolæ paruo pereunt in tempore, uerum*
*Carmina quæ bona ſunt, non peritura manent.*

## De Arcu Triumphali erecto à Franciſco Numa in honorem Diui Hieronymi.

*Non hæc Cæſareis ſint æquiparanda triumphis,*
*Signa dedit Ducibus, quos noua Roma ſuis.*
*Non hæc marmoreo ſint æmula ſigna Coloſſo,*

*Quem tenuit claro littore pulchra Rhodos:*
*Attamen hoc præſtant illis illuſtriſſime Princeps*
*Quod fidei ueræ plus,& amoris habent.*
*Quantum magne tibi Ductor Numaia propago*
*Debeat,es teſtis maximus ipſe tibi.*
*Vtq; tuas laudes uerſu comprendere non eſt,*
*Seu ſit Mæonidæ,ſiue Maronis opus:*
*Sic Numaia fides nullo tractabilis ore eſt,*
*Pro Dominoq; ſuo pro Dominaq; ſua.*
*Et licet æqua ſuo mortalis dona Tonanti*
*Nemo ferat,tenuis ſæpe tabella ſat eſt.*
*Non aurum,non thura Deus,non munera penſat,*
*Sed quali fiant iſta uel illa animo.*

## Ad Diuum Hieronymum Epigramma, in quo Io. Franciſcum Tollentinatē laudat Poëta.

*Aemula Cæſareis,aut ſunt maiora triumphis,*
*Liuica quæ fecit pro Duce terra ſuo.*
*Vidimus hic arcus,portas,umbracula,currus:*
*Qualia bellipotens præmia Victor habet*
*Gaudia quis referat?miſſasq; ad ſidera uoces?*
*Qualibus inuento non ſtrepis Iſi uiro.*
*Maxima quæ data ſunt,cenſentur Principis ipſa*
*Maxima cui data ſunt,gloria maior adhuc.*
*Cui tantam laudem Princeps Hieronyme debes?*
*Hanc populo dices protinus ipſe meo.*
*Vera refres.tantum ſed conciliauit amorem*
*Quis tibi?Franciſcus(dicam ego)nempe tuus.*
*Cedant arma bonæ fidei.plus ornat amoris*
*Tollentinatem nunc noua fama domum.*

## Ad Dominam Catharinam Riarij Comitiſſam.

*Quàm uel in Eurotæ ripis pharetrata Diana,*
*Vel iuga per Cynthi ducit agitq́; ſui:*
*Et quam præcepit Tyrijs Sidonia Dido,*
*Nobilior certe noſtra chorea fuit.*
*Pluribus hæc Nymphis, hæc pluribus ducta miniſtris,*
*Reddebat nobis, Numina quicquid habent.*
*Reddebatq́; Deos omneis. gratamq́; tenebat*
*Alcides Heben ipſe Quirinus horam.*
*Si tales ſemper reddes Catharina choreas,*
*Nullum de cœlo pondus habebit Atlas.*

## Ad Hannibalem Bentiuolum.

*Per tua magnanime Princeps Mauortia facta.*
*Et per iuſticiæ regia ſceptra tuæ.*
*Perq́; tuæ ingenuam faciem, moresq́; pudicos,*
*Coniugis in medio quæ tibi corde manent.*
*Perq́; illum qui nempe tuo de ſanguine natus*
*Te patrem ingenio moribus, ore refert.*
*Te rogo, fac ſeruos inter numerare fideles*
*Ipſe tui Vatis nomina parua uelis.*
*Non dicam quid opus. nam prudentiſſima geſtas*
*Pectora ſeruitij permemor uſq́; boni.*
*Inq́; tua es Deus Vrbe,* θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασιν
*Te negat eſſe Deum Zoilus. ecce probo.*
*Iuſtus es, ergo bonus: bonus es, deus ergo uocandus.*
*Aſſumptum ſapiens nemo negare poteſt,*
*Sed neq́; quod ſequitur, uerum eſt, quod ſtulte negaſti*
*Zoile, de tanto Principe lemma meum.*

## Ad D. Lucretiam Bentiuolam.

*Trade meo mea Iuno Ioui mea carmina, facq́;*

*Commen-*

*Commendes magno me mea Iuno Ioui.*
*Tardipedem ſi ſola Deum Venus aurea flectit,*
*Sola meum poterit flectere Iuno Iouem.*

Ad Lælium Teodolum de Perla, eius Amica formoſiſſima.

*Perlam amo, & Perlam maneat modo ſenſus, amabo:*
*Non nego: nec fas eſt uelle negare mihi.*
*Et quis tam durus, tam ferrea pectora geſtans,*
*Hanc non plus oculis diligat usq; ſuis?*
*Et meritò. nam cuncta gerit decora alta pudoris*
*Et formæ à Superis tradita Perla locis.*
*Perla mihi lux eſt, uitam mihi Perla miniſtrat,*
*Hei mihi, pars animæ maxima Perla meæ.*
*Leda, Helene, Hermione, Pyro, Medea, Calypſo*
*Si uiuant, Perlæ cedere nulla neget.*
*Perla poteſt duros ſenſus inflectere ſola,*
*Perla poteſt rabidas flectere ſola feras.*
*Sit mihi Perla comes, uertent mihi terga biſontes,*
*Terga dabit celeri bubalus ipſe fuga.*
*Sit mihi Perla comes, peſtis mihi nulla nocebit,*
*Quam uiuunt ſenſus me ſpeculante mei.*
*Iupiter ô fulmen tibi habe, Neptune tridentem,*
*Elyſios habeat Perſephonea ſuos.*
*Aſpiciat modo me, fructum quoq; dulcis amoris*
*Donet amatori candida Perla ſuo.*
*Nec cœlum ſublime petam, nec cerula ponti*
*Aequora, nec campos Perſephonea tuos.*

Rhythmus die Diui Martini pronunciatus.

*Io Io Io Io*
*Gaudeamus Io io*
*Dulces Homeriaci.*
*Io io*

Io io

Noſter Vates hic Homerus,
Dithyrambi dux ſyncerus
Pergræcatur hodie.

Io io

Hæc eſt illa bona dies,
Et uocata læta quies
Vina ſitientibus.

Io io

Nullus metus nec labores,
Nulla cura nec dolores
Sint in hoc ſympoſio.

Io io

Vultis mecum iam potare?
Et lyæum exaltare
Dulces Homeriaci?

Io io

Qui potare cupit mecum
Licet uerum portet ſecum
Vina plenis utribus.

Io io

Ecce tibi Trebulani
Apportamus, & Albani
Centum plenos urceos.

Io io

Sed quis nobis miniſtrabit,
Et præſto uinum dabit
Dulce ſitientibus?

Io io

Hic habemus Thomaſinum
Cognoſcentem bonum uinum

Primo

*Primo uiſu ſubito.*
*Io io*
*Hic ridendo propinabit,*
*Et bibendo prouocabit*
*Omnes Homeriacos.*
*Io io*
*Audi bone Thomaſine*
*Græce bibens & Latine*
*Tuum fac officium.*
*Io io*
*Eſt iam tempus ut potemus,*
*Et poſt potum ſic oremus,*
*Deflectamus genua.*
*Io io*
*Si potaſtis iam leuate,*
*Et crateras coronate,*
*Vt bibatis iterum.*
*Io io*
*Felix eſt ter, felix quater,*
*Cui dat potum Bacchus pater*
*De ſpumanti cantharo.*
*Io io*
*Ne lucernæ extinguantur,*
*Et potantes moriantur*
*Date nobis oleum.*
*Io io*
*Vos Germani, uos Hiſpani,*
*Vos Inſubres, uos Britanni*
*Bibite pro uiribus.*
*Io io*
*Sed uos rogo dum potatis*

*Ter & quater, uideatis*
*Ne frangatis Vrceum.*
Io io
*Omnes fortes ſunt uinoſi,*
*Et potantes animoſi*
*Dicit Ariſtoteles.*
Io io
*Omnis doctor, omnis rector,*
*Bacchi patris ſit protector*
*In æterna ſæcula.*
Io io
*Dulce dulci miſceatis,*
*Ex hoc in hoc faciatis,*
*Vt potetis dulcius*
Io io
*Bacche Vatum fortis pater,*
*Et qui ſolus es bimater,*
*Et formoſus diceris*
Io io
*Qui Delphinos amatores*
*Puerorum, & potores*
*Feris miſces lyncibus.*
Io io
*Tecum ciuem Lampſacenum*
*Rogo ducas & Silenum,*
*Bacchasq; thyrſigeras.*
Io io
*Et te prope ſit potina,*
*Que dat potum in culina*
*Prima cunctis pueris.*
Io io

*Tentat Bacchas Ithyphallus,*
*Malus caper, malus gallus.*
*Aha nimis turpiter.*
Io io
*Bibe quantum uis Priape,*
*Sed honeſtam partem cape*
*Ne perturbes gaudia.*
Io io
*Bibe, bibe, bibe, bibe*
*Tu qui ſapis bibe, bibe*
*Dum Lyæus imperat.*
Io io
*Sed iam potrix turba tace,*
*Et tu Codre talos iace*
*Sub bibendi arbitro.*
Io io
*Quod iecisti canes ternos,*
*Bibe, bibe, bibe ternos*
*Iam Falerni calices.*
Io io
*Tu iecisti ſenionem,*
*Bibe, bibe bactrionem*
*Trebulani ueteris.*
Io io
*Codre caput tibi fumat,*
*Ne quis ignis te conſumat*
*Stingue mero citius.*
Io io
*Et uos mei combennones*
*Eleuate bactriones,*
*Vt poßitis dicere*

 Io io

Io io io io
Gaudeamus io io
Dulces Homeriaci.

## Ad Antonium Muſotum.

Ingenium Tulli, ſacri uel adeſſe Maronis
Temporibus noſtris maxima turba negat.
Quæ tua ſi Antoni legeret nitidiſſime ſcripta,
Hoc utrunq; ſibi cerneret eſſe loco.

## VERGILIVS PORTVS MVTINENSIS Phyſicus auditor, in noua Vrcei Codri æditione humaniorum ſtudiorũ candidatis Salutem.

HVc huc, uorate præpeti uiam gradu,
Vos ô fluentis accolæ Permeſſidos:
Vos qui bimatrem auertitis Nyſa Euchium:
Quos docta mulcet lectio, quibus graues
Mixtæ facetijs placent ſententiæ.
Omnis fauore turba digna Apollinis,
Huc huc, uorate præpeti uiam gradu.
Deſideratus ille uobis tam diu
Iucunda Codri iam ſupellex Vrceus,
Quem dira uotis inuidens mortalium,
Surdisq; ſurdi ſurdior pelagi minis
Mors ut peremit, ut grauem eclipſim intulit
Et palliatis, & togatis gentibus.
Sed innouamus uulnera: audio gemitus,
Et ſuſcitari ſentio ſuſpiria.
Apage, ſinamus iſta: ueſter Vrceus
Ille, ille qui lepidis ſuis ſermonibus,
Mira eruditionis affluentia
Abſtruſa Vatum ſenſa ab imis eruit.

Latini-

*Latinitatis urna promptuaria*
*Adeſt, apertum contuetur aëra.*
*Hinc Liuij forum, hinc frequens Bononia*
*Sitim leuauit huc pater Latoius*
*Heliconiadas ociatus uirgines*
*Traducit, æſtante ſub canicula.*
*Age qualis ambroſia? quis illitus thymo*
*Fauus? qui odores Indici? quæ diuites*
*Arabum inde fragrant copiæ? quam uberrime*
*Parnaſſi amœna rura lætus diluit:*
*Potate: habetis urceum, unde perenniter*
*Canopici fruticis per internodia*
*Facetus it liquor ex cruore ſæpiæ,*
*Pluteoq́; cæſo, mordicatisq́; unguibus:*
*Et cedro olente, & albicantibus hederis,*
*Daphnesq́; ſacris crinibus ſub ueſperam*
*Cum multiformi fabricatus Pallade,*
*Nonum uſq; in annum ſub trapeti pondere*
*Liquatus, illa lege, & obſeruantia,*
*Eaq́; dignitate & elegantia,*
*Vt nil deeſſe, nil ſuperuacuum putes:*
*At uero Diuus, plurimumq́; conferens*
*Linguæ ad uitia, uitiliginesq́; pectoris,*
*Sedare ſtomachi cruditates impotens,*
*Et bilis atram ſpiſſitatem expungere,*
*Scabramq́; tollere dentium ferruginem,*
*Mox diritates eliquare gutturis,*
*Vocis canoram prouocans dulcedinem,*
*Faciens ad omnes oris ægritudines,*
*Mirabilis liquor, liquor ſuauiſſimus,*
*Liquor Deorum nectari ſimillimus,*

*Palato adaptus omnium, horiſq; omnibus.*
*Sapore quippe multo doro amabilis,*
*Vt Pegaſcium melos, uel Atticum*
*Guſtare mel, Bacchi úe credas palmites,*
*Ex hoc in hoc commixtione commoda.*
*Sic mitia aſperis, amara dulcibus,*
*Sic mixta ſerijs iocoſa congruunt.*
*Sed ecce læti conuolant. quæ gloria?*
*Qualis triumphus? paſsim ab omni climate*
*Videte, euntes hinc & inde confluunt*
*Madidus croco Cilix, feruſq; Sarmata,*
*Et annulatis crinibus ſuperbiens*
*Sicamber, & ceruice Gallus lactea,*
*Sæuuſq; Cantaber pati iuga neſcius,*
*Et Hiberus, & Brittannus orbe ab ultimo.*
*Habet tamen quid hinc reportet quilibet,*
*Nec fit minor propterea: at indies magis,*
*Quale rediuiuum hydræ caput, diffunditur,*
*Et amne liberiore ripas effugit.*
*Felix eat, precor, omne hoc ex Vrceo.*
*Exire fontem uideo, Apollini ſacrum.*

## Elegidium per eundem Vergilũ Portum Mutinenſem.

*AT ſemel hoc placitum Fatis: ſub cardine cœli*
*Perpetuum nihil eſt: omnia Mors adimis.*
*Vidimus intrepida modo te ſublimia Regum*
*Tecta, modo infirmas ſollicitare domos:*
*Vidimus egregia atq; humili te cæde madentem*
*In tua captiuos cogere iura Duces.*
*Neu quia pulcher Hylas, neu te quia fortis Achilles:*

Poßit

Poſsit ab incœpto ſurda mouere tuo.
Aut quoniam hic titulos, generoſaq́; ſtemmata iactat:
Aut quoniam ambigua eſt ille parente ſatus.
Quantulacunq; tuis eſt commoda præda triumphis,
Nec magne pannoſo purpura grata ſago.
Quid iuuat eloquij fulmen? quid laurea proſunt
Sertaq́ue l ingenui tot bona rara animi?
Ad te decrepitum contando it uulgus, at ipſa
Feſtinat rapidos ante iuuenta dies.
Innuptos, nuptosq́; eadem citat urna. petulcus
Nec refert prior an mater, an hœdus eat.
Scilicet ut primum uitales carpimus auras,
Præſcripta eſt uitæ linea cuiq; ſuæ.
Et ſemel, & cunctis, & ineuitabilis una eſt
Aut celeri, aut tardo feſſa adeunda gradu.
Nec tam humile eſt quicquam in mundi compage, uel altum,
Quod tandem tua non deuoret unca manus.
Aſpice tot populos, totq́; oppida celſa, tot urbes
Deletas, & mille id genus adde alia,
Te dominam, te ipſa omniparens Natura tremiſcit,
Te cœlum, & cœli, ſi quid ab orbe allud,
Ipſos ſupplantas Fortunæ ſola rotatus.
Tu fatum, tu lex dura, ſed æqua tamen.
Deniq; quicquid habet, quicquid longa aduehit ætas.
Imperio fateor cuncta ſubeſſe tuo.
Fama tamen ſecura tui ſe ad ſydera tollit
Maior, & eſt functis altera uita uiris.
Hac duce, ſublimi moriens caput exerit aſtro
Codrus, & in toto plurimus orbe uolat.
Neſcia nanq; mori eſt Virtus ( licet improba penſum
Intempeſtiua rupcris ipſa manu)

Quiſ-

*Quiſquis enim frugi eſt.(ſeris licet abſit in annis)*
*Intempeſtiuo tollitur ille die.*
*Proh pudor, Aonidum ſacros temerare Penates*
*Auſq; Phœbeam commaculare domum:*
*Nec labor ille ſacer Vatum, nec nomina Codri*
*Sancta cruentatas continuere manus.*
*Sub iuga at ille tamen tua neſcius ire, perennis*
*Viuit, in æternos nomen habetq; dies.*
*Alta triumphali reſidens tremebunda cupreſſo*
*Eia age, nocturno læta uehare boue.*
*Corpus habes Codri: quid tum? ſed Codrus in ore*
*Eſt hominum. Codri pars quota corpus erat.*

Inſcriptio tumuli per eundem. V.P.M.

*Heus tu, & ſi properas Viator, heus tu,*
*Paucis te uolo: ſic amica ſemper*
*Ledæ ſydera ſint tibi, æſtuoſum*
*Si ſeces mare: ſic ſi in alta ſurgis*
*Alpium iuga, montuoſa eunti*
*Subſidant tibi ſaxa: ſic receptus*
*Soſpes in patrios tuos penates,*
*Miſceto oſcula mille chara charis.*
*Hæc lubens lege.( nec niſi lubentem*
*Quemquam poſcimus) hocce Codrus ipſe*
*Saxo Antonius Vreeus recondor.*
*Hæc ex me: ex alijs habeto plura.*
*Plus de me, mihi, proloqui indecorum eſt.*

Per eundem Vergilium. P.M.

*Quis iacet hoc tumulo? Codrus: ſed nec tamen unus*
*Codrus. nam ſecum plectra lyræq; iacent.*
*Quænam hæ tam pullo hoc habitu? Libethrides: ille*
*Quis planctus Maiæ eſt quem facit ipſe puer.*
*Quæue hæc quæ cineri præeſt? Tritonia mater*

*Miſit in ardentes ſe Sophia alma rogos.*
*Quis rogus? & calami, & diuina poëmata? funus,*
*Elatum eſt humeris Bacche & Apollo tuis.*
*Qui comites pompæ? Charitesq́;, ſalesq́;, iociq́;:*
*Qui cenſus? lychni, ſpongia, menſa, ſtylus.*
*Quem hæredem dixit? famam, ſed prodiga fama:*
*At quanto magis eſt prodiga, maior adeſt.*
*Ergo habet æternus Codrum ſopor: heu ſcelus, hæ, heu,*
*Heu quantum nobis abſtulit una dies.*
*Proh ſuperum inuidiam, proh Fata immitia: mœret*
*Hoc uno amiſſo Græcia & Auſonia.*

## Per eundem Vergilium Portum Mutinenſem.

*Vir doctiſsimus undecunq; Codrus,*
*Codrus Romuleæ decus Camœnæ,*
*Codrus eloquij decus Pelaſgi,*
*Codrus arbiter utriuſq; linguæ,*
*Orator bonus, & bonus Poëta,*
*Codrus archetypon facetiarum,*
*Codrus archetypon ſeueritatum,*
*Codrus Felſineæ dolor iuuentæ.*
*Felix urnula, & ô lapis beate*
*Tam charum caput in quibus quieſcit.*
*Vir doctiſsimus ille Codrus, ille*
*Vir doctiſsimus undecunq; Codrus.*

## Per eundem. V.P.M.

*Codrus eram: natale ſolum mi Herbaria, ſed quæ*
*Me ſepelit, Graium dixit, & Auſonium.*

## Diſtichon ab eodem repente conflatum ſuper Codri imagine.

*Pallia ſic ſterterant: uenerandus imagine macra*
*Sic fuit: adde iocos, deniq; Codrus erit.*

## Ioannes Pinus Tholoſanus Iuris & eloquẽtiæ ſtudioſus, Ioanni Mauroleto Muſæo Turonenſi Iuriſconſulto & Oratori S. D. P.

*HAbes Maurolete ſuauiſſime quæ ſuperioribus menſi-
bus cum ego iſtic eſſem apud uos, te tantopere ac tam
uehementer optare ſæpe cognoueram. Liberalis me
Hercule ac plane ingenui animi uotum, honeſtum atq;
laudabile, qui doctiſſimũ illum, dum uiueret ac eruditiſſimum homi-
nem Vrceum Codrum perpetua quadam apud poſteros æternaq́;
nominis ſui gloria ac fama donari cõcupiſceres, quod & cum ita
mereri cognoueras. quid enim non merebat hominũ ille omnium do
ctiſſimus ac innocentiſſimus? teq́; forte putabas ei debere aliquid,
quod is te olim ſuauiſſimo grauiſſimoq́; ſuo illo contubernio ſuſce-
ptum & Latinis & Græcis literis pluſculos menſes erudierat. tuq́;
ut accepti beneficij memorem, utq́; hominẽ plane gratiſſimum decet,
parem illi ſæpe, ac pene maiorem gratiam referre conatus es: Sic
enim tu nobis atq; alijs pleriſq; qui tum forte nobiſcum unà conuene
rant, hominem palàm ac pleno quodam ore laudare ſolebas: ſic om-
ni ſui ex parte, cum doctrina recondita, ac multiplici quadam penè
rerum omnium eruditione, tum uita præſertim ac moribus priuataq́;
ſua illa atq; domeſtica uiuendi ratione nobis admirabilem faciebas,
ut ne illum quidem ipſum (ſi uiueret) maiorem ullam aut gloriam
aut laudem fuiſſe poſtulaturum arbitrer. Sed habes inquam Mauro
lete ſuauiſſime, Vrcei Codri Præceptoris olim tui libellos & monu-
menta literaria quibus ille hinc iam pene biennio moriens & nobis
& poſteris noſtris omnibus, ueriſſimæ ac iam tot annos quæſitæ lau
dis & gloriæ firmiſſimum quoddam atq; diuturnum ſeminarium ie
cit. quod tu quale, aut cuiuſmodi ſit minime ſanè potes ignorare, qui
& olim illo uiuente coram præſensq́; guſtaueris, & poſt illius gra-
uem bonis omnibus, & in primis acerbum interitũ ſic obſeruaueris
diligenter, ut nullas uel quarumlibet rerum quiſquilias, feces, nullaq́;
purgamẽta inexcuſſa relinqueris, ſi qd optimi hominis illius uſquam*

forte

forte reconditum & occultum offenderes. Ego uero eſſe id genus fa cile & apertè contenderim, quod nulla unquam pruina neq; luligi ne, nullo frigore, nullo æſtu, aut chaſmate, nulla grandine, nullo de niq; prorſus aut uitio, aut calamitate deperiturum uideatur. Firmißi ma enim ea una eſt certißimaq; poſſeſsio, quæ ſuis ipſa ſuffulta ſu ſtentataq; uiribus, nullas neq; temporũ neq; hominũ quorumquam iniurias pertimeſcere ſoleat, immota, firma, ſecura, ſtabilis, ſucco ſa, recens, uiuida, quæ nullo neq; ſitu neque marcore ſordeſcit, nulla rubigine teritur, quæq; nullo unquam dierum ac temporum fluxu ſo let ſeneſcere, quæ dominum quocunq; peregre abeuntem indefeſſa proſequitur, quæ ubiq; hominum, ubiq; locorum, ubiq; periculorum atque diſcriminum aßidua quædam atque fidißima comes aßidet, uiuum fouet, iuuat, ſolatur, oblectat: mortuum quoq; priſtini adhuc conſortij non immemor omni cura ac ſtudio ab omni obliuione ac triſti hominum ſilentio uindicat & diligenter aſſerit. Sed de hijs iam multa nimium, tu uero anno ſuperiore hominis illius cupidi tate ac ſtudio, ſic inflammatos ſic nos incenſos feceras, ut nihil un quam poſt hac aut cupere magis aut uehementius optare poſſe uide remur. quare abs te abeuntes ſimul atq; Bononiam uenimus, forte fortuna ut fit eius libellos omnes in Excuſſoris officinam receptos offendimus. quæ nos tum quæſo lætitia? quod me undiq; gaudium per tentauit? cœpi me Hercle totus inteſtino quodam æſtu ebullire ac efferueſcere, cœpi exultare pene pueriliter ac infantilibus qbuſdam quaſi geſticulaciunculis efferri ac deſipiſcere, ita uehementißimum illud deſiderium meum nouus hic & repentinus caſus ingenti quo dam ac pene deſperato gaudio cumulauit: ſed cui non parum tamen acceßionis factũ eſt, ſimul ac tu nobis memoriã ſubijſti, cui nõ quam mihi minus id iucundum gratumq; futurum eſſe cognoueram. Quid uis? monere cœpi hominem, diligẽter hortari, inſtigare, urgere ue hemẽtius, aßiduoq; ac quotidiano penè conuicio libellos expoſcere, cum ut explerem uehemens illud & ardens inprimis deſiderium me um, quod me Hercle augeſcere indies mihi magis ac ingraueſcere

*uidebatur, neq; ullo alio quouis modo quam illorum fructu ſedari*
*poterat, tum ut tibi quoq; manifeſtum facere, quam & iuſta & re=*
*cta cauſa hominem illum olim mihi laudaueras. Si quidem abs quo=*
*quam dignè ſatis laudari potuiſſet, & ut tu pridem uiuo illo ſolebas,*
*ſic & iam quoq; tametſi mortuo oblectare te poſſes, & ſuaue tuum*
*iſtud negotioſum ociolum conſolari. Neq; nos ſane terruit, quod te*
*ſuperiore anno leui quadam in nos offenſiuncula cõmotum eſſe per*
*ſpeximus, eamq́; etiam altius inſediſſe id nos amplũ ſatis & firmum*
*argumentum fecimus, quod tu hic ad tuos ſcribens nobis ne ſimul*
*quidem ſalutem aſcripſeris: ſed tu ut libet, nos quidem tametſi abs*
*te priores iniuria laceßiti, tamen in officio permanebimus. ſi ea qui=*
*dem iniuria dicenda eſt pauxillula quædam eaq́; literaria ac pene*
*ſcholaſtica uerborũ diſſentio: ſed quam tu tamen ne ſolam quidem*
*nobiſcum expoſtulare audeas. quare ſi iſtius aliquid adhuc nubilum*
*forte ſupereſt, peto abs te etiam atq; etiam ut illud totum abs te iam*
*poſt hac auferas & deponas, cõtractamq́; in nos & caperatã fron*
*tem paulo magis exporrigas: quod ſi noſtra cauſa nolis, quod me*
*Hercule minime defuturũ confidimus, at hominis ſaltem & tui olim*
*amantißimi, & tibi quoq; charißimi, q̃ ad te iam rediuiuus proficiſci*
*tur. neq; enim es neſcius non intereeſſe paululum, quo quiſq; ſuper=*
*cilio ac uultu, aduentantem eumq́; & lautum & delicatum hoſpitem*
*excipiat. tu uero cogita quem uno iſto Codro digniorem expectare*
*audeas. Vale. Bononiæ Pridie calendas Apriles.*

## Ad nobilẽ & generoſum uirum Ferricũ Carondele tum Burgundũ Iuris & eloquẽtiæ candidatũ Io annis Pini Tholoſani Epigramma.

*Ferrice aßiduis dudum exoptatn diurnis*
*Nocturnis precibus ſcripta beata lege.*
*Quem totis animis, quem tota mente ſolebas*
*Excupere, & grato uelle fouere ſinu.*
*En tibi uitales felix prorupit in auras*
*Codrus Romuleis non minor autor auis,*

*Codrus*

*Codrus & Auſoniæ non infima gloria gentis,*
*Qui Latios Graijs miſcuit ore ſales,*
*Quo ſe Palladijs gratiſſima Felſine Muſis*
*Iactat, & amiſſo frangitur orba duce.*
*Si ueteris ſanctiq; tenes documenta ſacelli,*
*Siq; Palæmoniæ uis memor eſſe domus,*
*Suſcipe & antiquum ſupplex uenerare magiſtrum,*
*Suſcipe tu & ſacris da pia thura focis.*
*Aediculis quondam uixit contentus in orbe,*
*Iam ſua poſt mortem gloria maior erit.*

## Per eundem Pinum, Vrcei Codri Poëtæ celeberrimi Epitaphium.

*Felſineis Laribus uixi caua tempora lauro*
*Cinctus, & Auſonij gloria prima ſoli.*
*Attica Muſa mihi fuit & Latialis: utranq;*
*Fouimus, & uario nouimus ore loqui.*
*Caſta domus fuerat, caſtiq; thoriq; laresq;,*
*Caſtalia & ſacrum merſerat unda caput.*
*Nec diues nec inops, media ſed ſorte beatus,*
*Sollicitas ſpreui mente quietus opes.*
*Haud famulis gaudens, docili contentus alumno,*
*Hic famulus nobis, hic miniſter erat.*
*Pendula læua ſuos faciles conceſſit amictus,*
*Noſtraq; ſub lacero tegmine dextra fuit.*
*Spreta fuit Tyrio quæ infecta eſt murice ueſtis,*
*Spretaq; de Libyco gemma petitu ſinu.*
*Grandia contempſi, uarioq; ſuperba tapete*
*Atria marmoreis æmula porticibus.*
*Sat fuit anguſtum caperet quod membra cubile,*
*Quæq; daret modicas fictilis olla dapes.*
*Vita breuis longos nobis nec ducta per annos*
*Compenſat modicos relligione dies.*

## Philippus Beroaldus Iunior Antonio Galeatio Bentiuolo Protonotario Apoſtolico Suo Salutem.

*Habes tandem ſermones Codri Antiſtes optime, ſermones illos inquam doctos, elegantes, facetos, ut nihil ſupra. Qui iure quodam tuo à nobis hac epiſtola tibi dicãtur: Etenim quamdiu Codrus uixit hos tibi, cui omnia debebat & compoſuit & recitauit: Ac poſt hominis finem hanc tibi curam principem duxiſti, efficere ne dum Codrus moritur, interiret: Monumenta quippe ingenij illius diligentius aſſeruanda curaſti, atq; in eius memoriæ proro- gationem publicanda. Debuit multum Codrus tibi dum uixit: Mortuus plurimum debet: ſiquidem eum ab interitu reuocaſti: Nam niſi ipſe fuiſſes, nomen illius cum corpore iuxta ſepultum foret: parati nanq; erant nonnulli qui miluinis & aquilinis ungulis ( ut inquit Plautus ) in hæc opera inuolarent, ſeq; plumis alienis inſignirent, his tu occurriſti prædamq́; eripuiſti ex latronũ manibus. Quod dum facis, rem prorſus te dignam facis: Hoc eſt enim animi ingenui ſpecimen illum diligere defunctum quem uiuentem amaueras: Adde quod dum alie- nas uirtutes tantopere cordi habes oſtendis quibus ipſe præfulgeas: Quæ res cum omnes, tum maxime Principem decet: Nam quantum fortuna cæteris mortalibus præſtes tantum etiam uirtutibus excellere longe pulcherrimum eſt. Tibi genus eſt nobiliſſimum: Fortuna feliciſſima: Virtus porro tanta ut nobilitati ac felicitati nequaquam ceſſerit, longe ab illorũ uita receſſiſti, q ſomno ac uẽtri dediti, in luxu atq; ignauia conſeneſcunt, nihil arduũ ac memorabile cogitantes. Quantopere aũt Codrũ amaueris, cũ ſemper patuit, tũ præcipue cũ eius imaginẽ intra cubiculũ tuũ habere uoluiſti, dep[...]ã in cœtu ſapientũ, ab aurifice nobiliſſimo Francia ciue noſtro: Quã imaginẽ cũ Codrus inſpexiſſet, hoc Diſtichon effudit. Si Codrus tibi notus eſt uiator. Quis Codrus magis eſt an hic, an ille? Sed ne multa de Codro ſcribã effecit Bartholomæus Blãchinus Iuuenis ingenij perquã amœni, q dum eius uitã pſcribit illũ uiuere facit. Illud tamen preteri*

*re nec*

*re nec poſſum, nec ſi poßim debeo, nō defuturos fortaſſe aliquos qui ſtilū eius, tanquā aridū, ieiunū, ac ſummiſſum damnent: Sed certe non alius ſermoni cōuenit quā familiaris quā quotidianus: Verba porro illa ſeſquipedalia & ampulloſa, ac deſita: q̄ multis riſum, pluribus ſto machū mouēt, miro odio ſpreuit: In qbus tamen nō deſunt q ſibi plus nimio placeāt: Illud Plautinū in ſubſidiū ſuū adducētes. Qui utuntur uino uetere ſapienteis puto. inſulſe me hercle. Nam & ego unà cum Plauto uino utar uetere quidē, ſed nō uetuſto: item uerbis ueteribus nō tamen uetuſtis. Et ſane q̄ ſapiētia eſt iſthæc, cum paratos habeas fontes limpidos ex cœnoſa palude haurire? Deniq; nemo ſanus rudi mentū eruditioni, tenebras luci, nubila ſerenitati præponet. Ceterū eiuſmodi homines dū nouo dicendi genere gloriolā aucupātur ridicu li fiūt, ac dū ſtudēt ut apud ineptos docti habeātur, ipſi mediusfidius apud doctos ineptißimi iudicātur. Sed tales fœtoribus ſuis relinqua mus, ac miſeros eſſe patiamur quatenus id faciūt, ſtilumq; Codri & amemus & pbemus: Qui quēadmodū uiuēs plurimū iuuētuti noſtræ mihiq; cū primis profuit, ita mortuo illo gymnaſiū noſtrū altero ocu lo carere uidetur: Et certe niſi nūc illud Beroaldus lumine ſuo tāquā ſol illuſtraret, nobiſcū male atq; etiā cum literis ageretur. Beroaldus ille inquā, quē ego ubiq; Maximū (neſcio an ductus propinquitate, q̄ arctißima eſt: an debito, quod eſt in diſſolubile: an rebus geſtis, q̄ ma ximæ ſunt: an omnibus pariter) ſed utiq; Maximū nuncupare ſoleo: De quo parcius dicere cogor, quia de me quodammodo ſimul dico, tanquā q ab eo formatus & expolitus ſim, ſi modo is ſum qui poli tiem aliquā præ me feram. Supereſt ſacratißimæ Antiſtes ut ſermo nes Codri [illegible] tu lectites quo audire ſolebas. Nec enim minus Co dri manes te [illegible] legēte lætabūtur, q̄ olim dū uitā uixit, audiēte. Vale.*

BASILEAE PER HENRICVM
Petrum Menſe Martio Anno
M D XL.

AOI 1463839

